Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Aretino

Burg. Museum

446

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

KW 174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

KW 174 C 15 L. Sp

VITÆ HUMANÆ PROSCENIUM:

IN QUO

SUB PERSONA GUSMANI ALFARACII

virtutes & vitia; fraudes, cautiones ; ſimplicitas, nequitia ; divitiæ, mendicitas ; bona, mala ; omnia denique quæ hominibus cujuſcunque ætatis aut ordinis evenire ſolent aut poſſunt, graphicè & ad vivum repræſentantur.

OMNI ÆTATIS ET conditionis hominum tam inſtructioni quam delectationi dicata.

CASPARE ENS editore.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

DANTISCI

Sumptibus GEORGII FORSTERI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

PerIlluſtri ac Generoſiſſimo

DOMINO,

D.no Andreæ Hyeronimo Paris, Capitaneo Czirſcenſi &c. &c. Domino ac Patrono obſervandiſſimo.

PerIll.is ac Generoſiſſime Domine,

PRoſcænium vitæ humanę, ab incomparabili quondam Viro, Caſparo Ens, ſub perſona Guſmanni, affabrè repręſentatum, maximo omnium Literatorum applauſu, inde ab initio fuit exceptum: Indeque factum, ut Exemplaria penè omnia, privatis ceſſerint; vix uno aut altero, publicis uſibus relicto. Ut verò ingenioſum hocce, ſolerſque ſcriptum, ab interitu vindicarem, typis meis recuſum, publi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ci nunc iterum juris facio. Cæterùm ut labor hic meus gratior in oculos & animos mortalium incurrat, PerIll.[is] ac Generoſiſſimę Dom. Tuæ, inclytum nomen in frontiſpicio extare volui, tùm quod ſcriptum, ſi æqua lance trutinetur, dignum omninò ſit, quod Tibi in literis undiquaque verſatiſſimo, & ſeria non minus quàm jocoſa amanti, quotiès ſub Veritatis involucro mentem inſtruunt aut acuunt, offeratur dedicaturque; Tum vel imprimis quia ſummus literarum fautor ac promotor es, mihique non ita pridem autor ac ſtimulus extitiſti, ut Varſevicii noſtri pręclara opera, luce iterùm donarem, quæ neſcio, ubinam hactenus neglecta jacuêre, ac quaſi cum tineis & blattis cer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tarunt: Hęc me cauſa unicè impulit, ut præſens opuſculum PerIlluſtri Tuo nomini inſcribere, & per hoc gratę meę mentis teſſeram in publico erigere non dubitarim. Quod, uti ſpero Tibi haut ingratum erit. Vale PerIll.is ac Generoſiſſime, atque perge literarum cultores, ſicut laudabiliter jam olim cœpiſti, impoſterum etiam indeſinenter amare.

PerIll.is ac Generros.mæ D.nis Tuæ

Ad ſervitia paratiſſimus
GEORGIUS FORSTERUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Ad Lectorem.

MUltarum ac variarum rerum ſimilis Vita humana dicitur: quarum rerum innumeræ pæne ſeu ſimilitudines ſeu Comparationes & in libris paſſim leguntur, & multæ inſuper excogitari adhuc poſſunt. Mihi tamen vix ulla magis arridet, quàm ea qua Fabulæ ſeu Mimo comparatur. In quo mecum ſentit Latinus ſapiens, qui alibi ait, Omnia hominum negocia ſimilia Mimis eſſe. Auguſtus quoque Cæſar, ut Suetonius refert, paullo ante obitum amicos percunctatus eſt, Ecquid eis videretur Mimum vitę commode tranſegiſſe. Et ipſe Cato apud Ciceronem Senes monet, dent operam ne tamquam inepti hiſtriones extremo in actu concidant, & explodantur. Hoc eò tantum pertinet, ut intelligas, lector, cur Libello huic titulum Vitæ humanæ Proſcenium fecerim, nimirum quod ut Fabulæ in theatro repræſentatæ, ita Vitæ quoque diverſi ſint Actus, variæ viciſſitudines, Eventus inopinati Cæteraque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quæ infinita fere, non addo, quod facile cuivis ea colligere.

Reſtat ut illorum amoveam calumnias, qui nihil niſi Virtutis nomen aures Juventutis circumſonare, Vitiorum ne audiri quidem volunt. Inepti profecto Cenſores! Quomodo enim virtutem & Vitium quis internoſcat, qui utrumvis non nôrit? Quomodo bonum ſectabitur quis niſi malum fugiat? At quomodo fugiet rem ignotam? Utrumque ergo noſcendum, Bonum, & Malum: ſed diverſo fine. hoc, ut fugias; illud, ut ſectere. Morum gravitate omnibus gentibus ſuperiores Lacedæmonii, numquid ebrios helotas ſeu ſervos in liberorum conſpectum produxerunt, ut perſpectam ebrietatis turpitudinem tanto magis deteſtarentur, & vitarent? Scio eam eſſe humani ingenii imbecillitatem, ut proniore appetitu ad Malum quam ad Bonum feratur; qui tamen error inde ut plurimum naſcitur, quod juvenes præſertim opinione decepti, bonum exiſtimant quod malum eſt, & malum quod bonum. Hunc melius certe multo agnoſcent, & emendabunt, ſi aliorum inſpiciant exempla: & quid huic vel illi evenerit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

conſiderent. Efficatius docent exempla quam præcepta. Et unde illa inſipientum, omnibus tamen fere uſitata excuſatio, Non putâram? *niſi quod fraudem aliorumque in vita humana eventuum ignari nos ipſos falſis imaginationibus decipimus?*

Quemadmodum ergo Tela præviſa minus feriunt, *ita minus quoque mirum accidet quidquid in vita evenerit illi qui jamdudum omnia præcepit, atque animo ſecum peregit. quod facere nemo poteſt, niſi qui vel à ſeipſo, vel ab aliis experientiam habeat. At quanto melius eſt alterius exemplo quam ſuo malo ſapientem fieri! Hic finis unusunicus huic libello: cujus materiam mihi ſuppeditavi* Matthæi Alemanni *Regii quondam Secreterii & graviſſimi viri de Guſmano Alfaracio Hiſpanica lingua conſcripta Hiſtoria, vicies quater edita: ita tamen ut non tam Interpretis quam Autoris perſonam egerim. Tu his jam fruere: & tam facetiora quam utiliora futuris nundinis, ſi Deus vitam dederit ociumque fecerit, exſpecta.*

IN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

INDEX CAPITUM.

I. *Præſatio. Guſmani Natales.* 1
II. *Quæ & qualis fuerit mater Guſmani: & de occaſione contracti inter ejus parentes matrimonii.* 19
III. *Prima Guſmani peregrinatio.* 35
IV. *Agaſoni narrat Guſmanus quid ſibi in caupona acciderit. is viciſſim cum multo riſu duas ſimiles illi narrat hiſtorias. De injuriis condonandis Exhortatio.* 43
V. *Guſmanus in alio hoſpitio cum agaſone non minus opipare quam in priore illo tractatur. Cauponum doli & malitia.* 56
VI. *Sequentis diei Hiſtoria.* 60
VII. *De hominum Felicitate & Infelicitate Apologus. Guſmani dum reliquum viæ conficit, adverſus caſus.* 65. *Lazarillus adoleſcentiæ ſuæ narrat hiſtoriam.* 74
VIII. *Guſmanus Cazzaglia Madritum proficiſcens, miſerabilis hominis conditiones experitur. In via Cauponi operam addicit.* 121
IX. *Guſmanus Madriti mendicans, circumforaneas artes diſcit.* 130
X. *Guſmanus Coquinæ ſe addicit, arteſque ibi uſitatas deſcribit.* 135
XI. *Reliqua quæ apud Coquum ſibi acciderint narrat.* 143
XII. *Ad priorem artem redit, & mira ſed non imitanda*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tanda arte magnam vim pecuniæ ſibi acquirit. 150
XIII. *Toleti amoribus dans operam turpiter circumducitur. Vbi notantur fraudes meretriciæ, & ſimplicitas juvenilis.* 157
XIV. *Almagrum profectus, militiæ nomen dat.* 168
XV. *Abſumta furtiva pecunia, Centurioni lavernionis præſtat operam.* 175
XVI. *Genuæ ludibrio habitus, Romam proficiſcitur.* 183
XVII. *Ad Mendicorum tribum ſe adjungit, ejuſque mores, ſtatuta & leges addiſcit.* 190
XVIII. *A Cardinali quodam chirurgis ſanandus traditur: ſanatus inter domeſticos miniſtros recipitur.* 196
XIX. *Quæ Guſmano in Cardinalis acciderint miniſterio.* 201
XX. *Vrbis Romæ deſcriptio.* 215
XXI. *Guſmanus poſt multas patratas nequitias à Cardinali dimittitur.* 243

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

PROSCENIUM VITÆ HUMANÆ, IN QUO

Sub Guſmani Alfaracii perſona admirabiles Fortunæ caſus, virtutes, vitia, bona, mala, &c. tamquam in ſpeculo proponuntur.

CONSILIUM mihi eſt meamipſius vitam deſcribere. Sed vide, quæſo, curioſe Lector, quò me non honoris, non lucri, ſed tuæ utilitatis ſtudium abducat! qui ut meo exemplo & meliorem & prudentiorem te faciam, tamquam ſorex meo meipſum incidio prodere. vel potius tamquam ſimia ex alto pudenda mea omnibus conſpicienda dare non dubito. Hinc multi, hyænarum more, ſepulcra me effo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dere & mortuorum cadavera dilacerare, vel, ut quidam ait, patrios cineres commejere dicent: eoque non ſtultitiæ aut dementiæ, ſed impietatis dicam mihi impingent. Quid tu, inquient, an ſic pietatem colis, qui parentum, qui tuorum ipſius natalium vitia in manifeſtum profers? Sicciñe divinam obſervas legem, quæ non modo parentes colere, ſed & proximi cujuſque turpitudini velum injicere jubet? Quanto tu pejor, quanto ſceleratior reliquis calumniatoribus, qui plerumque alienis vitiis ſua obtegunt! at tu ſalivam quaſi in cœlum exſpuis, quæ in te ſit recaſura. Equidem cum Lentulo ſuram præbeo; ſpero tamen æquum Lectorem, ubi meas rationes cognoverit, haud gravate veniam mihi daturum. Primum enim hiſtoriam vitæ meæ deſcripturo nefas videbatur hiſtoriæ leges migrare, quæ volunt ut non minus parentes & ſtemmata magnorum virorum quam res geſtæ conſignentur. Et tutius quoque mihi tam ad fidem quam ad famam videbatur, puram putam veritatem ſcribere, quam è neſcio quibus vetuſtis lacunis (quod hodiè multi per ſummam vanitatem faciunt) ſtirpem derivare; aut natalium turpitudinem ſeu vilitatem longe petitis fabulis aliiſque mille

Excuſatio.

mille involucris, fruſtra celare velle. Eſt enim tota parentum meorum vita, lippis etiam & tonſoribus hodiè tam nota, ut ſi quæ vera ſunt negare velim, impudens ab omnibus merito haberi debeam; ſi vero falſa pro veris adfingere, novam eamque ampliſſimam calumniaturientibus materiam ſim præbiturus. Quam multorum enim natales cum magna ipſorum laude neſcirentur, ſi jactatione ſua aliis amquirendi occaſionem non dediſſent! Numquid ergo melius facere videor, ſi textum ita uti eſt, ſimplicem atque apertum proferam, ſicque aliis gloſſas affingendi libidinem eripiam & facultatem? Sunt eo ingenio plerique homines, ut in ſimpulo, quod dicitur, fluctus excitent, & ex Muſca Elephantem faciant; alta deprimant, depreſſa elevent; præſumptionem pro evidentia, audita pro viſis, opinionem pro ſcientia ponant; non tam rebus denique quam rerum umbris & adſcititio fuco & alios captent, & ipſi capiantur. Mihi vero eques ille placet, de quo jam dicam. Is Mantuæ Carpetanorum (*Madritum* vocant) quum eſſet, extraneo in ſolo, & equis, quos admodum pulcros ac generoſos Hiſpania producit, impenſe delectaretur, neque verò, lege prohibitus, quum

Notate glorioſuli.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Notate Parergiſtæ. diſcedere vellet, vivos in patriam ſecum abducere poſſet; ut ejuſdem voluptatis quam ex aſpectu capiebat, domi amicos participes faceret, à duobus præſtantiſſimis pictoribus petiit, ut quiſque unius ex generoſiſſimis depingendi negocium ſumeret, præter mercedem ei cujus opus eſſet probatiſſimum, præmio promiſſo. Eorum unus in tabula equum ita ad vivum expreſſit, ut ei nihil quam anima deeſſe videretur. Alter equum & ipſe quidem depinxit; ſed quum artem ſuam à natura paullum aberraſſe animadverteret, ipſi equo frænum addidit, ſellam, phaleras, tum circumcirca, ſuo quidque loco, nubes, arbores, prata variis floribus vernantia, rudera, ædificia, fluvios, & quidquid ars pictorum imitari gaudet, adpinxit, ſuis quidque coloribus quam ſcitiſſime illuſtrans, ut aſpectu vix quidquam eſſe poſſet jucundius. Accedunt uterque & opera ſua offerunt. Primus equum nudum, ſed ita factum, ut ſpirare videretur. quo delectatus Eques, & mercedem poſtulatam ſtatim ſolvit, & donum non exiguum addit. Profert ſuam tabulam alter quoque, & liberalitatem Equitis erga primum admiratus; immenſum precium poſcit. Obſtupeſcens ille, Non te pudet, inquit, tanti opus tuum indicare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

care, quum negare ipſe non poſſis à perfectione ejus quod primus fecit, plurimum abeſſe? Tum pictor, Ad equum quod attinet, fateor palmam mihi ab illo præreptam; ſed ornamenta illa vide undique circumpicta, quæ plure ſumtu & labore mihi conſtiterunt quam ipſe equus. Quid tu, inquit Eques, an tibi ego mandavi ut ædificia mihi, prata, arbores, & ejuſmodi res depingeres, quæ in patria mea non minus pulcræ ſunt ab ipſa Natura factæ, quam ullibi terrarum. Equum pingere juſſi: equum pingere te oportebat. Proinde ita uti convenerat, pro equi pictura tibi ſatiſfaciam. Cætera quæ addidiſti parerga & emblemata, tu ipſe tibi ſerva. mihi enim iis non opus. Quid faceret tanquam corvus hians deluſus pictor? Jure agere non poterat; & in Equitis, qui jam voti ſui compos erat, liberalitate parum ſpei ſibi relictum videbat. Suum ergo opus ſibi habuit: ſicque diſceſſit. O quam multi ſunt pictoris hujus ſimiles, quibus rem quamcumque ita uti eſt narrare velut religio eſt! Addunt, detrahunt; augent, extenuant; laudant, vituperant; nihil ex vero, ex lubidine & affectu omnia judicant & loquuntur. Nullum textum audias; gloſſas meras. Deformis, formoſus; ignavus, fortis;

Perverſa judicia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſtultus, ſapiens non videtur, ſed eſt: illis quidem. & viciſſim. Ex tribus triginta, è triginta trecenta, è trecentis tria millia faciunt (& proclive hoc eſt, una o. addita) & quod peſſimum eſt, linguis ſuis venenatis bonam aliorum famam & exiſtimationem inficiunt, non tam veris quam ex vero aliquid trahentibus, immo affictis ſæpe criminibus. Quid ego non ab his, quid parentes mei moleſtiſſimarum injuriarum (ita enim videbantur) non accepimus? Utut vero res ſe habeat, certe parentes meos negare non poſſum nec debeo. Sua illis virtus honori ac præmio, malitia fraudi erit. De me quidem illud dicetur: O quam non degenerat Guſmanulus noſter, quam parentum ſuorum eſt ſimilis! Interim velim lynceos illos aliorum cenſores id manticæ inſpicere quod à tergo eſt. Credo equidem ubi ſuorum pedum turpitudinem viderint, mox pictam illam explicatarum pennarum rotam contracturos ac demiſſuros. Rides meos parentes ac majores. at ego plorare tuos jubeo: quos tu ipſe, quales fuerint, ignoras. Cave ſis, nimium jactes genus tuum: cujus à primordiis repetiti auctor aut veteramentarius, aut paraſitus, aut ſcriba iniqui Mammonis, aut mercator uſurarius forte fuit. Sed ad rem.

Patri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Patri meo, patria fuit pars illa Mundi Orientalis (vides & hic amplitudinem & magnificentiam) ubi Carthago olim ſita fuit. unde quum Genuam negociandi cauſſa veniſſet, pecunia, quam copioſam poſſidebat, adjuvante, non multo poſt inter Nobiles ſeu Patricios fuit habitus. Quæris, quam negociationem exercuerit, quæ mercimonia tractarit? Quid me pudeat dicere quod primarios ætate noſtra viros video facere? Collybiſta fuit, ſeu Cambiarius. Scio uſurarum nomine male audiiſſe. Sed vere hæc & alia male audiebat, & plus quam Spartana nobilitate concoquens, impune aures prætervolare patiebatur. Neque tamen ego vel uſurarios ſanguiſugas vel uſuras laudaverim, illas præſertim quas palliatas, aut quas ſiccas vocant: de quo univerſo hominum genere dici poteſt, *vocem Iacobi, manus Eſaui* habere. Sentiat hic quiſque quod volet; ego cenſendi jus ſine populi ſuffragio mihi non ſumam. Hoc tantum dico, ſi qua nota hinc illuſtri meo generi inuratur, eam mihi cum multis ſummis & medioxumis communem eſſe. infimos non addo, quos pleroſque inſontes hujus criminis præſtat inopia.

Pecunia nobilicat.

Ajunt nonnulli, aut, quod malo cre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Notate hypocritæ.

dere, calumniantur, patrem meum hypocritam fuiſſe. Sed ô perverſa judicia! Equidem ſi Sacerdotem aut Monachum videam, intempeſta nocte, gladio accinctum, per ſcalas in loca ædilem metuentia enitentem, ac per feneſtras irrêpentem, ſtulto ſtultior ſim ſi audiendarum Confeſſionum aut adminiſtrandorum Sacramentorum gratia eò veniſſe illum credere velim: at ſi quis ſacra ſine ulla intermiſſione frequentet, ab uno templo ad aliud currat, coram omnibus in genua provulutus, ſe ipſum aſſiduis precibus fatiget: inhumanum ſane fuerit, & ab omni ratione alienum, ejuſmodi hominem ut hypocritam inſimulare ac traducere. Ad patrem meum quod attinet, ſolebat is aſſidue Roſarium ſecum circumferre, cujus ſphærulæ avellanarum excedebant magnitudinem, quo à proavia ad ſe tranſmiſſo, mater mea illum donârat. quotidiè ſacris intererat, genibus innixus, & ad cœlum manus expandens, propitium rebus ſuis numen rogabat. Nec parcus erat in diſtribuendis eleemoſynis, in quo pio opere tamen ita verſabatur, ut obſervaret præceptum illud Euangelicum: *Luceat lux veſtra coram hominibus.* neque enim temerè quidquam erogabat, niſi teſtem haberet quaſi univerſam civita-

vita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

vitatem : locum, tempus obſervans, quando, ubi maxima multitudo convenire ſolebat. Quid autem mea refert, quod inde à nonnemine hypocryſeos inſimulatus eſt? Ego bonis omnibus & nullo præjudicio occupatis liberum judicium relinquo. Nonnullam forte ſequius ſuſpicandi cauſſam dedit clandeſtinus ejus diſceſſus: cujus tamen graviſſimas cauſſas habuit. Quum enim ſocietatem cum Hiſpalenſi quodam mercatore contraxiſſet, is vero (Biante illo multo prudentior qui *ſua* tantum ſecum aſportârat) cum creditorum ſuorum pecuniis profugiſſet: pater meus, qui inter illos erat, velis remiſque hominem perſequi, & vel peſſima quam nulla conditione depaciſci cum illo decreverat. Illius ergo itidem prudentiam imitatus, convaſatis quas poterat rebus, inſalutatis quoque ſuis creditoribus, iter ingreditur, & Anteceſſorem docilis diſcipulus ſequutus, in Italiam trajicere feſtinat. verum ecce medio in curſu navis à piratis Tunetanis invaditur, expugnatur, abducuntur captivi vectores, & in his pater meus. Quid faceret miſer unà cum fortunis omnibus, & quas habebat, & quas quærebat, amiſſa libertate? Fecit id quod prudentes ſolent, qui temporibus obſequuntur, &

Et vos qui foro ceditis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

præſentibus diffiſi, futuris proſpiciunt. Fidem abnegavit. inde, quod proximum erat, ad paganam mulierem, opulentam admodum, ſeſe applicuit, eamque, ſed per modum proviſionis tantum, uxorem duxit. Ibi dum aliquot annos negocia ſua prudenter tractat, certior fit, decoctorem illum prioris naufragii tabulas ita recollegiſſe, ut cum creditoribus qui comparerent, debiti ſemiſſe paciſci vellet. Quare nihil cunctandum ratus (jam enim & facti pœnitentia, & vitæ inter barbaros tædium ſubierat) ad iter ſeſe parat: quod quum uxorem celare non poſſet, ei perſuadet, Conſtantinopolim certa ſpe lucri ſe navigaturum. exigui temporis abſentiam patienter ferret, poſt paucos menſes re bene geſta domum reverſurum. Impoſitis ergo in navim multis mercibus, tum compilatis uſurariæ uxoris ſcriniis, Conſtantinopolim appellit. inde, magno auctus lucro, Venetias ac porro Genuam proficiſcitur, amiſſa paullo poſt, ad inſtar feræ, omni ad prius ſtabulum redeundi voluntate. Quia vero publice non peccarat (ejus enim quòd alibi fecerat, omnes ignari erant) publica quoque pœnitentia ſibi opus non eſſe credebat: culpam interim ſuam aſſiduis ad Deum lacrymis deplorabat

Fidem abnegavit.

rabat

rabat ac deprecabatur. Neſcio tamen quî poſtea factum ſit, ut tam horribile ſecretum etiam in vulgus innotuerit ac fabula fuerit. Nihil ſcilicet tam occulto loco latet, quin tandem in lucem extrahatur. Et hæc unica erat cauſa cur nonnulli patris mei fidem ſurcillarent, illa, credo, vulgari regula decepti, quod *Qui ſemel malus, ſemper* (in eodem quidem genere) *præſumitur malus*: quæ tamen ut & pleræque aliæ omnes, exceptione non caret. Longa eſt & benigna Dei manus, quæ etiam longiſſime devios ad ſemitam reducit. quod de patre meo ſperare pietas me jubet. Tu ſi ſequius faxis, vide ne morbum tuum ipſe prodas. Bonorum eſt, de omnibus bene ſentire & loqui; cum omnibus benigne ac placide agere; aliorum vitia, ſi non excuſare, tegere tamen; neminem putare improbiorem eſſe quam ipſi ſint.

Eſto, decoxerit meus parens, foro ceſſerit, non ſemel, ſed bis, ter. Idne hodie novum eſt & inuſitatum? nihil vidi magis. Fecit aliis quod alii ipſi fecerant. Et vero non è chalybe facti ſunt homines, ut frangi non debeant aut poſſint. Etiam altiſſime parietibus infixi clavi ferrei paullatim remittunt ac vacillant. Strategemata hæc ſunt Mercurialis mi- *Notate Banquerottarii.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

litiæ: quæ qui melius intelligit, tanto opimiores aſportabit manubias. Soli DEO & Confeſſario hæc commendanda ſunt: ad quos ſolos & abſolutio pertinet. Si delictum foret, flagitium, aut furtum, publicè caſtigaretur: quum parvæ pecuniolæ aut vilium rerum furunculos virgis cædi, notis inuri, ad remos damnari, etiam infelici ligno ſuſpendi videamus. Sed ut vel maxime in patrem videar injurius, vel mea ipſius, quod dicitur, vineta cædam (quid enim mihi acciderit, poſtea audies) per me licet quiſque de hoc toto genere ſentiat quod volet, ſcapham ſcapham appellet, fraudem ejuſmodi & malitiam non uno ſupplicio expiandam, peſtem hanc è Republica tollendam clamet: ego falcem in alienam meſſem mittere, aut inſerto in laqueum collo (qui mos neſcio apud quam gentem fuiſſe dicitur) legem ferre nolo, cujus non perrogatæ pœna quaſi mea mors ſit. Citius enim elephanto ſtipem extorſeris quam æruſcatoribus illis beneficium Ceſſionis: qui ut olim cum Hercule pagani, ita cum creditoribus tranſigunt: decimam eis partem dant, novem ſibi auferunt.

Iudices. Sed gravius quiddam eſt, quod iidem malevoli patri meo imputant. Ajunt è vinculis cauſſam dixiſſe. Dixit, at abſolu-

ſolutus eſt: non quidem quod innocentiam ſuam probaſſet, ſed quod faventes haberet judices. eos quidem quomodo ſibi fecerit obnoxios, neſcio; hoc ſcio, aliquot ſeſtertiûm millia in rationum libris ipſis data exſtare, eoque auctor ego ſum δωροδόκοις judicibus (ſi qui tamen hodie ſunt) ut cum corruptoribus ſuis ſtipulentur, ne data munera in rationum tabulas referantur, & ſic notis quaſi ad perpetuam ipſorum ignominiam conſignentur. quod neſcio an obſervent etiam ii qui à non ſuis Regibus, immò Regum ſuorum hoſtibus, annuas accipiunt (de extraordinariis nihil dico) penſiones. Indicia exſtabant, fateor, quibus forte Minos aliquis aut Rhadamanthus reum peractum pronunciaſſet. Sed, mi homo, ob indicia nemo facile condemnari debet, quamquam & hæc pater meus multis adductis rationibus confutabat, non indicia ſed mendacia & meras calumnias eſſe pertendens. Ut pſephopectæ videntibus etiam quidvis ſuffurantur; ita nonnulli eo ſunt ingenio, ut vel in ipſo crimine deprehenſi, elabantur tamen, faciantque ut quod alii viderant non viderint, nec ſibiipſis credant. Præcipua Legulejorum & Notariorum virtus creditur, eò quamcumque cauſſam deducere, ut nec ab *Notarii Procuratores.*

ipſis litigantibus tolli inde rurſus; tum ita intricatam reddere, ut vix quidquam certi conſuli, reſponderi, aut judicari poſſit. Aſſem para: & non fabulam, ſed veram hiſtoriam audi. Mantuæ Carpetanorum coram ſupremæ Curiæ Judicibus concionans Sacerdos valde probus & litteratus, quum omnes eorum quibus Juſtitiæ adminiſtratio commiſſa eſt ordines percurriſſet, & de ſingulis quæ viſa erant perdixiſſet, tandem quum ad Notarios ventum eſſet (quibus de induſtria ultimum locum reliquerat) in hanc ſententiam loquutus eſſe dicitur: Hic omnis meæ orationis impetus ſiſtitur & ſufflaminatur. hîc, tanquam profundo immerſus luto currus, omnis mihi ſermo hæret. ac niſi angelus aliquis tamquam dexter Hercules manum admoliatur, vix cerno quomodo me expediam. Jam triginta & amplius anni ſunt, Auditores, ex quo multa his locis vidi, inprimis vero multas multorum peccatorum confeſſiones audivi, qui omnes quamvis aſſidue in eadem quæ deteſtati ante fuerant peccata reinciderint, tandem tamen, Deo miſerante & adjuvante, vitam emendarunt, & conſcientiæ melius quam antea conſuluerunt, omiſſa peccandi conſuetudine. Impuris amoribus legitimum medetur connubium,

Concionem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

aut certe virium defectus. Profuſam ludendi lubidinem coërcent damna aleatoria, & quæ inde ſequi ſolent, moleſtiæ animi & angores. Fures & metus & pudor ab alienis manus abſtinere cogit. Iracundos humanæ fragilitatis recordatio mites facit. Invidos aliena mala placant & ſatiant. Superbis propriæ vilitatis conſcientia & quotidianæ calamitates criſtas deptimunt. Mendacem probra & contumeliæ in os acceptæ emendant. Blaſphemi, Dei vindicis metu amicorum admonitionibus inculcato, linguæ moderari diſcunt. Omnes denique peccatores, velut ſerpentes, vitiorum leberidem ponunt, & vel maturè vel ſero reſipiſcunt. Et de horum quidem omnium ſalute eſt quod bene ſperemus. At in ſolis Notariis, Procuratoribus, & id genus hominibus omnis ratio ac ſumma ſummarum mihi ad nihilum redire videtur. Antiquum hi ſemper obtinent, ſemper ſui ſimiles, nec ſcio quomodo vel confitentes abſolvi poſſint, (loquor de iis qui minus integre ac fideliter officio ſuo funguntur,) quum exigua pecunia corrupti, aut in amici vel amicæ gratiam (nam & hæc, & præcipuas quidem ſæpe, partes ſuas hic habet) ea ſcribant, ea producant quæ aliorum fortunis, honori, atque

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

etiam capiti periculum creent, & latiſſimam plurimis peccatis aperiant feneſtram. Inſatiabili peccant avaritia. tamquam canina fame rabidi, obvia quæque involant, atque ita cruda per ingluviem demiſſa, infernali calore, quo ipſorum ardet anima, facile concoquunt. Hinc fit, ut illi ipſi numi quos injuſte capiunt ac deglutiunt, ſtatim in carnem & ſanguinem convertantur, nec ſi vel maxime velint, eos deinde excernere queant. Quapropter exiſtimo, ſi quis horum forte in cœlum ingrediatur (neque enim omnes tales forte ſunt, quales illi de quibus loquor,) ſtatim Angelos omnes velut ad inuſitatum ſpectaculum concurrere, & una voce concinere: *Lætanimi in Domino. Notarius in cœlo. Fructus novus! Fructus novus!* Hæc quum dixiſſet, verbum non amplius addidit. Sed ipſe viderit. Mihi vobiſcum nihil rei eſt; quibus ſi locus vitilitigandi detur, non magis quam luſciniæ cantionem, verba ad excuſandum, Replicas, Duplicas, Triplicas, Quadruplicas atque etiam, credo, Centuplicas non defuturas. Veruntamen illud cogitate, aliud ibi fore tribunal, alium judicem, aliam cauſſæ dictionem; tum ſententiam ſine jure provocationis. Ego ad ſemitam redeo, ubi prius illud addidero, patre meo in

Noli me tangere.

ſtro-

ſtrophis illis ac tricis judicariis nihil fuiſſe verſutius. quum vero in his quoque contra manifeſta pæne indicia ac probationes parum eſſet præſidii, in quæſtionem datus, ut fortem virum decuit, tormenta omnia conſtantiſſime pertulit, indignum ratus, totum corpus unius membri, nempe linguæ, temeritatem ac noxam luere. ſimul eadem conſtantia ipſos teſtes quaſi falſi convictos in ruborem dedit.

Vatinium ajunt quum crurum neſcio quo vitio laboraret, in ſeipſum jocari ſolitum, ut Ciceronis ſibi infenſi dicacitatem effugeret. Ita ego quoque, ne quid materiæ calumniatoribus relinquam, etiam minima quæ patri meo exprobrata fuerunt, non ſilebo. Dicere nonnullos memini, ſolitum illum unguenta olere, tum calamiſtris crines inurere, & cincinnare, faciem fuco ac ceruſſa pingere, multaque alia facere quibus mollities denotatur. Quæ ſi fecit, non ſane probârim. mihi quidem nihil certi conſtat. Vidi eum puer, criſpatis capillis, à natura, puto, factis; facie, alba illa quidem, ſed rubicundis papulis velut pyropis diſtincta, oculis cæſiis & prægrandibus. quæ ſi à natura habuit, nemo probro vertere debet, quod vitia ejuſmodi artificio tegere ſtatuit. ſi vero formæ lenocinari

Prævertenda dicteria.

cinari

cinari voluit, me quoque judice cenſoriam virgulam non effugiet. Hæ enim feminarum, & quidem ſeſe proſtituentium, artes ſunt. Et quamvis in deformibus aliquo modo ferri poſſint, quod illius rei, qua unà fere (ceterarum namque virtutum ac bonorum pleræque expertes ſunt.) ſe viris placere nôrunt; defectui remedium ab arte quærunt: videmus tamen nonnullas etiam nativam pulcritudinem ac formæ decus fucis ejuſmodi interpolare ac dehoneſtare, non ſine valetudinis & rei familiaris detrimento. Eſt enim veriſſimum Hiſpanorum proverbium: *La mugier quanto mas mirare la cara, tanto mas deſt uye la caſa.* Nôſti Terentianum iſtud: *Dum molliuntur, dum comuntur, annus abit.* Quanto ſatius eſt matrem familias è ſpecula domum, quam in ſpeculo formam ſuam aſſiduè contemplari? Tum quid attinet tam crebro lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari, poliri, expoliri, pingi, ſingi niſi, forte ſeſe eſſe ut muriatica autumant, quæ niſi multa aqua & diu macerentur, olent, ſalſa ſunt, tangere ut non velis. Quin vos quæ lepidæ eſtis, lepidis vos exornatis moribus? Ad unguenta quod attinet, *Optime illa olet, quæ nihil olet.* Sed ineptias veſtras atque offucias vobis relinquo: quas ſi quis viro-

Fucus viros non decet.

virorum effectare auſit, eum ego vobis noxæ dedendum arbitror, ut ſub regno veſtro vapulet.

CAPUT II.

Quæ & qualis fuerit mater Guſmani Alfaracii & de occaſione contracti inter ejus parentes matrimonii.

GENUÆ annos aliquot commoratus pater meus, Hiſpalim deinde profectus eſt. Ibi dici non poteſt quantum negociorum molem repererit, dum debita flagitat, credita partim negat, partim eludit: quibus tricis tandem ita ſeſe explicuit, ut præter ipſam ſortem, amplius aliquid reliqui fecerit. Quid enim facerent creditores? De vino effuſo colligi debet quod poteſt. Et vero quas ſecum attulerat opes diligenter celabat. Redditus hoc modo negociis, brevi tempore, dextro Mercurio, rem auxit non mediocriter, ita ut certum ibi domicilium figere conſtituerit. Ædes ergo ſibi comparat, agrum, fundos inſtruit: tum prædium ſuburbanum à quodam ex Nobilitate, cui non exiguam pecuniæ ſummam feneri dederat,

Artes decoctorum.

rat,

rat, pigneratur, ac non multo poſt currentibus uſuris, ſuum facit, jam aliquid amplius quam mercatorem ſpirans. Neque enim novum tibi videri debet, ex mercatoribus ære dirutis Nobiles fieri. Dum in foro cum aliis mercatoribus quodam tempore pater obambularet meus, forte fortuna infans ſacro fonte abluendus magna cum pompa ad majus urbis templum deferebatur. Ajebant, neſcio cujus patris, neſcio quem eſſe filium. Turbæ ſe immiſcens (ut erat curioſus) pater meus, ad baptiſterium uſque accedit. vidit ibi mulierem cum ſene quodam, Religioſæ militiæ, ut inſignia & habitus oſtendebant, ſocio, infantem è baptiſmo ſuſcipientem: mulierem, inquam, juvenculam, ſcitulam, bellam, & quaſi ab ipſius Veneris & Gratiarum manibus factam. Quid multis? tam eximia venuſtate captus pater meus, oculos aſpectu ſatiare non poterat; jamque hamo vorato, totus in amore hærebat. Senſit hoc facile ex defixo obtutu aſtuta mulier; ſed non minus prudenter diſſimulabat. Eo mulieres ſunt ingenio, ut etiam ab inferioris conditionis hominibus adſpici gaudeant, ratæ, formam ſuam illis admirationi eſſe. Tacebant linguæ utriuſque, ſed loquebantur oculi, hinc inde amatorium

Ex aſpectu amor

ignem

ignem ejaculantes. Tum quidem pater meus, quamvis ſollicite inquireret, nihil aliud expiſcari poterat, quam domeſticam eſſe ejus cui adſtiterat Religioſi Militis, quîcum ille caput quaſi clam limaret. Diſcedentem oculis quantum poterat, atque etiam ipſo corde proſequutus, quieſcere nullo modo poterat, ſed noctes diesque quomodo tanto bono potiri poſſet, commentabatur. Et *O impii.* videndi quidem eam alia copia non erat quam in templo inter ſacra; alloquendi non item. Mirum in modum anxio commodùm offert ſe vidua quædam, ſub matronali habitu lenoniam exercens artem, ex illo genere quæ Satanicis artibus etiam caſtiſſimarum pudicitiam expugnant. Hac uſus internuncia, epiſtolas miſſitabat, additis quibuſdam munuſculis (quod fidem ſine operibus mortuam cenſeri non ignoraret) quæ illa verbis, ut erat diſerta, ornabat, & ſtipulam gliſcenti flammæ indies ſubjiciebat. Hic diu anceps cura *Artes lenoniæ.* bonam mulierem tenuit. Jam provectæ ætatis erat miles ille: ſcreabat, tuſſiebat, renum, calculi, podagræ doloribus vexabatur. at eam opipare, & laute habebat, veſte, argento, auro donabat, ſoli omnium ſuarum rerum curam committebat. è contra pater meus ſtata erat

ætate,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ætate, ſtatura procera, corpore firmo ac robuſto, moribus ad elegantiam ex ungue factis, animo liberali, omnium denique horarum homo. Nec facultates deerant, quas (ut ſolent amatores ac proci) de induſtria majores quam erant oſtentabat. Tandem re ultro citroque deliberata, ex mulierum ingenio, quæ inſtar primæ materiæ novas formas ſemper appetunt, conditionem ita mutare decrevit, ut præſenti quidem uteretur, de futura autem poſt mortem domini, quam non procul abeſſe videbat, ſibi proſpiceret. Sic enim ratiocinabatur: In hoc omni negotio perſonam meam ac vitam nulli expono periculo: nulla ſupellectile pauperiorem domum meam facio; ſed quaſi lumen de lumine accendatur, illud ipſum quod do, integrum manet, nihil mihi perit. Æquum ſane eſt ut erga benemeritum grata, neque tamen erga alios avara ſim aut parca. Quin ergo ex una fidelia duos dealbo parietes? Duabus ancoris melius tenetur navis: quarum una ſi fracta fuerit, in altera ſpes erit. Hæc quum ita apud ſe conſtituiſſet, proxima illa erat deliberatio, quando, ubi & quomodo patris mei conſuetudine, hero inſcio, uti frui poſſet.

Humana imbecillitas.

Capto tandem cum lena conſilio, pſeu-

pſeudomarito perſuadet, ut ſecum & *N. aſtutiã muliebrem.* cum magna familiæ parte ad locum quemdam amœniſſimum ſeſquimilliari circiter ab urbe diſtantem, animi recreandi cauſſa proficiſceretur. quod ille non gravate fecit. Erat vero ea loci ratio, ut eò proficiſcentibus prædium illud patris mei, de quo ſupra dixi, prætereundum eſſet. Ab eo quum non procul abeſſent, miſera miſerè exclamare cœpit, graviſſimos uteri dolores ſuboriri ſibi conqueſta, & matutinum frigus morbi cauſſam cauſſata. ea vero doloris, jam ambabus manibus ventrem premendo, jam fibulas, quibus pectus conſtrictum erat, ſolvendo, jam caput rotando, ſigna dabat, ut è ſella, qua mulo Hiſpanicarum mulierum more, impoſita vehebatur, detrahere eam neceſſe fuerit, magna cum omnium, de ejus valetudine jam conclamatum exiſtimantium, commiſeratione, etiam viatorum, qui interea multi eôdem loci venerant. & quiſque appoſitum morbo illi, ut putabant, remedium proponebant: quorum tamen nullum erat uſui, quum nec locus eſſet unde peterentur, nec ubi applicarentur. Ad urbem redire erat impoſſibile; progredi magis difficile; in media via ita deſtitutam jacere, probroſum. In tanta conſilii inopia ait quidam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dam è viatoribus: Quin vos, relicto itinere, bonam hanc matronam in proximam illam villam defertis, morbi ſui remedium ibi forte inventuram? Et hic non erat Princeps Sacerdotum, vaticinabatur tamen. Tam bono ac promto conſilio omnibus aſſentientibus, Milite inprimis, mittitur qui patris familias aut domeſticorum voluntatem exploraret. Ei oſtium pulſanti ancilla à patre meo qui clam ibi erat, de omnibus quæ facienda eſſent edocta, (quamvis & ipſa in his plusquam nimium ſaperet) occurrit, & licet herus abſens eſſet, liberaliter omnia pollicetur. nec mora. delata excipitur comiter, portatur in cubiculum egregiè ornatum, in lectum collocatur, incenduntur odores, apponitur menſa exquiſitis cibis ac bellariis exſtructa, caleſiunt lintea tergendo utero: quæ tamen illa non ventri ſed inferioribus membris applicuit, ne forte ſtomachus inde motum aliquem ac ſolutionem ſentiret. Sedatis jam quodam modo doloribus, dormire paullum ſe velle ait. quo lætus Miles, feneſtras omnes occludi, ac familiares abire jubet: dein etiam ipſe in proximos diſcedit hortos, diligenter edicens omnibus, ne quis cubiculum ingrederetur, aut clamore vel ſtrepitu quieſcenti moleſtus
eſſet:

eſſet: dato viduæ illi lenæ negocio, ut curam ejus haberet, & quamprimum evigilaſſet, ſibi renunciaret. In proximo interim conclavi latens pater meus hæc omnia audiebat: jamque altiſſimo ubique ſilentio, per pſeudothyrum, cubiculum ingreſſus, lena interim in excubiis ſtante, ea remedia ægræ mulieri applicat, quibus intra bihorium perſanata fuit. Jam dies multum proceſſerat, quocirca Miles moræ pertæſus, & conſilium vel ad conſtitutum locum progrediendi, vel ad urbem redeundi, ex Amatæ valetudine capturus, ad cubiculum in quo mater mea jacebat, viam rurſus affectat. de quo certior factus Jovialis Amphitruo, ad prius illud ſuum ſtabulum ſe recepit: inde mox per poſticum ſe proripiens, clam omnibus Hiſpalim regreditur. Suſpenſo gradu appropinquantem Militem ſentiens mulier, quaſi è gravi ſomno evigilans, Hei, inquit, moleſtos homines! ſiccine vel unius momenti quietem mihi invidetis? Tum Miles ſeſe excuſans, dolere ſibi dixit quod intempeſtive eam excitaſſet: ac lubenter diutius exſpectaturum fuiſſe, niſi jam à ſomno relictam exiſtimaſſet, ut quæ jam duas integras horas dormierit. Egon, inquit mulier, duas horas? At ita valeam, ut ego jamjam modo ob-

obdormiſſe mihi videor! ſed quantulumcunque fuerit pauxillum hoc temporis, vix umquam certè ſuavius me quieviſſe memini. multumque laudato quod applicitum ipſi fuerat remedio, à quo vitam accepiſſe ſe ajebat, lætum præ ſe ferebat vultum; quo magnopere recreatus Miles, non invita, immò ſuggerente ipſa, eum diem ubi erant loci, hilarem agere ſtatuerunt, ut cujus non minor eſſet quam ejus ad quem ibant amœnitas. Mox ergo quidquid ſecum attulerant cibi ac vini depromitur, ac menſis infertur, & non ab hero ſolum & hera, ſed à domeſticis quoque Saturnalia celebrantur.

Ea non minus viris uſitata.

Solutis in lætitiam omnium animis, pater meus Hiſpali, uti ſolitus erat, equo ad villam revectus ſupervenit. Occurrit ſtatim Miles. Importunitatem ſuam vel impudentiam potius, ignoti hoſpitis liberalitate abutentis, repentino & in ipſa via orto mulieris morbo excuſat: viciſſim officia quæque pollicetur. Non minus artificioſis verbis mulieris caſum miſeratus pater meus, de tanti viri amicitia inde conciliata ſibi gratulatur; tum reliquis ceremoniis ita defungitur ut ex vervecum patria non eſſe facile appareret. Sublatis menſis, chartæ luſoriæ poſcuntur: quo in ludo pater meus ita pugna-

gna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

gnabat tamquam qui vincere nollet, omni lucro ad Amatam jam utique redeunte. Appetente jam nocte, cymbam frondentibus ramis ornatam, conſcendunt, & Muſicis deambulantium concentibus, quod fieri eo tempore & loco amat, utraque ripa perſonante, in urbem reventuntur. Contractam ex eo amicitiam pater meus diligenter poſtea coluit, Militem omni honore, & quibus poterat officiis proſequens, contubernalem vero ſeu thori participem quæ placere intelligebat munuſculis demerens; ita caute tamen, ut bono ſeni nulla daretur ſuſpicionis anſa. quod facile erat Pœno homini, in Genuatum ſcholis erudito: tum mulieri Bæticæ, coccyce, quod dicitur, vere aſtutiori, & ab ineunte ætate iis quas dixi artibus aſſuetæ. Vix credi poteſt quam lucroſum hoc fuerit matri meæ contubernium. Pauciſſimis certe annis, ut ipſam non ſemel mihi narrare memini, ab utroque plus tribus ducatorum millibus corrogavit, præter mundum muliebrem variamque ſupellectilem, rei faciundæ unice intenta. Non enim ignorabat, quam raro ejuſmodi occaſiones homini ſe darent: quibus niſi utaris, cum ipſo tempore è manibus quam velociſſimè elabuntur. *Artes muliebres.*

Erat, ut ſupra dixi, bonus ille homo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Etiam divites mortui inopes.

jam ante provectæ ætatis ; mater ve[ro] mea adoleſcentula, forma ac morib[us] plane illecebroſis, ex quo factum e[st] ut effetus ille ac viribus exhauſtus n[on] multo pòſt vitam cum morte comm[u]taret ; matremque meam, ſuperſtite[m], quæ ſæpè antea jurarat ſine ipſa ſe v[i]vere non poſſe, ut & ipſe illam vita[m] ſuam appellabat, & ſe ipſum menda[cii] convicerit. Dum animam ille agere[t], animam quoque agebat res ipſius fam[i]liaris, omnibus qui tanquam vultu[res] ad cadaver, convolaverant, quod qu[is]que poterat, ad ſe rapientibus. Sed m[e]lior ſors erat matris meæ, cui tamqua[m] promæcondæ, vivus ille, traditis cla[vi]bus, omnia crediderat. Quid mult[a]? Multorum, quamvis non conductoru[m] ſedulitate omnes ciſtæ exenteratæ ac t[o]ta domus ita perpurgata fuit, ut vix l[in]dicula involvendo cadaveri ſuperfu[e]rit, non ſine cognatorum maximè [&] affinium, & admiratione & indignati[o]ne. Diligenter quidem inquirebatu[r], quo tandem opulenti ſenis (ita namq[ue] putabatur) fortunæ devevisſent, a[d]xis etiam cenſuris Eccleſiaſticis : [ſed] minus nihilo poterat deprehendi. Qu[o]tus quiſque enim facto aut fraude ab[la]tum ultro reſtituit ? Mater mea, qu[æ] omnium ſuſpicionibus deſignabatu[r]

ita ſe purgavit, ut diceret, nunquam illum congerendarum opum ſtudioſum fuiſſe, ſed eo quod præ manibus erat uſum, pauxillum quiddam ab illo ſibi non donatum, ſed bene & cum pœna coporis meritæ mercedis loco datum. Nec rei tantum, ſed conſcientiæ quoque volens conſulere, Juriſconſultos interrogabat: à quibus reſponſum fuit, ejuſmodi donationes conſcientiam minime lædere: nec repudianda eſſe talia munera, quæ licet turpiter acquirantur, honeſte tamen accipiuntur. Nullibi mihi magis verum viſum eſt uſitatum illud verbum, quo divites fame; pauperes ingluvie; & quibus ſuus non eſt, heres, Eccleſiaſtici inprimis, nuditate & frigore mori dicuntur. Divites enim perpetuo valetudinis tuendæ ſtudio ad Medicorum præſcriptum tam ſobriè edunt ac bibunt (nolo hic quidquam de illis dicere quibus avaritia ſobrietatis eſt magiſtra.) ut vix unquam de menſa ſaturi ſurgant. quod ſi morbus, vel morbi ſaltem ſuſpicio ingruerit; adeſt ſtatim Medicus, cibum, potum unciatim diſpertit, vini uſum, & quidquid fere palato ſapit, interdicit, potiones medicatas propinat; quibus corpus non nutritur, ſed emaciatur, donec tandem quaſi fame conta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

beſcat & emoriatur. Pauperes ut in vita ad exſatiandam quaſi congenitam famem, avide in ventrem omnia congerunt; ita poſtquam ægrotare cœperint, à notis & vicinis ex Chriſtiana charitate certatim aggeſtis varii generis eſculentis ac poculentis tantum non obruuntur. Videas etiam mulierculas nonnullas nimia pietate inductas per noſocomia & Xenodochia cum caniſtris & ſportulis delicato cibo plenis diſcurſantes, quæ dum miſeris eleemoſynam dant, vitam adimunt, cruditate ſtomachi nimis multa ingeſta concoquere non valentis, enectis: Eccleſiaſtici denſque & quibus nulli fidi ſunt domeſtici, ſi in morbum inciderint, & veſtiarium & bona ſua omnia diripi vident, ita ut miſeris vix lectus in quo cubant, relinquatur, atque ita cum frigore confli-ctandum ſit. Sed ad rem.

Curruca. Quo tempore mater mea, licet nupta nunquam fuerit, vidua facta eſt, ego jam quadrimus eram: jam tum quum naſcerer tanto felicior, quod velut alter Hercules, duos haberem patres, à matre mihi certa feminini calculi arte, aſſignatos: quod an per Naturam fieri poſſet, Medicorum diſceptent filii: Ego ut utrique palpabar ac pueriliter ablandiebar; ita uterque me amplexibus,

oſcu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

oſculis obruebat, ac pro ſuo agnoſcebat. Ajebat ille, me vivam eſſe ſui imaginem, nec ovum ovo eſſe ſimilius: alter, ſuum vultum in meo ſpectari; per quem ſi vel cæcus manum ducat, tantam quanta vix uſquam eſſe queat, ſimilitudinem facile ſit deprehenſurus. Illud tantum erat diſcriminis, quod qui putabat ac profitebatur ſe patrem meum eſſe, non erat; qui vero erat, quoad ille alter viveret, diſſimulabat. Hæc ego non ex conjectura, ſed matris meæ relatione habeo: qua nullus ad honorem teſtis eſt magis idoneus aut fide dignus. Quocirca omni meliore forma ac modo proteſtor contra illos qui incertum eſſe dicent, utri horum, aut forte tertio alicui ortum meum debeam. Næ illi omni odio digni ſunt qui nodum in ſcirpo quærunt, & ignota nihilque ad ſe pertinentia inveſtigant. Quid enim ipſorum refert, duos ego an tres, Sejum an Mævium patrem habuerim? Mihi ſatius eſt multos quam nullum habuiſſe patrem. Et ipſi matrem forte, patrem non facile poſſent oſtendere. Nec mirum, quum etiam Telemachus num Uliſſis eſſet filius, rogatus, reſponderit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Odyſſ. Μήτηρμὲν τ᾽ ἐμέφησι τοῦ ἔμμεναι αὐτὰρ ἔγωγε

Οὐκ οἶδ᾽ οὐ γὰρ τοί τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Eſſe quidem illius mater me ait : aſt ego ſane

Neſcio. nemo ſuum patrem nam noverit ipſe.

Sed abſit ut cujuſquam matronæ caſtitatem ſugillemus. illud tantum Quodlibetariis diſcutiendum hic relinquo, an firmiori nitatur ratione Salica Gallorum lex, quæ liberos è maſcula tantum regii ſanguinis ſtirpe progenitos ad regnum admittit, an illa neſcio cujus non ita pridem cognitæ gentis, quæ reges à feminina proſapia petit. Ad me quod attinet, quin matris meæ fuerim filius, neminem ambigere memini. Quod ſi patris cauſſa vitium aliquod fuit in natalibus, illud ab eo ipſo fuit emendatum, ducta in legitimam uxorem matre mea, ſenis illius contubernio jam viduata. Nam etſi non ignorabat quæ eſſet omnium de ea exiſtimatio & fama; vicit tamen omnem honeſtatis rationem pecuniæ, quam penes ipſam eſſe ſciebat, cupiditas. Non parum quoque apud eum potuit mei amor, quem jam ante filium ſuum eſſe ſibi perſuaſerat: tum priſtinæ illius furtivæ cum matre

mea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

mea conſuetudinis recordatio. Peractis ſine magna pompa nuptiis, pater meus nihil aliud agere quam comeſſari, ludere, domi foriſque immenſos ſumtus facere: quibus quum redditus minime reſponderent, jaceret interim negociatio, paucis annis & dos matris meæ, quam ſibi ipſa acquiſierat, cujus precium non minus erat decem ſcutatorum millibus, & prædium Alſaracium abſorpta ſunt. Nec multo poſt pater meus non tam morbo quam mœrore confectus, è vivis diſceſſit.

Tam inopinato fulmine icta mater mea, indies conditionem ſuam ex mala pejorem fieri ſenſit. Non infamia tantum, ſed odio etiam apud pleroſque omnes, maximè honeſtos, laborabat, intolerabili arrogantia, quam in omni ſuperiori vita præ ſe tulerat, collecto. Nec enim inuſitatum eſt, ejuſmodi notæ homines ſupra alios ſeſe efferre; præſertim ſi paullo ſecundior fortuna eis adſpirarit. Sed putidæ iſti ſuperbiæ Nemeſis tergum premit. Quod quidem mater mea bene eſt experta. Ubi namque amici juxta atque inimici tantum non ad incitas redactam vidêre, ſtatim velut ſolutis omnium linguis, qui antea in occulto detraxerant, miſeram publicis ſermonibus & conviciis proſcindebant, immò *Viduarum conditio.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

pipulis quoque differebant, repetita non modo ipſius & patris mei, ſeu potius patrum meorum hiſtoria, verùm etiam ad avum atque aviam uſque producta.

Proles parentum ſimilis.

Narrabant enim, quomodo avia mea, pro eo quod mater mea duos, duodeviginti habuerit viros, eosque omnes ita cicures ac manſuefactos, ut tanquam pulli gallinacei ſine ullo prœlio aut dimicatione ex eodem vaſe ederint ac biberint, una atque eadem corte incluſi, ex quo facile poteſt intelligi, quam patrum dives fuerit mater mea. Singulis enim eorum aſtuta mulier, immò unuſquiſque ſibi perſuaſerat, ſe verum patrem eſſe. unum tamen præ ceteris magnifaciebat, qui nuper è Peruana venerat, & aurum atque argentum corbibus aggerebat. In eo aviæ meæ ſors multo erat potior, quod filiam haberet, qua ſe familiamque facile ac commode ſuſtentabat: at matri meæ filius erat, ad perdendum tantum, non ad lucrandum natus. Quod ſi ſoror mihi, matri filia ſe digna obtigiſſet, equidem medium oſtendiſſemus Fortunæ digitum; quum Hiſpali in tanta varia negocia exercentium multitudine nunquam defuturi fuerint precioſi dedecorum emtores. ſin iſthic ad lubitum res non ſucceſſiſſet, uti flumina omnia mare, ita me quoque

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

que ac meos Aula recepiſſet. Vidi quippe ibi ad officia, commiſſiones, præſertim peregre obeundas, nullas facilius promoveri quam quibus domi aut mulier, aut ſoror formoſa & amabilis eſt. Horum nihil quum mihi eſſet, nec ulla daret ſe arbor, quæ umbram mihi faceret, relictis matre ac patria, tentandum mihi duxi, an fortunæ meæ faber ipſe fieri poſſem.

CAPUT III.

Prima Guſmani peregrinatio.

ERam, ut dixi, viduæ filius, tenellus adoleſcens, mollitie & luxu perditus, ſine diſciplina tam paterna quàm materna, in meris deliciis, non minus quàm Toletani alicujus prædivitis mercatoris filiolus, educatus: quibus paullatim deficientibus, quamvis ægre è complexu matris avellerer, non tamen amplius tantam fortunæ mutationem ferre ſuſtinebam. Animum addebat ipſa ignorantia, omnem aliam terram non minus quam patriam propitiam ac deliciarum feracem mihi fore imaginanti. Accendebar quoque deſiderio paternos amicos ac cognatos foris vi-

Adoleſcentiæ imperitia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dendi: quos certatim ad me excipiendum, fovendum, vel manibus deportandum, atque adeò inaurandum occurſuros mihi perſuaſeram. Quid multis? Sabinorum more modoque ſomniabam. Sed idem mihi accidit quod cani Æſopico, relicto quod in ore habebat carnis fruſto, umbræ ejus quod in aqua aſpexerat, inhianti. Quamprimum fere extra portas pedem extuliſſem, ſubito neſcio quæ mœſtitia ita me invaſit, ut duo quaſi Nili ex oculis meis erumpere viderentur. Sic lacrymis totus madens, & animi anxius, quum ſuſpenſo velut inter cœlum ac terram gradu ſpacia aliquot confeciſſem, multo magis turbari cœpi, ut appetere jam noctem ſenſi. Jam ad fanum S. Lazari, quod uno ferè miliari Hiſpali abeſt, perveneram: ibi paullisper conſidens, excuſſis diligenter omnibus meæ vitæ rationibus, quum me ad iter tam malè paratum animadverterem, domũ reverti decrevi. Nam & contra hibernum gelu veſtibus malè armatus eram; & nullo pæne (quod mali caput erat) viatico inſtructus. non pranſus fueram, non cœnatus. quod ſi mihi mens non læva fuiſſet, prius aliquid alicunde in zonulam corraſiſſem pecuniæ, & in peram aliquid cibarii condidiſſem, quam iter eſſem ingreſſus. Tum quidem

N. peregrinatu-ri.

dem primùm ego intellexi quantum interſit inter ſaturum & famelicum ventrem; & quam pulchrè ſaperet Plautinus ille paraſitus, qui homines nequaquam catenis vinciendos, ſed eſcariis vinclis adſtringendos cenſet.

Quem (inquit) *tu aſſervare rectè, ne aufugiat, voles,*
Eſca atque potione vinciri decet.
Apud plenam menſam homini roſtrum deliges.
Dum tu illi quod edit & quod potet præbeas
Suo arbitratu atque affatim cotidie:
Numquam edepol fugiet, tametſi capitale fecerit.

Labores certe omnes & ærumnæ quantumvis graves victus copia ac benignitate leniores redduntur. at ſi ad labores adjungatur fames, nihil miſerius vel cogitatione fingi poteſt. Quin etiamſi cetera omnia abunde adſint, deſit autem ventri cibus: ceteris omnibus unum hunc defectum redimere penſi nihil habeas. Non ſine cauſſa famem *maleſuadam* dixit Poëtarum princeps. exemplis, quæ nimis quamplurima ſuppetunt in re odioſa, non utar. Tali incommodo tum primùm conflictatus, omnique deſtitutus & conſilio & auxilio, nihil aliud quã hinc profundam voraginem, illinc al- *Victus optimum in vita.*

tiſſimum præcipitium oculis meis ſubjecta videbam. Tandem fruſtra defatigato variis cogitationibus animo, rem omnem Deo committere decrevi: ac templum, quod dixi, ingreſſus, tanto breviori (quam devota aut efficace, neſcio) Deum comprecatus ſum, ut iter meum ac cœpta omnia fortunare vellet, quod appetente jam nocte, ædituum in claudenda æde jam occupatum viderem. Sic deprehenſus, in porticu cubile quæſivi, ac profundo oppreſſus ſomno totam noctem in multum uſque diem dormivi; ipſa melancholia forte ſomno materiam ſubminiſtrante. Equidem, credo, adhuc ibi jacerem, niſi mane muliercularum quarumdam cum nova nupta ad Eccleſiam venientium, & pro more patriæ cantu ac cymbalis perſtrepentium adventu fuiſſem excitatus. Quum ægre ad me rediiſſem, cibo inanis, plenus tamen ſomnolentia, multo minus quam antea quid agerem conſtitutum habebam; immò vix ubi locorum eſſem, ſciebam: adeoque experrectus ac vigilans ſomniare mihi nihilominus videbar. Tandem recurrente quas heri aggreſſus eram rerum memoria, cum animo ita conſtitui: Quod felix fauſtumque ſit, ac mihi ſalutare: jam jacta eſt alea. Itaque cœptum iter proſequar;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſequar; quo tamen irem, plane adhuc incertus. Optimum viſum eſt ut maximè tritam viam ingrederer, quocunque tandem illa duceret. Ducebant me pedes, ſequebar ego ambulans, nihil penſi habens, ſed rem omnem divinæ providentiæ committens: ad exemplum neſcio cujus Medici, qui literarum & artis ignarus, ſi forte ad ægrum veniſſet, non conſiderata morbi aut ægrotantis natura (quî enim poſſet, homo rudis?) unum aliquod medicamentum ex innumeris, quæ chartis perſcripta aſſidue ſecum circumferre ſolitus erat, veluti ſorte ducebat, prius Deum comprecatus, ut bene conveniens ac ſalubre in manus ſibi mitteret. Itidem ego ſine ullo filio quaſi labyrinthum ingreſſus, progreſſum, exitum & omnia ſoli Deo commiſi. Poſtea certe expertus ſum etiam mala bonis in bonum cedere, modo Deo morigeros ſe præbeant, & quæ à manu ipſius proficiſcuntur, patienter ferant. Me quidem omnis generis ærumnæ ab initio peregrinationis meæ ita perſequutæ ſunt, ut vix reſpirandi mihi ſpacium conceſſerint. Sed pleræque harum non erant ex illis quas Deus immittit, ſed quas ego mihi ipſe jumento meo accerſiveram. Immane vero quantum hæ ab illis diſcrepant. Quæ à

manu

manu Dei veniunt, purum putum aurum ſunt ſcoria involutum, gemmæ precioſæ, ſed rudes & impolitæ, roſæ inter ſpinas: ad ſalutem, non ad perditionem natæ & datæ. In quas vero homines ſua ipſorum culpa ſe conjiciunt, viperarum ſunt morſus, ictus ſcorpionum in ſinu latentium: in quibus illud multo omnium peſſimum eſt, quod ipſa conſcientia vix ulla admittit ſolatia, quæ ſuperioribus illis abunde ſuppetunt. Sed in hoc velut rationum libro utramque paginam peccata noſtra faciunt: quibus eluendis, univerſum omnium miſeriarum mare ſatis non eſt.

Hoſpitiorum deſcriptio.

Sed ut ad me redeam, quum eo die ad duo fere milliaria progreſſus eſſem, jam ad Antipodas perveniſſe, & quaſi alter Columbus, novum terrarum orbem reperiſſe mihi videbar. commodùm in via hoſpitium video. ingredior, feſſus de via, fame & ſiti confectus. Meridies erat, ipſum prandendi tempus. Rogo hoſpitam ut cibi aliquid apponat. illa nihil præter ova ſe habere respondit. atque utinam ne hæc quidem habuiſſet. Sed quid ova dico? Equidem quid gallinæ quæ illis incubuerat acciderit, neſcio; hoc ſcio non tam ova quam pullos incruſtatos fuiſſe. Credo gallinam matrem à vulpe aut hoſpitibus devo-

devoratam antequam ova excluſiſſet; quorum jacturam ne faceret frugalis mulier, bonis illa & ſinceris miſcuit, mihique, dignas labris lactucas forte exiſtimans, appoſuit. Ut me ergo vidit puerum valentulum, vultu ac totius corporis lineamentis haud deformem, manu leniter per frontem ducta mentum mihi permulcens, Quam viam, inquit, noſter hic inſiſtit nepotulus? Ad tam fœdum contactum exhorreſcens, ac pluſquam nauſeabundus, O mater, inquam, non audis inteſtina mihi latrantia? Succurre famelico. de itinere meo poſtea & rogandi & reſpondendi tempus erit. Commodum tum accidit ut ſtomacho eſſem plane vacuo, alioqui omnia funditus ejecturo. Tum feſtinabunda illa ſcabello fracto inſidere me jubet, apponit menſulam in qua paullo ante vituli inteſtina purgaverat, ſordium reliquias tegente mappa pæne ſpurciore. pro ſalillo fundus erat fractæ lagenæ fictilis, poculi vicem explebat catillus ater ligneus. Tali apparatu dignæ mox dapes afferuntur: panis furfuraceus, placenta male cocta, ipſo furno nigrior, emplaſtrũ potius dixiſſes. Quid multa? & ipſa hoſpita, & panis, & omnis apparatus tam erant ſibi ſimilia quam aqua aquæ: ex eodem puteo ſcilicet hauſta. Facile videbam

domi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

domi me non eſſe; ubi nec ipſæ deliciæ ſatis mihi placebant? Sed quid facerem? Et ova illa, vel potius incruſtati pulli gallinacei, & quidquid oppoſitum erat, in ventrem meum tranſierunt. Illud tum intelligebam, Optimum condimentum eſſe famem, cibi tamen defectum ſupplebat vini bonitas, quo animi ac corporis vires mediocriter reſtauravi. In viam inde regreſſus, dum totius ille apparatus, & inprimis ipſius hoſpitæ ſordidiſſimus habitus animo ſubinde occurrit, dum miſeros pullos inteſtina mihi quaſi roſtris impetentes ſentio; tanta ſtomachum meum invaſit nauſea, ut velut à fundo commotus, quidquid ingeſtum fuerat ejecerit. Sic languidus omnino ſub proximæ arboris umbram me recipio, paullum quietis capturus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT IV.

Agaſoni narrat Guſmanus quid ſibi in caupona acciderit. is viciſſim cum multo riſu duas illi ſimiles narrat hiſtorias. De injuriis condonandis Diſſertatiuncula.

DUM variis curis ac cogitationibus diſtractus, mentum una ſuffulciens manu, humi ita recubo, Agaſonem ecce vacua armenta Cazzagliam verſus (erat id proximum oppidum) agentem: qui ut turbatum me ac triſtem plane vidit, cujas eſſem, unde venirem, quonam irem, aliaque quæ ſolent, percunctatus eſt. Reſpondeo quæ viſa erant: & inprimis quid in caupona mihi acciderit, narro. Heic ille in tantum repente riſum effuſus eſt, ut ſibi pæne ilia diſſolverit; mihi vero bilem non mediocriter accenderit, adeo ut tota mihi facies paullo ante inſtar mortui pallida, ſubitaneo rubore ſuffunderetur. Hem, cogitabam; ſceleſtum hominem qui fortunam tuam non modo non miſeratur, verum etiam deridet! Et hanc quidem, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ut mihi videbatur, injuriam ulciſci miſere cupiebam. Sed vanam ſine viribus iram eſſe facile intelligebam. Sane prudenter eos facere judico, qui quod mutare non poſſunt, diſſimulant, & pro ira patientiam animo imperant. Quid enim miſellus ego, cum omni mea indagatione lucri feciſſem. Traduxiſſem ſcilicet me ipſum; & una cum majori ludibrio periculum quoque mihi acceſſiviſſem. Non continere tamen me poteram quin caperata fronte ac vultu adducto ita alloquerer cachinnantem: Quid tu, mi homo, an dignum me riſu ac ludibrio exiſtimas? non te pudet jacenti inſultare, & afflicto afflictionem addere? Ille quaſi non exaudito ſermone meo, multo magis ridere, adeoque in cachinnos effundi, ut ambabus manibus ventrem continere cogeretur, & jam jamque aſino delapſurus videretur. Favebam ego lapſabundo: is vero ubi paullum ſe collegit, Non tuam, ſingultiens adhuc riſu, inquit, ô adoleſcens, quæcunque illa ſit fortunam (abſit enim à me talis inhumanitas ut ſim ἐπιχαιρέκακος, id eſt, *alienis malis gaudens*) ſed id quod ante bihorium fere in ea quam dicis caupona accidit, rideo. Tum pergens, numquid obvios hodie habuiſti duos adoleſcentes, militari habi-

Mœror ſuſpicax.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

habitu veſtitos? Ego, inquam, ſi recte memini, non illos quidem obvios habui, ſed egreſſus in cauponam modo adventantes reliqui. & ſane uterque ferοculus mihi videbatur. Non erras, inquit ille. Sed audi quid fecerint. interim vero dum narro, aſino huic inſide, ut commodius unà quod ad oppidum uſque reſtat viæ conficere poſſimus. Tantam in agreſti ingenio, ut paullo ante mihi videbatur, humanitatem exoſculatus, quum jumentum conſcendiſſem, non procul inde duos ætate & habitu venerandos viros aſpicimus, ſub arbore adventum noſtrum præſtolantes. Ad eos ubi venimus, idem beneficium petunt quo ille ultro me affecerat. Nihil ille tergiverſatus, exiguam tantum mercedem pactus, utrumque in vacua jumenta recepit. Mora hæc dici non poteſt quantopere deſiderium id quod in caupona acciderit cognoſcendi auxerit; tanto magis quod neſcio quid in caupona illa deſignatum, & horribilem de peſſima muliere vindictam ſumtam, cogitatione mihi fingebam. Sic hominum eſt ingenium. Quas aliis faciunt injurias (& quotuſquiſque eſt qui hoc ipſum poſſit agnoſcere? immò pro beneficio nonnulli imputant, quod ſumma eſt injuria) leves putant, quas

Agreſtis humanitas.

Quiſque ſibi blanditur.

vero

vero ab aliis accipiunt, aut accipere ſibi videntur, vix ullis pœnis expiandas credunt. Jam ego igne cœlitus demiſſo cauponam combuſtam, jam impiam mulierem à terra abſorptam, aut ad minimum, à duobus illis Martiis pullis arbori alligatam & ad necem uſque plagis oppletam mihi imaginabar. Sed ſi non planè puerili fuiſſem ingenio, facile ex immoderato hominis riſu magis joculare aliquid quam triſte animo concepiſſem. Urgeo hominem ut narrare pergat. ille ſic infit: Duo illi de quibus dicere cœpi juvenes in eadem qua tu caupona non minus laute tractati ſunt, ſed minus gratam hoſpitæ ſymbolam ſolverunt. Ex eodem ovorum genere placenta eis fuit oppoſita: ſed quum illi vitella jam oſſiculis obriguiſſe deprehendiſſent, diſſimulata nauſea, ecquid aliud edulii in promtu eſſent quæſiverunt. Commodùm piſcator mullum prægrandem in cauponam attulerat hoſpitæque vendiderat: quem illa exenteratum, in fruſtra ſectum & modico ſale conditum penori incluſit. Tum alter, Mea mater, inquit, piſcem illum nobis vende, & fruſtum unum aut alterum nobis in prandium para: quod reliquum fuerit, ad cœnam reſervabimus. Licitantur. addicit illa multo majoris quam

Pulcher error.

antea

antea emerat. Fruſtum unum elixum, alterum aſſum illis apponit: reliquum illi ſtrophio involutum in peram condunt. Jam ſaturi, alter placentam clam dextra capiens manu, vetulam aliis negociis occupatam, quaſi ſymbolam poſciturus, accedit, & in os, oculos, totamque faciem placentam (ex ovis dicam an pullis?) ita impingit, ut quaſi omni ſenſu amiſſo obſtupeſceret, & extra ſe eſſet. Accurrit mox alter, & ſodalem objurgans, ſcilicet, calido cinere faciem emplaſtratam ita ei opplet, ut piſci ad frigendum apparato ſimilis videretur. Hic iterum bonus ille homo in tantos cachinnos effundi, ut narrationem pertexere non poſſet. Nos ridentem ridemus. ille vero, quæſo, inquit, ignoſcite. Mihi quotieſcunque vetulæ illius impuriſſimæ ſpectaculum animo occurret, quoad vixero, materia riſus nunquam deerit. Tum ego, Mihi vero ſemper erit ut doleam, quod de peſſima illa ultionem ipſe ſumere non potui: gaudeo tamen à duobus illis meam vicem ſuppletam: quibus, ſi poſſim, lubens bene faxim. Erit tamen forte ubi meipſum quoque ulciſcar.

Sic datur.

Hæc quum alter comitum noſtrorum audiiſſet, ſermonem meum vultu aſpernatus, Hæc verba, inquit, ô adoleſcens,

Contra vindictæ cupidos. leſcens, ſplendida tibi bilis ſuggerit: non verò dubito, ſi mihi auſcultaveris, quin culpam in eo tuam ſis agniturus atque etiam in poſterum vitaturus.

Deus ac Servator noſter Jeſus Chriſtus omnibus ſuis fidelibus ſtricte imperat, ut inimicis omnes condonent injurias, immò benefaciant quoque iis à quibus odio habentur. Ubi notandum eſt, non jubere uti bene iis faciamus, qui nobis male faciunt. Poteſt quidem inimicus odiſſe te, malè facere tamen tibi non poteſt, ſi tu nolis. Quum enim ea tantum verè bona ſint quæ ſemper durant, nec ulli mutationi ſunt obnoxia: manifeſtum eſt illa quibus hodie abundamus, cras caremus, in malis potius quam bonis habenda, ut quæ multorum malorum cauſſæ ſunt, dum iis confiſi, nos ipſos perdimus. Quod ſi verè loqui velimus, inimici ſunt quos pro amicis, & amici quos pro inimicis habemus. Tu quidem eum amicum putas qui vel facultatibus ſuis te juvat, aut favore ſuo te provehit, aut aliqua alia ratione commoda tua promovet. Sed ô Deum immortalem, quanta eſt ejuſmodi amicorũ paucitas!

—Vix ſunt numero totidem quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Benevolentiam ſcilicet oſtentant plerique, beneficentiam vix quiſquam. Amici

ci omnes tibi ſunt, ita tamen ne oneri ſis aut ſumtui. Sed eſt talis aliquis, qui liberali quocunque opus eſt in te conferat manu: quantillum hoc ipſum eſt? Quod ſi omnes ſuas tibi facultates largiatur, nunquid iis animam tuam ex inferno redimet? & hodie quidem noſtri divites pecunias ſuas & talia non in virtute præditos, ſed in cupiditatum ſuarum miniſtros profundunt. Si vitæ tuæ pro me facias jacturam, ad meam nihil tamen addideris. Si honoris; non honor ille erit, ſed ignominia. Verus enim honor eſt, Deo ſervire. quidquid extra hoc eſt, malum ac turpe eſt. Dum ergo temporalia mihi das, vana das, inutilia, non rarò etiam noxia. O quam multi parentes, dum opes accumulando liberis prodeſſe volunt, eoſdem perdunt! Fit enim plerumque ut laborioſe à majoribus, non citra ſordes & peccatum, quæſita vel turpiter à filiis aut nepotibus profundantur, vel ab iiſdem ad aliquorum detrimenta, proximi facultates exſugendo, uſurpentur. Sic illos luxus, hos avaritia ad infernum deducit: ipſis parentibus materiam ſuppeditantibus. Nocet ergo non raro amicus; at inimicus ſemper prodeſt, modo nos ipſi velimus. ſi male ille mihi voluerit; ego illi bene: certus jam ſum

Siniſtra liberalitas.

Hoſti bene faciendũ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

de Dei erga me benevolentia. Si parvam ei condonem injuriam; mihi omnia peccata mea remittentur. Si maledicenti benedicam, nihil mihi nocebunt ipſius maledictiones, benedictio vero mea id promerebitur, ut ad me quoque pertineat vox illa Chriſti in extremo judicio ſuos ita vocaturi: *Venite benedicti Patris mei.* Vides ergo quomodo ſuis cogitationibus, verbis, factis, noſtra emendet nobiſque utilia reddat inimicus. Non nego magnam rem ac pænè ſupra hominis vires poſitam eſſe, inimicum diligere. Sed nobis illud tantum conſiderandum, Dei hoc præceptum eſſe, non vero illud, quam difficile ſit. Quod ſi terrenorum Principum mandata, qualiacumque illa ſint, diligenter obſervamus: quanto magis cœleſtis Monarchæ voluntatem exſequi debemus? qui ſi dicat; *Hoc volo*: tu quale hoc ipſum ſit non multum laborabis, ſed animum rebus omnibus relictis, ad obedientiam flectes. Et tamen hic quoque imbecillitatis noſtræ rationem habet benigniſſimus Deus, medicos imitans, qui ut non crudas radices, flores, aut herbas, ſed ſaccharo ac melle conditas, ac diligenter præparatas ægris porrigunt: ſic ille hujus ipſius præcepti aſperitatem fructus, qui ex ejus obſervatione provenit,

Dei juſſu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

venit, dulcedine mitigat ac lenit. Quamquam fruſtra ac ſine cauſſa præcepti hujus difficultatem accuſamus. Age enim, ſi dux militum ab imperatore arci cuidam cuſtodiendæ cum præſidio eſſes impoſitus, cum mandato, ut ne his omnino contra hoſtem tranſeuntem moveas, nec ad pugnam ullo modo prolectari te ſinas. Jam ſi ille contumelioſis tibi verbis inſultet, & ignaviam exprobret; numquid tu illius injurias ridebis potius quam vindicabis; etiamſi poſſis? tantum ut ne imperatoris mandato poſthabito, in militarem pecces diſciplinam, & graviſſimam hoc ipſo pœnam incurras. Cur idem Deo non præſtemus? Chriſtum ſervatorem noſtrum vide, ſuo exemplo nobis præeuntem. *Chriſti exemplo.* Percuſſus, non repercuſſit, ſed ſceleratum hominem erroris ſalutariter admonuit. non inſidiatus eſt inſidiantibus, non convicia dixit conviciantibus, ſed omnia tulit patientiſſime: & tamquam agnus innocens, ne tum quidem quum tonderetur atque adeò mactaretur, os ſuum aperuit, niſi pro inimicis deprecando. Idem fecerunt dilecti Deo homines B. Bernardus fratres ab injuriæ quæ ipſi illata fuerat ultione avocans, Non æquum eſſe clamavit, ut qui ſuam quotidie culpam condonari ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

petit, alienam ulciſcatur. S. Stephanus inter undique appluentium lapidum acervos jam jam deficiente voce Deum orat ut cædis ſuæ auctoribus ignoſcat: eaque deprecatione Sauli, Paulo poſtea dicto, converſionem ac ſalutem impetrat. Recte ergo idem Divus Apoſtolus nos monet, ne iram pernoctare nobiſcum ſinamus: ut benedicamus perſequentibus nos, & non maledicamus: ut eſurientibus cibum, ſitientibus potum præbeamus, &c. addens, eandem menſuram qua aliis menſi fuerimus, nobis redditum iri. S. Jacobus judicium abſque miſericordia ei minatur, qui miſericordia erga alios uti nolit. Memorabile eſt Conſtantini Magni exemplum: qui quum accepiſſet, ſtatuam ſuam à petulantiſſimis hominibus per ſummam contumeliam lapidibus impetitam ac contis & gladiis confoſſam, vultu ac reliquis ſuis membris manu pertractatis, Ubinam, inquit, illi ictus ſunt? ubi vulnera, quæ dicitis non ſtatuæ, ſed quaſi ipſi meo corpori illata! Equidem nulla ſentio: nec illam injuriam mihi factam puto. Quod quî dici potuiſſet cordatius à ſapientiſſimo religioſiſſimoque Imperatore? Nimirum plerique non tam veritate quam opinione injurias æſtimant ac metiuntur. Num tu putas

Imp. Conſtantini benignitas.

tas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tas injuriam de qua tu ipſe vindictam non ſumſeris, ita impunem auctori futuram? Certe ſi quis alicui in Principis aula violentas intulerit manus, non ſatis eſt ad expiandum ſcelus ut injuria affectus afficienti ignoſcat, ſed ipſi quoque Principi cujus in eo leges graviſſimè violatæ ſunt ſatisfieri oportet. Sic exiſtima, non te ſed Deum inprimis lædi: qui vindictam ſibi permittendam clamat. Numquam ergo malum pro malo reddes, niſi vis ut malum illud in tuum ipſius recidat caput; ſed malum bono vincere ſtudebis: ſicque incredibilem in animo tuo ſenties tranquillitatem: quum ira & ultionis ſtudio nihil ſit impetuoſius ac turbulentius.

Hæc bonus ille vir equitantibus nobis prædicabat: quæ quidem aures meas celerrime prætervolaverunt. tantum abeſt ut in mentem deſcenderint. Poſt multos tamen annos eadem in memoriam revocans ac ruminans, ſic deprehendi, Præclariſſimum ultionis genus eſſe, poſſe ulciſci nec ulciſci tamen: ipſam vero vindictam Injuſtitiæ eſſe ſpeciem: qua nihil coram Deo ac hominibus fœdius eſt & magis à natura hominis alienum. Ultionis ſtudium ignaviæ eſt argumentum. Econtra

Quænam optima vindicta.

Fortior eſt qui ſe quam qui validiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire poteſt.

Quæ (malum!) hæc eſt hominum audacia ac temeritas, ut quod Creatoris eſt, ſibi uſurpent, & alieno pro ſuo utantur? Si tibi perſuaſum eſt (& certe omnibus Chriſtianis debet eſſe perſuaſum) omnia Dei, nihil vero, immò ne te ipſum quidem propriè tuum eſſe: quid tibi adimit ille qui te offendit? Omnis hic actio non tibi ſed Deo competit: ad quem etiam ſolum vindicta pertinet. Cave tu litem alienam tuam facias. Quod ſi vel maximè tua quoque interſit, quid nobilius eſt ac generoſius quam benefacere? Magnum ſane quid præſtiteris, ſi nihil male feceris; multo autem majus ſi male facienti benefeceris: ad quod nos divinum præceptum obſtringit. Malum pro malo reddere, Satanicum eſt: malum pro bono pluſquam Satanicum. Benefacienti benefacere, officium eſt hominis, nec ab ipſis quoque beſtiis alienum, quæ non facilè niſi perſequentes lædunt, & quendam etiam beneficiorum ſenſum oſtendunt. At malefacienti benefacere, opus eſt ſupranaturale, ſcala divina ad ipſam pertingens æternitatem, clavis cœli, & jucundiſſima animæ ac corporis pax & quies.

quies: Quid vindictæ ſtudium? inquieta animi agitatio, morbus vehementiſſimus, ſtimulus aſſiduus mentem ipſam effodiens, mera inſania. Urget ſcrupulus in calceo pedem tuum, an propterea ferrum tibi in viſcera condes? Ego cæcus eſſe velim, ut inviſus mihi luſcus aut lippus fiat? Pudeat nos Chriſtianos ab Ethnicis ſolo naturæ lumine illuſtratis longe ſuperari. Demonax à quodam percuſſus, amicis ut ad judicem iret monentibus, *Non*, inquit, *ad judicem, ô amici, ſed ad medicum.* Pericles hominem tota die ſibi conviciatum ſub noctem cum face domum deduci juſſit. Rex quidam Franciæ injuriam quæ ſibi Aurelianenſi tum Duci illata erat, ulciſci turpe putavit. Sexcenta his ſimilia exempla proferri poſſent; ſed non ſunt hujus loci. Potuiſſem ſane ego ſi mens non læva fuiſſet, ſancti illius viri oratione & melior & prudentior fieri: quam ille fere uſque ad Gantilianum pagum perſequutus eſt, quò ſole jam ad occaſum vergente pervenimus. Et illi quidem ad amicos, nos in publicum hoſpitium divertimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT V.

Guſmanus in alio hoſpitio cum agaſone non minus opipare quam in priori illo tractatur. Cauponum doli & malitia.

Hoſpitiorum conditio.

DIgreſſis Religioſis illis, ſodalem rogo quonam ipſe ſe recepturus eſſet. Ait ille, Cauponem ſe noſſe eo loco, hominem bonum, & bene tractandis hoſpitibus aſſuetum. Credebam dicenti, (& forte ipſe ita putabat) ſed haud multo poſt non in hoſpitium, ſed quaſi latronis ſpeluncam deductum me ſenſi. In Charybdi antea hæſeram; nunc ecce in ipſam Scyllam delabor. Quæ nobis ibi evenerint, paucis expediam. Habebat caupo aſinum ſimul & equam Galitianam: quæ ſolutæ plerumque diu noctuque, ne ſcilicet advenarum jumenta ſola pabulum ſuum quæque ederent, aberrabant. Nec licet vilioris animalis conditionem equa aſpernata fuerat (nam etiam ſcabioſi capita collimant) ſed è contubernio illo gravida, mulum pepererat. Eſt vero in Bætica lex inviolabilis, quæ ſub graviſſima pœna diverſi generis animalium commiſtionem prohibet. quocirca vafer

ſer homo pullum illum quam fieri potuit, dies aliquot clam habuit: tandem vero quum diutius latere non poſſe animadverteret, mactavit. Nos hoſpitium ingreſſi, percunctamur an cibi aliquid haberet quod nobis in cœnam daret. Annuit ille toto capite, &, Non potuiſtis, inquit, commodius venire. Ego enim heri præpinguem vitulum mactavi, cujus exta cocta habeo, ex iis, quod placebit vobis imperiturus. Exſultanti mihi ad hæc verba jamque animum in patinis habenti, omnis mora, dum menſa inſternitur, longa viſa eſt. Mox apponuntur nobis bina ova, mox ipſa exta elixa, pauca tamen, credo, ne ſatur ſtomachus fraudem deprehenderet. Etſi vero & ipſa fames me invitaret, & ſodalis mei in tuburcinando ſtrenuitas ſalivam mihi moveret: neſcio tamen quomodo ipſe cibus mihi ad dentes obhæreſcebat & nauſeam dabat. nec mirum. Erat enim ſodalis meus inter ipſas quaſi feras educatus, & aſpero victui aſſuetus: eoque quodcumque arripuiſſet, in ſtomachum demittebat: mihi vero multo melius educato palatum tam ſurdum non erat, ut ſapidum ab inſipido diſcernere non poſſet; Tum quidem mihi accidit, quod proverbio dici ſolet, Ventrem ſcilicet citius quam

Fraudes.

oculos ſatiari poſſe. Quidquid hoſpes apportabat, parum ſatis ad meam unius famem explendam arbitrabar. Rogo, an aliquid amplius haberet in cibum? Ait, ſi placeat, cerebrum vitulinum cum ovis in butyro frixum ſe nobis daturum. Interea neſcio quid edulii ex iiſdem inteſtinis confecti apponit, ne miſſio maxillis noſtris indicta videretur. In id cupidiſſime involat ſodalis meus: guſto & ego, ſed mox & ſapore & odore offenſus, abſtineo, mihi interim & ſapidiorem & copioſiorem paſtum, ſodali jam ſaturo, de cerebro promittens. Sed ſpes me fefellit. nam & ſodalis meus non minus ſtrenue ad ultimum hoc ferculum quam ad primum manus extendit, utraque maxilla ita comedens ut diebus aliquot ne panem quidem guſtaſſe videretur. Sed ad ovorum adſpectum ita ridere cœpit, ut cibi plane oblivi ſceretur, me non leviter indignante, ut quicquid in priori acciderat caupona ad faſtidium ciendum exprobrari putarem. Utrumque intentis oculis ſpectabat caupo, omnesque noſtros geſtus & verba diligenter obſervabat. Ut vero illum vidit effuſiſſimo riſu pænè ſolutum, ſuſpicaus de fraude aliquid ſuboluiſſe (ut ſemper timoris ac ſuſpicionis plena eſt mala conſcientia) Quid vos,

Male conſcii ſuſpicaces.

vos, indignabundus inquit, mene an cibum meum ridetis? Jovem lapidem juro & cerebrum hoc & quæ comediſtis extra altilis eſſe vituli pridiè à me mactati. Hic agaſo & ipſe ſubiratus. Quid tibi cum meo riſu? inquit. An ut cibo, ita riſui quoque certus hic eſt modus & certum precium poſitum? Quin tu cuique quandocumque & quantum velit tam ridendi quam flendi arbitrium relinquis. Me quidem ova hæc aliorum admonuerunt, quæ ſodalis hic meus hodie in quadam tribus milliaribus hinc diſtante caupona pranſus eſt. Tum ſolito cum riſu rem omnem narrat ſedulo auſcultanti & ad unumquemque fere articulum conclamanti: O ſceleſtam mulierem, hoſpitum defraudatricem! In malam crucem tales homimines. maledictus ſit qui male ſuum facit officium. Quæ quidem exſecratio nihil ad ipſum pertinuit, ut qui officium ſuum furandi ſcilicet & fraudandi quamoptime ac ſcientiſſime adminiſtraret. Inde multos ſibi de vetulæ iſtius fraudibus conqueſtus dicit, ſe verò ſuaque mirifice extollit, Eſt, inquiens, Deo gratia quod ab omni paupertate mea ſordes ejuſmodi procul abſunt. Non ego felem pro lepore aut cuniculo, non morticina, non rancidas carnes, non

Culpant culpa digni.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

fetentes piſces hoſpitibus oppono. unumquòdque vendo pro eo quod eſt. Gloriari mihi licet, ſic hoſpites à me tractari ut ab aliis ego tractari velim: eoque fit ut domus mea multo magis quam ulla alia in hoc tractu frequentetur. Nos varitatem hominis pertæſi, locum cubandi monſtrari nobis petimus. ille manipulum ſtramineum in ſolum effundit, vilemque tegetem, oblitus culcitram, nobis injicit. Ita nos eam noctem, ſodalis quidem meus inter ronchos, ego inter varias cogitationes & ſuſpiria tranſegimus.

CAPUT VI.

Sequentis diei hiſtoria.

Peregrinationis incommoda.

ALbeſcente jam cœlo, ſurgimus uterque. Ille quidem ad jumenta ſua ſtatim viſit, à quibus multo facilius agnitus fuit quam ego, ſi forte tum ei occurriſſem, à matre mea fuiſſem agnitus. Adeo omnia membra, in primis facies pulicum & cimicum morſibus fæda erat ac puſtulis livida, ut in tota cute vix locus novo vulneri ſupereſſet. Et profecto niſi in cœna copioſiori mero (quod unum in illo hoſpitio bonum fuerat) paullo largiuſcule invitaſſem, ſomnum tota nocte oculis non vidiſ-

diſſem. Curatis jumentis, ſodalis meus jentaculum apponi ſibi jubet. Affertur fruſtum carnis in jure eſculento: de quo ille tam avide comedere cœpit, ut mihi quoque licet adhuc ſomnolento ac nauſeanti, appetitum excitarit. Guſto ergo & ipſe aliquid; ſed mox abſtineo. Ita mihi dura & inſipida caro illa videbatur, ut ſtruthionis ſtomachum ei concoquendæ ac digerendæ non ſufficere putarem. Id non incommodum accidit ſodali meo, qui vix quidquam delicatius tota vita ſe comediſſe jurabat. Vide quid educationis faciat diſparitas. Quod mihi nauſea erat, illi erat ambroſia. Ego, quæſo, inquam, hoſpes, quid hoc carnis eſt, quod dentes ita fugit, immò hebetat? Ille nimis recentem eſſe, at ſodalis meus, palatum mihi deſipere, ait. Tum muſſanti mihi in mentem venit heſterna cauponis cum juramento ſine ulla neceſſitate facta aſſeveratio, exta quæ tum comedimus, pinguis eſſe vituli; ſtatimque injecta eſt ſuſpicio, mala fide cauponem nobiſcum agere. Rogo quantum deberem, ſimulque zonulam ſolvere incipio. Hic ſodalis, quod debetur, inquit, ego pro utroque ſolvam. quæ verba ego cum plauſu excipiens, paullulum tamen renitens, homini quantas poſſum ago gratias; ac ſimul de reli-

Palatum ruſticanum.

qua mea fortuna melius augurari ac ſperare cœpi. Hem cogitabam, inſperato beneficio divinitus tibi objectum hominem, & quidem ex infima plebe, qui fortunam tuam ſublevaret, & vecturam & cibum potumque gratis ſubminiſtrando! Quid civiliores ac melius morati homines tibi facient? Ne vero ingratus viderer, dum ille rationes cum hoſpite putat, jumenta aquatum ago, in ſtabulum reduco, ſtrigili depecto, agaſonis denique munus non ſine meo ipſius riſu, ac frequenti poppyſmate obeo ſimul ac diſco. Reverſus è ſtabulo, palliolum quod abiens abaco injeceram, requiro. per ludum ac jocum forte ab hoſpite aut ſodali abſconditum exiſtimans, rogo ut ne diutius me ludificentur, aut animi pendere ſinant. Quum uterque juraret, nihil ſe ſcire de pallio, dici non poteſt, quanta anxietas animum meum invaſerit. Angulos ergo omnes perveſtigo, omnia excutio: ſed nullibi comparebat quod quærebam pallium. Tandem per totas ædes diſcurſans, in conclave quoddam culinæ proximum devenio, ibique multum cruorem in terram effuſum, & juxta pellem expanſam video; cui pedes adhuc appendebant. non procul inde caput muli jacebat, integrum plane, niſi quod cerebrum

Officioſa gratitudo.

Fraudes cauponariæ.

rebrum & lingua exemta erant. Suſpicionem hinc meam non vanam fuiſſe deprehendens, ſodalem advoco, eique cœnæ ac jentaculi noſtri reliquias oſtendo: En, inquiens, pinguem illum vitulum quem tantopere nobis laudavit hoſpes, & ipſe tantopere mihi à te laudatus. Hæc ſcilicet bona eſt illa tractatio, qua hoſpites ab illo excipi ajebas. Ille tamquam attonitus obmuteſcere, cruce ſe frontemque ſignare, ac quamcelerrime cum jumentis inde ſe proripere: in ſinum gaudere ego, hoc tam pulcro ſpectaculo ſuperiorem ipſius riſum plane ſuppreſſum ac egregie vindicatum. Et mulum quidem quem non quærebam, pallium quod quærebam, nondum inveneram. Cauponem ergo (nam præter illum & ſodalem meum nemo adfuerat) magna voce inclamo, ac paullium poſco. ille alapas mihi minatur, ac multa probra ingerit ac convicia, quæ quum ferre non poſſem, pedem abaco extortum in caput ejus conjicio: quem tamen ille ictum deflexo capite declinavit; tum dicto citius ſtricto enſe quem in proximo cubiculo arripuerat, me invaſit. Inclamo ego Dei hominumque auxilia. perſequitur ille vociferantem. ubi verò duos ſatis grandes lapides è via ſilicibus ſtrata

Inconſulta iracundia.

me

me tollentem vidit, conſiſtit, ac paulatim regreditur. Jam ad rumorem iſtum tota fere vicinia accurrerat,& inter alios ipſe prætor cum ſuis ſatellitibus : cui quum narraſſem quid mihi in caupona accidiſſet, ille ſtatim injici manum mihi jubet, reipſa tum experto, Tutius eſſe furari quam alium furti, occulti præſertim, accuſare. Jubetur quoque ipſe hoſpes cauſſam dicere : quam quum ille non ſatis expedire videretur, prætor ſeductum me accuratius interrogat. Hic ego in aurem ei inſuſurro,mulum à nequiſſimo caupone occiſum,& nobis pro cibo appoſitum : ſimul locum deſigno ubi exuviæ ea ipſa hora adhuc jacerent. Quare & ipſum à ſatellitibus cuſtodiri jubet: inde ædes ipſi perveſtigat,ac præclaras illas exuvias uti monſtrâram repertas omnium conſpectui exponunt. Interrogatus à prætore caupo, non ſolum hanc ſed plurimas alias nequitias & fraudes confeſſus eſt : ut vero de pallio meo aliquid confiteretur, ſubigi non potuit, quamvis ab eo ſurreptum nemo dubitaret. Poſt hæc ille in carcerem deductus fuit, nec ſcio ego an & quas pœnas poſtea dederit : ego vero cum ſodali cœptum iter per ſequutus ſum, uterque moleſtiarum ac tædii plenus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT VII.

De hominum Felicitate & Infelicitate Apologus. Guſmani, dum reliquum viæ conficit, adverſus caſus.

NOn Ægyptii modo, ſed & pleræque gentes Fortunam pro Dea habuerunt & coluerunt; eique vim maximam omnibus in rebus eſſe perſuaſum habuerunt, tam proſpera quam adverſa eidem accepta referentes, ejusque numen quotidianis ſacrificiis propitiantes. Miſeri videlicet homines veri Dei cognitione destituti erant, tam bona quam mala ex mero ſuo arbitrio diſpenſantis, omniaque liberrime moderantis ac gubernantis. Facit idem quod caupones ſolent. Ut enim hi bonum vinum villo, ac ſæpè etiam vappa; ita ille bona malis diluit: ut non immerito ille apud Comicum queratur: O *Fors fortuna, ut nunquam perpetuo es bona*! Illud vero omnium eſt miſerabiliſſimũ, quod felicitas omnis momentanea; calamitates vero continuæ ſunt, & quaſi concatenatæ. Vulgatum illud eſt ac nimis quam verum: *Nulla calamitas ſola*. Id ſanè ego in meipſo expertus ſum. Heri fortunam *Mala bonis miſta.*

nam

nam meam deploraveram, eò quod de via laſſus eſſem, ac duo pullaſtri ovorum perſona induti in ventrem mihi correpſiſſent. Atrocius multo viſum, quod & exta & carnes & ipſum cerebrum muli eſitaſſem: longe vero atrociſſimum, quod pallio neſcio quibus præſtigiis ſurrepto eſſem ſpoliatus. Quin illud in futurum mihi aſſidue occini videbatur: *Hactenus in te folia ceciderunt, mox arbores cadent.* Ah, quam ſiniſtro augurio patrio limine pedem extuli! cui Mandrabuli more, ut eſt in proverbio, res omnes poſtea ſucceſſerunt, in deterius indies prolapſæ. Vere B. Job vitam noſtram Militiæ comparat, periculis, laboribus & ærumnis plenæ. Sed aſſem para, & de Felicitate hominis Apologum audi.

Apologus de Felicitate & Infelicitate. Creatis omnibus rebus Jupiter homines præeſſe, eis vero deam Felicitatem aſſiſtere juſſit: quam illi & divinis hymnis celebrabant, & aſſiduis ſacrificiis venerabantur, ipſum Jovem interea obliti. Hanc contumeliam indigne ferens Jupiter, deos in conſilium vocat, & ſummam accuſat hominum ingratitudinem, ut qui ſe rerum omnium creatore poſt habito, ſolam Felicitatem reſpicerent, colerent atque adorarent, quærit, quid de tam atroci hominum crimine

ſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſtatuendum ſit. Ex iis nonnulli quibus animus mollior, Jovem monebant, è fragili admodum materia factos eſſe homines, eoque venia dignos, ſi forte ſecus aliquid commiſiſſent. Suadere ergo ut levi aliqua pœna afficiantur, & erroris admoneantur: certa ſpe, futurum ut reſipiſcant, & cautius in poſterum agant. Oggerebat ſe ſtatim Momus, & non rogatus, neſcio quid atrox in homines dicere volebat: ſed à Jove quod aliis priorem dicendi locum præripere tentaret increpitus, tum quidem conticuit. Erant nihilominus è reliquorum deorum numero non pauci, qui idem cum Momo ſentiebant, Mortales ſcilicet eò quod infinitum bonum, rerum omnium præpotentem Jovem, offendiſſent, infinita quoque pœna dignos, eoque radicitus exſtirpandos, nec ullos deinde amplius efformandos eſſe, ut quibus ipſi dii facile carere poſſent. Alii ex omni numero peſſimos tantum eradicandos, in eorum vero locum bonos creandos. Poſt hos ſententiam rogatus Apollo, Jovem ſic alloquutus fertur: Tam juſta eſt, ô ſupreme Rex, tua contra homines indignatio, tam juſta querimonia, ut citra omnem crudelitatis culpam aut probrum, omni pœnarum genere iniquitatem eorum ac illatam ſummæ

Ma-

Majeſtati contumeliam ulciſci queas. Illud tamen interim memineris, ſi ad internecionem univerſum hominum deleas genus, omnem quem in creandis ex nihilo rebus adhibuiſti operam & laborem tibi periturum. Sed & ad ſummam ac ſupremo deorum dignam perfectionem aliquid tibi deeſſe videbitur, ſi hoc quod creaſti deſtruxeris. quaſi ſcilicet mentem tuam ejus quod feciſti ſubiiſſet pœnitentia. Multo minus æquum eſt, ut hominum genus deleas ſimul, ac de novo reficias: ne aberraſſe & in ipſo opere peccaſſe videatur manus tua. Si enim novos homines velis refingere, aut liberum eis tribues arbitrium, aut nullum. Si liberum; idem hi facient quod illi; nullum, jam non homines erunt, ſed ſtipites: quin etiam univerſa hæc Mundi machina, quanta quanta eſt, fruſtra à te creata videbitur. Quare ita cenſeo, hanc mortalium culpam non excidio vindicandam, ſed opportuno remedio corrigendam eſſe. Tu quidem, ô ſupreme Jupiter, mortalibus velut aſſiſtricem deam Felicitatem adjunxiſti, ut inde benignitatem tuam agnoſcerent ac meritis laudibus ſolam deprædicarent. quia vero tam præclaro dono abuſi, ſupremæ majeſtatis oblivisci non erubeſcunt, ſuaſerim ut Felicitati in cœlum ad

nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nos redire juſſæ, Infelicitatem ſuccenturies; quò & miſerias ſuas & potentiam ac zelum tuum mortales agnoſcant & experiantur. Licebit tibi tum nihilominus quibus libebit dona tua diſtribuere, ita tamen ut inter bonos ac malos diſcrimen ſervetur, & meritorum cujuſque habeatur ratio.

Hæc quum dixiſſet Apollo, Momus acerbiſſimam orationem exorſus, hominum perverſitatem ac malitiam verè quidem, ita tamen exagitavit, ut ſuam ipſe malitiam atque invidiam erga hominum genus, proderet. Tanto facilius ergo omnes, exploſo Momo, in Apollinis ivere ſententiam: cujus exſequutionem Jupiter Mercurio demandavit. qui ad homines profectus, ubi nihil aliud eos agere quam edendo, bibendo, ludendo genio indulgere, ac Felicitati litare vidit; ſeductam eam quid à Jove & ceteris diis decretum eſſet admonuit: ſimulque non repugnantem è terris ſecum abducere cœpit. Id conſpicati homines, Mercurio acerrime reſtiterunt, & arreptis jam fugientis veſtibus, Felicitatem ſecum retinere conati ſunt. quam contentionem ut dirimeret Jupiter, Felicitatem veſtibus extrahit, Infelicitatem vero momento citius eiſdem immiſit: quo decepti homines Infelici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

licitatem pro Felicitate arripuerunt, pernicioſo quidem dulci tamen opinionis errore, qui ad noſtrum quoque ſæculum promanavit. Quam multi enim hodieque ſunt, qui quum ipſam Felicitatem poſſidere ſe putent, nihil tamen aliud quam ornatum ejus quemdam ac ſpeciem poſſident? quæ nihil aliud eſt quam labor, ærumna, & ipſa infelicitas. Quid enim? ſi videas homines in ſolemni aliquo feſto opipare edentes, potantes, ſaltantes, laſcivientes: Felices illos forte dices, ſed falſo. Mox enim unum dicentem audies: Oh quam ſudore totus madeo! quam laſſus ſum! quantos capitis, quantos ſtomachi dolores ſentio! quam turpiter pecuniam meam luxu, luſu perdidi! quantam perniciem amores mihi rebuſque meis attulerunt! Tum, tum demum re ipſa deprehendimus, umbram tantum Felicitatis penes nos eſſe, ipſam verò infelicitatem omnibus rebus intervenire. Extrema gaudii luctus occupat, riſum fletus excipit; voluptati dolor ſuccedit. Quid tu illi ſummos honores gratularis, quibus ſe alioſque mox ibit perditum? Quid divitiis gaudes, quarum augendarum cupiditate & amittendarum metu continuo angeris? Tune felicitatem in particula ſplendentis luti ponis? ſed ita eſt. Res non ſuo

pon-

pondere, ſed hominum opinione æſtimantur. quæ mirum eſt quam ſit erroris ac dementiæ plena. Hæc vero eò tibi dicta puta, ne Felicitatem in terra, ſed in cœlo quæras.

Ad me ut redeam, Deus bone, quam miſeris modis in hac prima mea expeditione deceptum ſenſi! Oculis meis obverſabantur veris amœntias, viriditas pratorum, arborum opacitas. occurrebant viæ planæ ac latæ, ſed non illud fore ut illas emetiendo ad laſſitudinem redigerer. Opportuna paſſim ac munditiei plena diverſoria, commodaſque in eis refectiones mihi imaginabar; ſed immane & ex ſolius cauponis arbitrio ponendum precium, tum admirabiles cauponum fraudes atque etiam ſcelera ignorabam. Grata erat oculis montium ac vallium varietas, tum civitatum, pagorum, villarum frequentia; ſed multò gratior futura, ſi ut mihi perſuaſeram, omnibus in locis præſto mihi fuiſſet mater mea, quæ delicias mihi faceret, ancilla, quæ cœnam præpararet, inde veſtibus ſpoliatum, in lectum diligenter apparatum componeret, & experrectum mane ad jentaculum deduceret. Vah, cogitabam, quam vaſtus eſt hic Mundus! cujus figuram videram in tabula depictam, plenam illam

Imaginamur facilia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

lam totamque continuam, ſed ab ipſo archetypo multum diſcrepantem. Videram ibi regionum ac civitatum nomina; ſed errores meos ac labores non videram. Quantum in vita mali eſſet, nondum ſciebam. Ut inſipientum eſt dicere, *Non putaram*: ita ſapientum, futura proſpicere, eorumque neceſſitatibus, quantum fieri poteſt, matura parare remedia.

Improvida hominum mens.

Sapiebam ego ut puer: agebam ut puer. O quam multas chimæras, hoſpitio ſine pallio, ſed multis cum ludibriis egreſſus, animo mihi ac cogitatione fingebam! Quam miſere tum ad ollas Ægyptiacas reſpiciebam! Sed profecto, *Tum demum noſtra homines intelligimus bona, quum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.* Inter has cogitationes dum iter proſequimur, Agaſonis ſodalis mei taciturnitatem demirabar: qui ut ante Democriti, ita nunc Heracliti perſonam repræſentabat. Ne mihi quidem res meæ ſatis placebant; illud tamen cogitans, Animum bonum in re mala dimidium eſſe mali, quantum poteram vultum ad hilaritatem fingebam. Quamvis autem multa & in hoſpitis noſtri verſutiam & in noſtram ſimplicitatem jocarar, ut os tamen ad riſum diduceret hominē adigere non potui. Sic fit ut qui aliena mala rident, ſua deplorent. Interim duo

illi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

illi Religioſi, qui in via rurſus ſe nobis adjunxerant, horas ſuas Canonicas recitabant.

Dum ita ſuis quiſque velut involutus cogitationibus iter facimus, ecce à tergo lictores nos inſequentes; qui quamprimum me conſpexerunt, magna voce ut conſiſterem clamant. Mox circumſiſtunt, timore pallidum ex jumento detrahunt, veſtes meas omnes & ſarcinulas excutiunt, reſtim quoque, niſi furtum ſtatim proferrem, minantur. Ego excuſare me quantum poteram, vim deprecari, furtum à me factum negare; illi contra multo acerbius in me & Agaſonem tamquam receptatorem invehi, cubitis utrumque exponere, pugnis obtundere: donec unus eorum manum meam contemplatus, manus à me abſtinere juſſit, clamans, Me non eſſe quem quærerent. illum enim ſiniſtræ manus carere pollice, qui mihi eſſet integer. tum in ſarcinulis noſtris nihil reperiri ejus quod is quem quærerent puer domino ſuo ſurripuiſſe argueretur. Sic nequiſſimi illi & immiſericordes homines, quum lumbos pænè mihi fregiſſent, metu exanimatum tandem miſſum faciunt, ut ignoſcamus petunt, aliamque viam inſiſtunt, paucos quos apud agaſonem dum ſarcinulas excutiunt, dena-

Juſtitiæ miniſtri quales.

rios ſecum aſportantes. O ſancta juſtitia, quam turpiter nonnunquam adminiſtraris! En ad comprehendendum furunculum miſſi, furantur ipſi: & qui vim à miſeris prohibere debebant vim ipſi faciunt ac latrocinantur, abeuntes illud tantum dicunt: Ignoſcite amici. alii viſi nobis eſtis. O intempeſtivam deprecationem! Imprimis agaſo ille ſodalis meus injuriam hanc indigniſſime ferebat. Sed quid faceret? Optimum erat ut ferret quod mutare non poterat. Me vero affligebat jactura pallii. de qua tamen mihi aliquo modo gratulabar, illud cogitans, ſi eo coopertum me offendiſſent, non tam cito è ſigno quod ſibi datum ajebant truncati pollicis innocentiam meam deprehenſuros, ſed procul dubio ſtatim ſecum abducturos fuiſſe. Fruſtra enim ab hoc hominum genere ullam modeſtiam aut æquitatem exſpectes.

CAPUT VII.

Lazarillus adoleſcentiæ ſuæ narrat hiſtoriam.

HIs turbis liberati, in via progredimur. Venerat ad nos interea, dum à ſceleſtis detinemur lictoribus, homo è cu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

è cujus vultu neſcio quæ feſtiva elucebat hilaritas. rogat, ut comitem nobis eſſe pateremur, ut qui eodem quò nos tenderet. annuit agaſo, homo perfacilis; & pauxillum mercedis pactus, unum ex jumentis adhuc vacuum conſcendere jubet. Ille triſtes nos & piſce magis mutos affatus, ſcio, inquit, quid vobis acciderit. Et profecto vicem veſtram doleo. Suadeo tamen ut quidquid ejus eſt quod ſine ulla culpa veſtra paſſi eſtis, obliviſcamini. Id optimum, mihi credite, malo huic fuerit remedium. Tum ad me converſus, Quia te, ait, ô adoleſcens, è matris domo ac quaſi ſinu adhuc recentem video, non dubito quin primi hi fortunæ inſultus graves admodum tibi accidant & moleſtiſſimi. Sed, meo exemplo, obfirma animum, & ad graviora quoque præpara. Ego ſi narrare occœpero quibus à puero jactatus ſum caſibus, neſcio fletu magis an riſu fortunam meam proſequuturi ſitis. De me quidem illud veriſſime dici poteſt:

Lazarilli hiſtoria.

> *Multa tulit fecitque puer: ſudavit & alſit.*

Sed niſi grave vobis eſt audire, narrabo paucis adoleſcentiæ meæ hiſtoriam. Sic enim forte & triſtitiæ veſtræ & viæ tædium melius fallemus. Quum gratiſ-

ſimum id nobis fore oſtendiſſemus, ego etiam precibus, ut id faceret, contenderem, ille ſic infit.

N. Iterum glorioſuli. *Lazaro de Tormes* mihi nomen eſt. quamvis plerique ut olim puerum, ita nunc etiam *Lazarillum* appellitent: non invitum ſane. diminutiva quippe gratioſa ſunt. Pater mihi fuit Thomas Gonzales; mater Antonia, uterque à pago Tejara, qui non procul à Compluto diſtat, oriundus. De Tormes gentilitium nomen, more noſtrorum Nobilium, mihi ipſe feci. Pater namque molatrinam habuit, non propriam illam quidem, ſed conductitiam, Tormi fluvio adſitam, in qua quidem ego in lucem ſum editus: atque inde non ſine cauſſa fluvii illius celebritate natales meos illuſtrandi occaſionem ſumſi. Vix ſextum ætatis annum attigeram, quum ecce pater meus, vicinorum invidiâ, in crimen vocatur, quaſi nimis liberali manu è farina demenſum ſuum ſoleret deſumere. Quod quum minus idonee purgaſſet, quin etiam, etſi invitus admodum, ipſo ſuo ore eſſet confeſſus, ad remos damnatus, eiſque annumeratus eſt de quibus dicitur: *Beati qui propter juſtitiam patiuntur*: tanto felicior, quod non multo poſt in celeberrimo illo ad Naupactum prœlio, quo Turcarum vires

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

res maximè fuerunt attritæ, inviſum ſpiritum reddidit. Marito orbata mater mea Complutum ſtatim migravit, ibique conducta caſula, lavando, coquendo, & ſimilia ſervitia præſtando Scholaſticis, vitam toleravit. Domunculam noſtram ventitabat inter alios Æthiops, ipſo diabolo, credo (puer enim vidi) nigrior, magnatis cujuſdam equiſo ſeu ſtabularius. Is quam familiaris matri meæ fuerit, inde colligi poteſt, quod anno vertente fraterculus mihi uterinus, ſed colore plane diſpar, natus fuerit. Et eam familiaritatem non amor aut ulla alia res conciliaverat, quam quod is herilem penum & quæcunque alia ſurripere poterat, clam ad nos congerebat. Me quidem initio quum ad ipſius conſpectum non fugerem tantum, ſed tremerem quoque, mellitis cruſtulis aliiſque puerilibus munuſculis ita deliniverat ac manſuefecerat, ut ultro ei occurrerem, & non ſecus ac patri meo abblandirer. Nec noctu tantum, ſed interdiu etiam ad nos commeabat, ova recentia hero ſuo (id enim quid apud nos faceret quærentibus reſpondebat) præſtinaturus: quum matri meæ nulla eſſet gallina. Memini quum unà cum nigello illo meo fraterculo foco aſſiderem, cum ex im-

proviſo intervenire, & filiolo illi ſuo delicias facere: qui fœdo aſpectu, credo, territus, hejulare, & quantum poterat, in matris ſinum refugere cœpit, mormolycum adeſſe clamitans. Tum bonus ille ſibi ipſe à riſu temperare non potuit, nihilque aliud eloquutus, quam, O te ſpurium! domo ſeſe proripuit. Puer quidem tum eram: nihilominus quæ vidi atque audivi, ſic penitus in animum infigebam, ut hodieque animo ac ſenſibus meis tamquam præſentia obverſentur. quin etiam tum illud cogitabam: Hem, quam multi eos fugiunt, quos, licet ignotos, cognatione proxima attingunt! Sed ad vitricum meum redeo. Is quum poſt accuratam inveſtigationem, præter alia domeſtica furta, & pabuli partem jumentis ſubduxiſſe, & ſtabularia inſtrumenta atque utenſilia, adeoque ipſas ſoleas equorum ungulis detractas vendidiſſe, eamque pecuniam ad matrem meam adportaſſe deprehenſus eſſet, virgis quidem cæſus, ſub pœna capitis à matris meæ domo & conſuetudine abſtinere juſſus eſt; nec minus matri meæ omni Laidæ (id enim Æthiopi nomen erat) etiam colloquio interdictum. Hoc deficiente cocommeatu, mater mea cauponi cuidam operam ſuam addixit: ſicque in ejus familia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

milia utrumque, me ſcilicet & meum illum fraterculum, maximos inter labores atque ærumnas educavit.

Eram ego tum id ætatis, ut hoſpitibus vino, pane, aliiſque apportandis inſervire poſſem. Diverterat ad nos aliquando inter alios Cæcus quidam, oſtiatim cibum quærens: qui quum non vidiſſet quidem, ſed (ut hoc eſt hominum genus in noſcitandis pæne omnibus rebus ſupra quam credi poteſt ſagax) animadvertiſſet me valde ad quævis imperia alacrem & impigrum, matrem meam rogavit ut comitem me ſibi dare non dedignaretur: filii loco habiturum me pollicitus. Non abnuit mater mea: ſed quam ultro ambire debebat conditionem oblatam ſibi gaudens, bono illi Cæco me de manu in manum tradidit, ſollicite admodum, tamquam orphanum, cujus pater pro Chriſtiana religione ultimum ſpiritum profudiſſet, commendatum. Sic poſt diem unum & alterum non ſine lacrymis à matre dimiſſus, iter ingredior, hero meo ducatum præſtans. Dum pontem tranſimus, taurum video lapideum, conſpicuo loco collocatum. rogo quid ſtatua hæc ſibi velit. ait ille: Aures adhibe tauri hujus ori, mi Lazarille. neſcio quem mirabilem audies

Cæcorum mendicantium artes & ingenia.

ſonitum. Id dum ego puerili ſimplicitate facio, deterrimus ſenex caput meum tauri illius capiti ita allidit, ut pæne diruptum mihi fuerit, inſuperque illudens, ait: Bliteus ſane adhuc es, mi Lazarille, multaque mihi adhuc docendus. An tu neſcis, Cæci famulum ipſo diabolo oportere eſſe verſutiorem? Indignabar quidem ego, lacrymis quam riſui propior. Repente tamen velut è puerilitate experrectus, cogitationes altius jaciebam, boni ſenis apud me laudans ſollertiam, ut qui omni alia ope deſtitutum, omnibus modis prudentiorem me reddete ſatageret. Hac mea patientia ille victus, artes ſuas omnes quibus & facilem & opiparum ſibi victum parabat, diligenter mihi commonſtravit: & quamvis ipſe cæcus eſſet, Argo oculatiorem me fecit. Sed ut qualis ille fuerit intelligatis, ſic habete. Equidem quotieſcunque temporis illius memoriam recordor, ſic arbitror, poſt homines natos neminem ex tota Adami proſapia extitiſſe magis graphicum ac verſipellem mortalem. Quid de tinnula ejus voce dicam? qua humiliter prætereuntium opem implorans, ipſos cælites devocare potis videbatur. Plus centum memoriter tenebat precatiunculas, quas nullibi os detorquens,

Patientia omnia vincit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quens, non oculis connivens, ut alii cæci ſolent, tanta cum gravitate ac devotione recitabat, ut meram ſanctitatem ſpirare videretur. Jam technas innumeras ſciebat ad extorquendam etiam avariſſimis eleemoſynam. Vulgo enim credebatur certas precatiumculas variis morbis curandis efficaces tenere, muliercularum inprimis, ſterilitate ſcilicet, aut partus difficultate laborantium, nec non male nuptarum, aut quæ à maritis parum diligerentur, & quæ alia id genus ſunt nugamenta. Prægnantibus maſculum an femellam pariturae eſſent prædicere ſolebat. quin etiam communibus morbis, ut capitis, iliorum, dentium doloribus, tamquam alter Galenus, extempore remedia dictabat: ut vox ejus pro oraculo haberetur, à mulieribus præſertim, quarum credulitas circumforaneis plerumque quæſtuoſa eſſe ſolet. Quibus artibus mirum eſt quantum peculium brevi tempore collegerit. nec tamen inde avaritia ejus minuebatur, ſed indies magis magiſque creſcebat: & in rerum omniũ quas domum jamdiu congeſſerat abundantia, mendicitas tamen ei placebat. Me quidem homo ſordidiſſimus fame pænè perdiderat. Sed nec veſtes, nec calceos, aut alia neceſſaria præbebat,

Eleemoſynæ quibus modis parentur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

bat, ut niſi vigilantia ac ſolertia mea mihi ſubveniſſet, jam dudum Orcivo theſauro fuiſſem adſcriptus. Sed niſi grave eſt, audite, quæſo, quibus artibus aſtutiſſimum ſenem deluſerim, & Cretenſis cum Cretenſi Cretizarim.

Fraus fraude eluditur.

Pecuniam omnem in zonulam condebat, quæ corpori ejus contigua, facile omnes eludebat inſidias. Panem aliaque eſculenta peræ injiciebat: quam ſera penſili tam diligenter muniebat, ut nec ipſa Laverna vel micam panis ei ſuffurari poſſet. Sic ergo omnis meus victus atque annona in rancidis illis fragmentis, quæ & ipſa parce mihi largiebatur, conſiſtebat. Et peræ quidem ille tamquam fidiſſimo cuſtodi confiſus, ſecurus agebat: ego vero arrepto cultro, aliud interim agere me ſimulans. apertis ſuturis, culei inteſtina in lucem protrahebam, & quodcunque placuerat, in cibum mihi ſervabam: ſtatimque ſciſſuram quam fieri poterat ſolertiſſime rurſus conſuebam. Quæ venter meus non ceperat, vendebam, & quidem meris obulis præſentariis. unde mihi deinde uberrima fœneris materia ſuppetebat, quam primum namque aliquis acceſſerat, ſtipem porrecturus, manum ego ſubjiciebam vicariam, & obulo quem occultum tenebam, in ſenis manum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

num conjecto, numum mira agilitate ori inſertum mihi ſervabam, ille ubi tactu non numum, ſed obulum deprehendiſſet, caput quatiens, Neſcio, inquit, quæ interea dum tu mecum es, fortunæ meæ facta ſit commutatio. Quid enim (malum!) hoc eſſe dicam, quod quum plerique omnes ante, præſertim qui preculas meas paciſcuntur, numos dare ſoliti ſint, jam obulis mecum tranſigant? Reſpondenti mihi, cauſſam me neſcire, niſi quod charitatem indies refrigeſcere ipſe videam atque experiar, Ergo, ait, fas eſt, me quoque in conductarum precularum penſo minus eſſe liberalem: ſimulq; monet, ut quamprimum illi qui ob eam rem ſtipem dederant, tam procul diſceſſiſſent ut vox eos falleret, vellicato centunculo ſignum darem. Sic ille in medio ſæpe abruptis quas exorſus erat preculis, novas aliorũ prætereuntium liberalitates eodem ſtipendio poſcebat. Dilapſa jam turba, cibi aliquantulum è pera depromti deguſtabat; idque mox boni vini hauſtu diluebat, lagena, quam aſſidue ſecum circumferebat ad latus adſtituta. cujus clanculũ arreptæ dulciſſimo liquore & ego guttur meum ſemel atque iterum proluebam. Hanc meam ſollertiam quum ille ex hauſtuum numero quorum lagenam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

capacem eſſe nôrat, deprehendiſſet, lagenam quidem ita ponebat, ut anſam altera manu ſemper teneret. Sed profecto nullius magnetis in attrahendo ferro tanta vis eſt, quanta faucium mearum erat in prolectando dulciſſimo illo liquore. Calamum namq; oblongum mihi comparaveram, per quem orificio occulte inſertum, quantum poteram vini attrahebam, ſicque neſcientis atque inviti felicitate unà fruebar: quæ tamen parum diuturna mihi fuit. Ille enim proculdubio fraudem ſubodoratus, lagenam intra pedes divaricatos, uti ſedere ipſi mos erat, poſuit, neque uſquam manum ab orificio ejus amovit. Tum ego vindemiam mihi intercluſam ægre ferens, alium aſtum excogito. Terebello lagenæ fundum perforo, foramen vero aptato ad id obeliſco ligneolo obturo: quo rurſus, dum ille lagenam ori admovet, extracto, liquorem placide ſine ullo ſtrepitu diſtillantem vaſculo excipio, dein plenis faucibus haurio. quum vero aliquando vaſculum ad manum non eſſet, & vehementer ego ſitirem, dum ille bibit, os lagenæ ſuppono, eo diſtillantem humorem excepturus. id quum nequiſſimus homo animadvertiſſet, quantis poterat viribus lagenam ſupino mihi in faciem impingit: qui ictus quidem tam

Puerilis ingluvies.

vehe-

vehemens fuit ac crudelis, ut etiam dentibus aliquot excuſſis, tota mihi facies miſerum in modum lacerata fuerit. Tum hejulantem affatus, Quid tu, inquit, mi fili, bibenti mihi os tuum non rogatus commodas? quod tam propinquum lagenæ fuiſſe ignorabam. nunc quoniam fortuitus hic ictus in te incidit, boni conſulas oportet. ſimul vulnera fractæ lagenæ teſtis facta, agreſti manu pertrectat, & vini reliquiis abluit, O te mirum mortalem aliquando futurum, inquiens, Lazarille! Ecce qui percuſſit te Bacchus idem nunc ſanat. Credo equidem fortunam tuam lagenæ incluſam vel ex hedera pendere, ac vini beneficio magnos ad honores te olim emerſurum. quod quidem ſarcaſtico tum joco dictum, poſtea verum aliquo modo eventus comprobavit, ut in fine audietis. Ex eo quidem ille mihi plane diffidere cœpit: ego vero tanta vindictæ cupiditate exarſi, ut vitam omnem acerbam mihi futuram putarim ſi non quantum poſſem mali ei facerem. Ante omnia, quod unum poteram, per vias publicas quà cœnum maximè erat profundum, tolutim velut badizantem non ducebam, ſed trahebam; murmuranti vero jurabam, meliorem viam nullibi me videre. ſed quũ & hoc & multa alia à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Vexatio dat intellectũ.

me data opera fieri homo verſutiſſimus facilè intelligeret, præeunti mihi crines aureſque ita vellicabat, ut occipitium mihi quaſi calvum fecerit. deinde ubi ante templi alicujus fores, aut in porticu conſediſſemus, jam hoc jam illud cauſſans, & manibus & calcibus ita in me incurrebat, ut furenti plane ſimilis videretur. Quod ſi quis forte prætereuntium mei miſertus, increpitum ut modeſtius ageret admoneret; ſtatim ille, ſcio, inquit, quid vos decipiat. puerum hunc meum tenerum adhuc & ſimplicem putatis: quo tamen nihil eſt nequius. tum ſingulatim quæ feceram quæ non feceram, in primis illud de lagena enarrans, pleroſque riſu, alios etiam indignatione replebat, tantam aſtutiam in tantulam ætatem cadere demirantes, ita ut abeuntes bonum ſenem, uti putabant, hortarentur quoque, probè me depectere non ceſſaret ſicque ad bonam frugem reducere ſtuderet. id Deo & hominibus gratum fore. quos ego quibus ominibus proſequutus ſim, facile quivis cogitabit. Sed ut hominis illius ingenium ac mores melius noſcatis (cujus ſimiles multos eundem victum hodie exercere certum mihi eſt) audite paucis unum & alterum facinus, inter me & illum, ſed infelicioribus ſemper meis auſpiciis, geſtum.

Com-

Compluto digreſſus, Toletanum regnum petebat, quod ibi homines opulentiores eſſent, iidem tamen in dandis eleemoſynis minus liberales. Ajebat vero, à divite præduro aliquid aliquando extorqueri poſſe; à nudo & inope nihil. Ibi percurſatis pagis aliquot, iis præſertim ubi ſpes largioris erat quæſticuli, tandem Almoroxam pervenimus, vini proventu vicum celebrē. Jam uvæ maturæ erant: quarum unam, eamque ſatis grandem quum colonus aliquis hero meo dediſſet, ille ſive ut me quem totum illum & præteritos aliquot dies plagis obtuderat, aliquo modo placaret, vel quod ejuſmodi res pera includi ac geſtari non poſſet, Huc adeſdum, inquit, mi Lazarille. uvam hanc una tuburcinemur, ſed ea conditione ut quiſque ſingulas decerpamus baccas, nec alter alteri vel unam proripiat. Accepta conditione, lætus incipientem ſequor: ſed quum nequam illum oblitum conditionis binas ſimul capientem baccas viderem, non minus impigre & ipſe binas immò ternas decerpo. Hoc modo uva dicto fere citius in ventres noſtros condita, ille uti ſedebat, vacuum racemum diu aliquantulum manu tenens & pedunculo motitans, rotato capite, Jovem lapidem, ait, jurare ego auſim, Lazarille,

Paupertas beneficientiæ expers.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

te conditioni nequaquam ſtetiſſe, nec ſingulas, ſed binas, ternas, atque adeo quaternas baccas ſimul decerpſiſſe. Leviter factum nego; ſimul unde id conjiceret rogo. Ille, Ex eo, inquit, quod meipſum, quum binas decerperem baccas conditionis non admonuiſti, ſed procul dubio exemplum meum ſtrenue & ipſe imitatus, immò ſupergreſſus es. Et factum quidem tum ego meum ut puer riſi: poſtea verò quotieſcunque id in mentem venerat, peſſimi hominis aſtutiam demiratus ſum. Infinita alia ſtratagemata inter me & illum ultro citroque uſurpata ſilentio prætereo. unum tantum addam, & quidem illud ipſum quod divortio inter nos occaſionem præbuit. Eſcalonæ quum eſſemus, ac peram probe haberemus fartam, Cæcus ille farcimen præpingue craticulæ imponere, ac prunis, quantum ſatis eſſet, aſſare, diſtillantem verò pinguedinem pane excipere me jubet. quem dum ſuaviter comedit, depromtis aliquot numulis, ad vini afferendum hauſtum me mittit. Interim ego in angulo quodam rapum video oblongum, & penitus flaccidum: quod quum mihi farciminis ſpeciem, quæ miram promulſidem faucibus meis jam excitaverat, repræſentaſſet, ſtatim diabolus (hujus enim

unius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

unius ſuggeſtioni plerique flagitia ſua imputant) occaſionem heri mei decipiendi & ſatiandæ ingluviei mihi commonſtravit. Id ergo ocyus arreptum, in detracti farciminis locum ſuppono; ſicque abiens, prædam meam omnem in ventrem congero. Rediens, Cæcum meum video putatitium farcimen in craticula diligenter verſantem, medium denique inter duo panis fruſta preſſantem : & ego quidem, tacitus tamen, riſum continere non poteram, plane, ut eſt in proverbio, Sardonium. Senex enim ubi nullum omninò ſuccum ſequi ſenſit, dentibus guſtus fecit experimentum:ſed frequenti morſu vexatum rapum exſpuens, me furibundus inclamat, & fraudem ſibi factam quiritatur. Ego, Me infelicem! inquam : quî ejus inſimulor criminis quo ipſa me abſolvit abſentia. Me enim ecce, jam jam modo è caupona venientem. an ergo abſens conturbare aliquid potui? Ille ſermonem meum atque etiam pejerationes quibus caput meum devovebam, nihil moratus, Jam ſciam, inquit, furti hujus tam ingenioſi auctorem. ſimulque arreptum me ambabus conſtringit manibus tum fœdis ſuis, nullo tamen farciminis ſucco unctis digitis oris velut cardines mihi effringit, & naſum ſuum

Fraus joculatoris.

ſuum

ſuum acutiſſimum in ipſum intrudit rictum, olfactu ſcilicet amiſſum farcimen veſtigaturus. unde ſtomacho meo tanta oborta fuit nauſea, ut ob feſtinationem male manſum farcimen & quidquid in ejus fundo erat ejecerit, mihi quidem ille prælongo illo ſuo naſo, tamquam harpagone, ex ipſo ſtomacho inviſum cibum extraxiſſe videbatur. Sic ille me vomitu jam ante debilem pugnis ita contudit & unguibus laceravit, ut niſi domeſtici accurrentes me manibus ejus eripuiſſent, procul dubio dies ille ſupremus mihi futurus fuerit. Tum ille quid rei eſſet ſciſcitantibus, & hanc & omnes alias meas hiſtorias tam ſcite, tam lepide enarravit, ut nemo eſſet quin me multo graviores pœnas meritum putaret ac palam diceret: etſi plerique omnes riſu pæne dirumperentur. Ego & infelicitatem meam deflebam, & ignaviam damnabam, quod ſceleſtiſſimo illi naſum, dum ſtomachi mei fundum rimatur, non præmorſiſſem. Nam & concoctu forte futurus erat facilior quam farcimen illud: & naſo nullibi reperto, factum negare poteram. Poſtquam ſpectatorum riſus, meus fletus & Cæci ira paulum detepuit, hoſpitum opera in gratiam redimus: qui dum vulneratam ac lividam faciem

Vindicata.

faciem vino, quod attuleram mihi abluunt, facetus ille, Meus hic puer, inquit, uno menſe plus vini lavando abſumit, quam totum ego annum, bibendo. Vino certe, Lazarille, tu plus debes quam patri tuo. Hic enim poſt Deum, vitam tibi ſemel largitus eſt, quam vinum ſæpius tibi reſtauravit. Te quidem præ omnibus aliis rebus vinum, puto, olim beabit. Hæc ego aliaque multa quum jam menſes aliquot Spartana fortitudine toleraſſem, tandem diſpicere cœpi quibus modis non inultus ab ipſo poſſem diſcedere. Quum imber continuus toto die defluxiſſet, & rivuli per plateas paſſim decurrentes nobis, oſtiatim eleemoſynam quærentibus, obſiſterent: Cæcus, Vides, inquit, Lazarille & pluvias pertinaces, & plateas aqua pænè redundantes. Mihi quidem factu optimum videtur ut in hoſpitium redeamus. id quum ut ſuo arbitratu ageret annuiſſem, properantem eò duco ubi rivus ceteris latior fluebat. Hîc, Mi pater, inquam, cautione opus eſt ut ne pedibus noſtris balneum paremus. & ecce, jam locum diſpexi, ubi ſine ullo periculo ſaltu nos trajicere queamus. Porticus erat è regione, lapideis columnis innixa. Siſto ibi hominem ex adverſo unius, & quidem prægrandis. tum le-

Vaticinia improvida.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

vi ſaltu prior ipſe me trajicio : inde poſt columnam illam latens, ut & ipſe ſaltu me ſequeretur hortor. ille ad inſtar arietis cornibus aliquem impetituri, recollectis aliquot paſſibus, quanto poteſt ſaltu trans rivum ſeſe librat, ſed in columnam impingens ita retrocellitur ut fulmine percuſſum putares. Dum ille quadrupes in cœnoſo torrente volutatur, ego, Quid hoc rei, inquam, eſt, mi pater? An tibi farcimen ſuboluit, columna non ſuboluit : ubi jam tuus ille ſagax naſus? Sed tempus jam eſt, ut tu alium puerum, ego alium herum quæram. Quum hoc modo inteſtabilem illum Cæcum res ſuas habere ſibi juſſiſſem, curſu celeriter inde me proripui, nihil quid illo fieret ſollicitus.

Maquedam inde profectus, Clerici cujuſdam plebani miniſterio me addixi : è charybdi in ſcyllam, ab equis ad aſinos delapſus. Erat quidem Cæcus ille meus impendio avarus ac tenax, idem tamen cum hoc novo hero meo comparatus, magnus ille Alexander mihi videbatur. Quid vultis dicam? Totius Mundi avaritiam hic ſuo unius pectore concluſam geſtabat. id vitium an ei innatum vel adſcititium fuerit, ſanè neſcio. illud ſcio, majorem fa-

Clericorum quorundam avaritia.

famem me nullibi perpeſſum. Supellectilium quidem in ædibus ejus nihil ego vidi, quam ciſtam omnino carioſam; qua ille pro penore utebatur, ejusque clavem è zona pendentem aſſidue ſecum circumferebat. Sed quas delicias penore illo aſſervatas putatis? Lardum forte rancidum, carnes putidas, ſalſamenta corrupta, & id genus quiſquilias? Nihil horum unquam lar noſter aſpexit.

Aliquando tamen è macello caput ovillum domum afferebat. & ipſe quidem linguam, cerebrum, oculos, malas comedebat, reliquias vero mihi objiciens, Cape, inquit, & ſtrenue tuburcinare. en melius ferculum quam ipſius Principis menſæ inferatur. ego autem nihil aliud optabam quam ut tam lauto ipſe cibo perpetuò frueretur. Utinam vero mihi panis ſaltem ad explendam famem ſatis fuiſſet! quem ille multo diligentius quam Cereris ſacra concluſum aſſervabat. Longum ſit ac faſtidoſum, ſi vobis recenſere velim quibus inſidiis atque artibus panarium illud à me petitum, atque etiam aliquando expugnatum fuerit. unum tantū audite ſtratagema: quod & ipſum mutandi heri cauſſa mihi fuit. Fame tantùm non enectus, inter vetera ferra- *Fames inſidioſa*

menta

menta apud fabrum quemdam clavem adſpicio, ei quam herus meus geſtabat forma & magnitudine omnino parem. Eam quum homo miſerabilis non difficulter precario impetraſſem, jam Jovis cerebrum adeoque ipſum Copiæ cornu atque omnem ſitarciam in poteſtate habere mihi videbar. Una cura reſtabat, quomodo hominem attentiſſimum fallerem.

Primùm quidem abſtinere non poteram quin integram maſſam panis ſurriperem: poſtquam autem ter & amplius quidquid in ciſta erat panium numerantem ac renumerantem, digitis etiam computantem vidi, facileque tam ex verbis quam geſtibus ſuſpicionem ejus intellexi: cautius mihi agendum cenſui. Murium mihi in mentem venerat, (quamquam nullum unquam iſtis in famelicis ædibus viſum planiſſime perſuaſum habeam) quorum more panis medullam exterebrabam, deinde micas in ventrem congerebam, relictis pauxillis reliquiis. quibus conſpectis, tum rimis aliquot in carioſa ciſta deprehenſis, Plebanus mures omnibus diris exſecratus, aſſerculos vetuſtate tabidos, quantum poterat, coagmentabat. quos ego, illo abſente, præparato ad id ferrato cultro, foraminibus rurſus

ſus ita implebam, ut à muribus eroſi viderentur. Quibus capiundis quum fruſtra ille omnes artes adhibuiſſet, à vicino admonetur, ſerpentem forte domeſticum illum furem, quem non ſemel viderit in ædes irrepentem: quem mirum non ſit lubricitate ſua omnes decipulas fallere. *Mures bipedes.*

Hinc tanto magis anxius Plebanus, dies noctesque vigilare; quin etiam clavo ad lectum appoſito ſeſe armare, ad minimum ſtrepitum exſurgere, ac totas ferè noctes, tam venenatæ ac noxiæ beſtiæ metu, noctes inſomnes traducere. tum manè quærere ex me ſenſiſſemne forte beſtiam illam, ſe quidem nihil magis metuere quam ne non penum modo domeſticum depopularetur, verum etiam vitæ noſtræ inſidiaretur. Ego, qui beſtiam nôram, timidiſſimum me fingere. ſed præcipue illa me cura angebat, ne clavis illa Apertæ ſacrato, dum ille noctu domeſtico furi inſidians, obambulat apud me deprehenderetur. Sed profecto verum illud deprehendi, contra fata nullam valere ſeu prudentiam velis dicere ſeu aſtutiam. Quum enim aſtutiſſimo, ut mihi videbatur, conſilio, jam in ſomnum me componens, clavim ori inſeruiſſem: ecce medio in ſomno dum ronchos du-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

co, flatus os fiſtulæ ingreſſus, talem ſonum edebat, ut herus meus ſibilum illum ſerpentis, ſub ſtramine ſuper quo jacebam latentis eſſe ſuſpicatus, è lecto proſilierit, ac furtim ad grabatulum meum accedens, ſonum quà edebatur ſequutus, clavum, beſtiam ſcilicet percuſſurus, capiti meo ita impegerit, ut cerebrum pæne mihi diſperſerit. Ubi vero errorem ſuum ex mea hejulatione animadvertit, tum, allato lumine, clavim ex ore meo prominentem vidit, ſtatim me ſic cruento & ſemianimi relicto, nihil prius habuit, quam ut, aperta ciſta, fraudem meam planiſſime detegeret, & non vicinis tantum, ſed advenis etiam & quoſcunque nactus eſſet, facete admodum narraret. Id quidem ex aliis poſtea ego intellexi. totum enim triduum apud me non fui, nec quidquam tum me vel audiviſſe vel vidiſſe memini. Recollectis aliquantulum viribus, bonus ille ſerpenticida, Deo ſe gratias agere, ait, quod tam noxias beſtias deprehendiſſet. Enimvero cautione ſibi opus eſſe, ne porro penu ſibi depopulentur. Quæ verba quum ego minus intelligerem, ſua ille manu me eliminat, & faceſſere juſſum, pro viatico, crucis ſigno impertit.

Etſi vero & diuturna fame, & atrociſſi-

ciſſimæ plagæ doloribus confectus ac plane enervatus eſſem: Toletum tamen correpſi, ubi revincto capite vulnus oſtentans, incredibilem multorum liberalitatem ſenſi. quod ubi cicatricem obduxi, plerique & vultu me aſpernabantur, & verbis increpabant, dicentes: Ecquid puderet me tam valentem ac robuſtum ſtipem mendicare? Operis aliquid facerem, &, ut ceteri mortales, manuum mearum laboribus victum mihi quærerem, aut certe magnati alicui, Nobili aut civi famulatum præſtarem. Ad famulatus mentionem, facere non poteram quin contremiſcerem, quæ mihi apud Cæcum, quæ paullo ante apud Plebanum vita fuerit, recordans: ex quarum ingeniis & moribus reliquos heros omnes metiebar. Inter has curas forte fortuna occurrit mihi Nobilis quidam, ſatis eleganter veſtitus, cincinnatus, & tam inceſſu quam omnibus aliis rebus miram gravitatem præ ſe ferens. poſt mutuam contemplationem, rogat, An herum quærerem? Annuenti, Bonis auſpiciis, inquit ille, ô adoleſcens, hodie foras proceſſiſti; tam bonum herum (ſi tu modo velis) nactus. Quis me tum lætior. Jam focum mihi continuè ſplendentem, jam cellas, vino & omnis generis annona refer-

Mendici validi.

tas, jam ollas bubulis, ſuillis, ovillis, vitulinis carnibus bullientes, jam verua aſſamentis ſtridentia, jam ſartagines frixis piſcibus plenas, jam pernas, exta, glandia, ſumina & quidquid in cibum expetitur mihi imaginabar, jam propediem magnifico veſtitu conſpicuum me futurum circumſpiciebam, jam denique in ſummas divitias venturum me mihi perſuaſeram, quarum omnino aliquo modo futurus eſſem particeps: eoque alacriter ſuſcepto miniſterio, præeuntem novum herum ſequebar, nuſpiam oculos deflectens, ut ad omnem nutum præſto eſſem. Et ille quidem per omnes me fere plateas circumduxit, magnifice ſe, quod famulum ſcilicet haberet, inferens. ego quum nullibi ille conſiſteret, nihil in macello, nihil in foro emeret, tanto majori incedebam lætitia, nihil dubitans domi nos & cibum & reliqua omnia parata inventuros. Meridie jam appetente, primarium templum ingreſſus, jam peractis ſacris, omnique dilapſa multitudine ſolus avelli non poterat; ut eſſetne æditus pæne dubitare inciperem; ſi non eſſet, pietatem ejus ac devotionem vehementer admirarer. Tandem vero & ipſe exiens, mirifice ad gravitatem compoſito gradu longiſſimam plateam ingreditur: quam emenſus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſus, neſcio per quos amfractus ad angiportum quemdam contendit, ibique conſiſtens, caſulam quamdam reſerat, & ingredtens, ut ſequar jubet. Quid mihi tum animi putatis fuiſſe? Fateor ſane primo adſpectu nihil tam triſte mihi viſum. Per ſcalas male cohærentes enixi, cubiculum intramus, nulla ſupellectili, nullis utenſilibus inſtructum. Hic ille pallium ſollicite admodum prius, num puræ mihi eſſent manus, rogans, humeris ſuis detrahere me jubet, & excuſſo pulvere, complicatum menſulæ imponit. inde in putrem ſellam ſeſſum ſe recipiens, ocioſe cujas eſſem, quarum artium gnarus, & cætera quæ ſolent, percontatur. Breviter ad ſingula reſpondeo, ut cui animus jamdudum eſſet in patinis: jamque imperium ejus prandium apparandi exſpectabam. Jam enim duas horas ultra meridiem dies proceſſerat. Sed quum nec culinæ nidor, nec quidquam aliud ſpem mihi prandii promitteret, non potui quin fortunam meam mirarer ſimul & miſerarer, facile intelligens quali hero me addixiſſem: qui diu dubitavi, an ex chamæleontum forte eſſet genere, qui aëre victitant. Adeo totis ædibus nihil quod vel minimam ſuſpicionem Cereris aut Bacchi latentis præberet,

Munda paupertas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

conſpiciebatur. Poſt multos ultrò citroque habitos ſermones, tandem, An pranſus eſſem rogat, Neganti mihi, Atqui ego, ait, hodie mane largum admodum ſumſi jentaculum, quod quidem omnem prandii appetitum mihi exſtinxit. Tu quoque rectè feceris, ſi famem integram ad cœnam ſerves. Hic quidem ille non verba mihi ſed lapides loqui videbatur: parumque aberat quin animo & corpore conciderim, non tam præſentis famis cruciatu, quam & anteactæ meæ, & futuræ vitæ ſubeunte memoria. Equidem cum Plautino illo paraſito non immerito ſuſpicabar, Famem fuiſſe matrem mihi, cui quidem ego illam gratiam multo majorem referrem invitiſſimus, quod ut illa in alvo menſes me geſtavit decem, ita ego illam in alvo plus annos decem geſtarem. Vultu nihilominus ad hilaritatem quantum poteram efficto, Non inquam, here nobiliſſime, ego ex eo ſum puerorum genere, quibus unicum ſtudium eſt quidquid nacti ſunt abligurire, & cupediis inhiare. illud dicere auſim (& ſi adeſſent priores mei heri, ultrò, ſcio, teſtimonium mihi perhiberent.) vix ullum puerum paucioris ac facilioris cibi reperiri. Ille, Macte hac, inquit, tua virtute, mi Lazarille, quæ mihi te multo

cha-

chariorem facit. Et procorum ſane eſt ventrem cibo diſtendere. hominum, ſobrie ac frugaliter vivere. Sed ô me miſerum! cogitabam, cujus heri omnes famem tam ſalubrem eſſe arbitrantur. Hæc muſſans, pone januam, micas quaſdam è ſinu depromtas clam, ut putabam, in os vergo, & maxillas meas exerceo. Id conſpicatus herus meus Nobilis, Adeſdum, inquit, Lazarille. Quid ego te manducantem video? Adeo, pudore ſuffuſus: & tria panis fragmenta, uti è ſinu depromſeram, oſtendo. quorum optimum ac maximum ille ſumens, Hic, inquit, panis mediusfidius ipſa ſui ſpecie mihi allubeſcit. Sed quid tu? unde eum habes? an puris manibus factum putas? Horum, inquam ego, nihil ſcio, qualis qualis & undecumque ſit, mihi quidem optime ſapit. Ille, utinam puris tantum ſubactus ac piſtus ſit manibus. Guſtum ipſe exploravero. ſimul cum dicto ita turburcinari incipit, ut certamen mecum ſuſcepiſſe videretur. Ego id eum agere ſuſpicans, ut penſo ſuo abſoluto, mihi in reliquo abſolvendo dentium ſuorum locaret operam, quantum poſſum ſtrenue quidquid ad manum erat abſumo. ille ubi nihil reliquum vidit, micas etiam è veſtibus ſuis colligit. inde è

Mendica Nobilitas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

proximo conclavi fictilem urnam depromit, & quum prior ipſe bibiſſet, mihi porrigit. Excuſo me verecunde admodum, ac temeti expertum meo ajo. Ille, Cape, inquit. temetum non eſt, ſed unum ex quatuor elementis. quum ergo & ipſe pauxillum delibaſſem (cum fame enim bellum mihi plerumque erat, raro cum ſiti) & poculum loco ſuo repoſuiſſem, jubet ut ad alteram ſpondæ cui adſidebat partem ſecedam, & quæ monſtraturus eſſet diligenter obſervem. Sic altrinſecus conſiſtentes, miſerum grabatulum exſtruimus, illum quidem tanta duritie, tam tenui apparatu, ut me vix quidquam miſerabilius vidiſſe meminerim. Perticæ aliquot duobus tranſverſis tignis, aptatis ad id foraminibus, inſertæ erant. His ſaccus ſtramine repletus erat impoſitus. tum lectus ſuperbus admodum, ut qui ne latum quidem unguem vel Regi aut Principi ceſſiſſet. Plumiſne an tomentis fultus fuerit neſcio; hoc ſcio me ſæpius dum molliorem concinnare ſtudui, operam & oleum perdidiſſe: Pulvinis & culcita inſtar erant centunculi. Lodices nondum etiam dicere poſſim, è qua materia aut quo colore fuerint. Dum regium hunc thorum apparamus, jam dies fere abierat. Hic ille bonus paterfamilias,

O inſtructam bene domũ.

Cedo nulli.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

lias, Mi Lazarille, inquit, ſcis forum hinc longiuſcule diſtare. tum fures, lopodytæ, atque id genus laverniones noctu fere omnibus plateis graſſantur. Quid ſi cenam in craſtinum differamus? ego jam quidem nihil omnino annonæ in promtu habeo, ut qui hactenus primarii cujuſdam civis menſam frequentarim. nunc tempus & occaſio admonet, ut penum ipſe inſtruam, & domicilium quaſi figam. Ego, Mei cauſſa, inquam, mi here, ne ſis ſolicitus. neque enim unam tantum, ſed plures etiam noctes, ſi uſus veniat, citra incommodum cena carere poſſim. Ille, Quanto rectius hoc, inquit, tu quam plerique alii, qui largioribus & intempeſtivis epulis vitam ſibi præcîdunt: ad quam diutiſſime conſervandam nihil utilius eſt quam permodici cibi uſus. Tum ego mecum: Hoc ſi ita eſt, Tithono ſane ego fuero longævior, ut qui medicorum hoc præceptum, quamquam non ex medicorum conſilio, à puero nimis quam accurate obſervarim. Inter hæc appetente jam nocte, herus meus exutis veſtibus in lectum ſeſe componit, ego vero ad pedem ſpondæ juſſu ipſius me reclino. Quam ſuaviter ille (nam & ipſe & impranſus & incœnatus cubitum iverat) dormierit neſcio: ego quidem tota illa

Incommodum ſanitatis remedium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

noƈte ſomnum oculis non vidi. interim namque dum animus meus prioris fortunæ pertæſus, futuræ anxius miſerum in modum diſtraheretur, ſpondæ durities latera mihi totumque corpus affligebat. nec commovere me audebam, ne heri ſomnum perturbarem veritus. Quid multis? Veris ego lachrymis ac gemitibus infelicitatem meam deplorabam, & non falſo voto mortem mihi imprecabar. Mane quum uterque conſurrexiſſemus, ille quidem per ocium veſtes diligenter manibus, quod deeſſent ſcopæ ſetaceæ, à me purgatas, induit, manus deinde ac faciem, me aquam affundente, abluit, tum digitis (neq; enim peƈtinis erat copia) capillos diſcriminat, & quantum poterat, in cincinnos componit. Quum deinde per cubiculum paſſus aliquot feciſſet, gladium lateri aptandum mihi commonſtrans, Hic, ait, quovis theſauro mihi potior eſt, unus ex omnibus quos faberrimus ille faber Antonius Pincinnius fecit, exquiſitiſſimus. Tum vagina extraƈtum vibrans, Cedo, inquit, mihi quemvis thoracem ferreum, & eum tibi diſſeƈtum dabo. Et tu (ſic ego apud animum meum cogitabam) Cedo mihi quemvis panem, aut armum bubulum, aut pernam, & dentes mei tibi hæc omnia diſ-

ſeƈta

ſecta dabunt, quamvis illi è ferro, aut chalybe facti non ſint. Appenſo inde ad latus precioſo gladio, & humeris injecto pallio pedem domo effert, & magnifice undique ſe circumſpiciens, per plateas frequentiores & fora velut modulato aut cribrato greſſu ſeſe infert. Confectis aliquot ſpaciis, jubet ut domum redeam, & interea dum ſacris ipſe interesset, lectum exſtruam, aquam è proximo flumine hauriam, ceteraq; domeſtica obeam munia: in primis autem ædes diligenter occludam, ne fures aliquid harpagarent. Et ad hoc quidem vix riſum cohibui: quum vero adderet, ut ſi forte exire negocii cauſſa vellem, clavim commonſtrato ad id loco reponerem, id dicere mihi viſus eſt, prandium, adeoque omnem victum foris mihi quærendum. Revertens ego, ſic mecum meditari cœpi: Deum immortalem, quam multa tu vides hominibus plane abſcondita! Quis miſerum illum hominem externa æſtimans ſpecie, non ſummo prognatum genere, non invidendis opibus præpollere putet? An quiſquam credat, impranſum heri & incenatum cubitum iviſſe, & hodie è tam vili ſurrexiſſe grabatulo? aut micas è Lazarilli ſinu depromtas heri eſitaſſe? Quam ſpecioſis coloribus humana occultatur miſeria?

O vanitas.

Alius foris, alius intus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Hæc aliaque multa & in via & domi cogitans, obſeratis foribus ad flumen cum urna deſcendo : tum forte fortuna herum meum in altera ripa cum duabus puellis colloquentem video. quorum ſermonem audiendi cupidus, clam arrepo. Erant hæ ex earum genere quæ matutinis deambulationibus, non, ut ille, famem obſonare, ſed ſedare ſtudent. Et ſane raro accidit ut ejuſmodi venatrices ſine præda domum revertantur. Et jam in ſermone, conſumtis ab hero meo omnibus artis Amatoriæ pigmentis, illæ eouſque proceſſerant, ut jentaculi ultro injicerent ſermonem. tum ille, cui marſupium æque frigebat ac ſtomachus calebat, expalleſcere, hæſitare verbis, ex tranſverſo aliquid aliud in medium adducere, ita denique ſe excuſare, ut illæ, vultu hominem aſpernatæ, propere ab inſalutato quaſi diſceſſerint. Propero & ego domum : quam quum vellem verrere, ſcopas non habebam. nec quidquam aliud videbam, quod me ad adventum uſque heri occupâtarum teneret. quod ergo reliquum erat, ocioſus domi opperiri conſtitui : ſed dudum elapſa hora prandii, ubi herum nullum venire animadverti, foras prodeo, clavim quem demonſtrarat loco repono, & monente ventre, oſtiatim vi-

ctum

ctum quærere incipio. Vide quanti ſit à teneris adſueſcere. Quia in hac arte, quam cum Cæco factitaram, tyro non eram, brevi tantum profeci, ut præter neceſſarium victum aliquid etiam ſupereſſet. Illa ipſa veſpera, quum jam pane & ventrem ſaburratum & ſinum refertum haberem: per macellum domum rediens, ab anu exta vendente eleemoſynā flagito: quæ ſtatim neſcio quas reliquias mihi objecit. Hoc commeatu onuſtus domum peto; quo jam herus ante me venerat, & depoſito diligenterque complicato, ut ſemper ſolebat, pallio obambulabat. Me conſpicatus, accurrit celeriter, non ſine meo metu, ne plagæ mihi in mundo eſſent. Placide rogat, unde veniam, ubi fuerim. Reſpondeo, exſpectaſſe me ad horam uſque ſecundam pomeridianam: ad quam quum non adfuiſſet, foras iiſſe, & quod videret, à piis hominibus corrogaſſe: ſimul annonam meam effundens. Non ſtomachabatur ille quidem, quod initio ſubverebar, ſed, Ego quoque ajebat, in prandio te aliquamdiu exſpectavi, ſed quum in mora eſſes, ſolus prandium omne abſumſi. Te quidem ut frugi & bonæ indolis puerū laudo. Certe enim mendicari melius eſt quam furari. illud tantum moneo ut quod agis caute agas, ne quis forte te in

Herus famuli alumnus

meo famulatu eſſe comperiat. ea enim re exiſtimatio mea majorem in modum læderetur. Sed nihil eſſe periculi facile mihi perſuadeo: ut qui in hac urbe pauciſſimis notus ſim. Atque utinam pedem nunquam huc intuliſſem! Ego, Bono animo es, inquam, mi here. Ex me quidem nemo quidquid hujus eſt reſciſcet. Perfruere ergo, inquit ille, cena tua. Deum ego ſpero in poſterum nobis magis fore propitiũ, & calamitatibus meis finem impoſiturum. illud vero tu ſcito, ex quo in hanc domum commigravi, nullum lætum diem mihi illuxiſſe. Hæc ſine dubio ex earum eſt numero, quæ infauſtis ſideribus conditæ, infauſta quæque incolentibus afferunt atque accerſunt. unde mihi certo certius conſtitutum eſt, quantocyus hic menſis effluxerit emigrare, & commodiorem habitationem quærere. Hæc illo dicente, ego, ne hero lurco aut vorax viderer, ut qui tempus cenæ antevertiſſem, in ipsũ pavimentum, quod nulla, ut ſupra dixi, haberemus ſedilia, ſeſſum me recipio, & integram famem ſimulans, cupide admodum tam panem quam exta emendicata, ante me in ſinum effuſa, contrudo: à quo famelicus ille nuſquam oculos dimoverat. Ita mei Deus miſereatur, ut me miſeri illius hominis miſeritum eſt!

Ædes infauſtæ.

Etſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Etſi enim non ore, ſed oculis rogare mihi videbatur; ad communem menſam tamen invitare non audebam, veritus ne id pro contumelia interpretaretur. Tandem ille propius ad me accedens, cum admiratione exclamat, ac per Nobilitatẽ ſuam dejerat, vix unquam ullum hominem ſibi viſum, qui meliore cum gratia & appetitu dentium operam exerceret. Unde ſalivã ſibi quoq; motam; & quamvis jamdudum ad ſatietatem cenatus ſit, velle tamen paullulum mecum deguſtare, inter exta pes erat bubulus: ad quem ille tamquam larus inhians dejectis oculis, Ex omnibus, inquit, cibis, nullus palato meo magis arridet, etiam ipſa ambroſia præ hoc veſci non velim. Rogo humiliter, ut ſumeret quod cumq; ſibi placeret. Sic ille juxta me conſidens, totius cenæ participẽ ſe fecit, multa magis ſtrenue quam ego tuburcinatus. *Poſtquã exempta fames epulis, menſæque remotæ*, jubet ut ex proximo conclavi hydriam afferam: è qua quum nihil omnino delibatũ viderem, facile animadverti cenam illam, qua perfunctum ſe herus meus dixerat, eſſe commentitiam. Cubitũ inde conceſſimus: eaque nocte, ſedatis ſcilicet ventris doloribus, melius uterq; quieſcere viſi. Non diutius vos minutarum rerum narrationibus detinebo. illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tantum vobis aſſevero, in animo meo neſcio quem amorem erga herum hunc meum, licet miſerum & famelicum, exarſiſſe: quem non dubito ſi quid ei ad manum fuiſſet, liberalitatem quoque ſuam erga me depromturum fuiſſe. tanto magis & Cæci illius & Plebani, quibus ante famulatus fueram, extremam avaritiam deteſtabar, qua me homines nequiſſimi ac ſordidiſſimi, tantum ut bonis ſuis parcerent, ad necem pæne dederant. Admirabar ſimul hominis hujus patientiam, qui in tanta egeſtate tantum animum gereret, tamque magnifice foris ſeſe oſtentaret, ut è ſummatibus aliquis eſſe ac Crœſi divitias poſſidere videretur. Ex eo ſane quotieſcunque ardelionem ejuſmodi video, veſtitu, inceſſu, geſtibus magnifice ac ſuperbe ſe inferentem, ſtatim animum meum miſeratio ſubit, ſimilem miſeriam ſub pompa illa latere ſuſpicantis. Jam ſatis intelligitis, opinor, quæ mea ſub hero illo, ſeu potius alumno meo fortuna fuerit: cujus genus, conditionem, negocia modis omnibus noſcere ſatagebam, ſed quum advena eſſet, diu explorare nihil poteram, donec ipſe, credo quod largiuſcule alicubi paraſitando ſeſe invitaſſet, quodam die ſic exorſus eſt: Procul dubio, mi Lazarille, præſentem

meam

meam fortunam intuens, miraberis quid ſit, quod homo nobilis tam paupertinam ducam vitam. quocirca ne ſequius aliquid de me aut generis mei Nobilitate ſuſpicére, ſic habeto. Patria eſt mihi Caſtilia vetus. genus à longa majorum ſerie ac proſapia, prænobile. Cauſſam peregrinationi meæ præbuit æmulatio quædam, inter me & vicinum orta. Erat is generis nobilitate ſors mihi par, opulentior tamen. Hinc ille criſtas altius erigens, ſalutantem quidem comiter reſalutabat, numquam tamen prior me ſalutare aut honore prævenire dignatus eſt. Id quum ego nec ferre, nec ob hominis potentiam & auctoritatem ſatis commode ulciſci poſſem: exſilium mihi ipſe indicere, quam ſubmiſſione mea ambitionem ejus alere malui. Heic quum ego juvenili ſimplicitate ſubjeciſſem, Mihi quidem non videri iſthæc talia ita ad vivum reſecanda, nec ob tantillam rem ſolum vertendum & ipſos penates deſerendos; ille, De te nihil mirum, inquit, mi Lazarille qui puer es, nec in quibus rebus honor & exiſtimatio ſita ſint nôſti: quæ quidem, Nobili inprimis, ipſa vita chariora eſſe debent. Egon' inquam paria non facienti reverentiam exhibeam? Mihi crede, ſi vel Comes à me ſalutatus non

Vana ſuperbia.

pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

paribus me ceremoniis reſalutaret, nec totum caput, ut nonnulli ſolent, commoto leviter pileo, aperiret, numquam vel minima reverentiæ ſignificatione me ipſum dignaturum; quin etiam ſi eminus venientem videam, veſtigia retrolecturum, aut in proximas ædes receſſurum. Si neſcis enim, nemini mortalium quiſquam Nobilis quam Regi aut Principi ſuo, poſt Deum, debet reverentiam: nec ulla res eſt in qua vere Nobilis honorem ſuum atque exiſtimationem pertinacius defendere ac nemini cedere teneatur. Memini opificem quemdam in patria mea, quum nimis familiariter me ſalutaret, acerbe à me increpitum, atque etiam, parum abfuit, verberibus dedolatum fuiſſe. Et profecto non ea mei generis eſt conditio, ut cujuſquam imperium pati debeam. Crede mihi, ſi tantum ſoli haberem in urbe Toletana quantum in mea patria, ſatis ſuperque mihi fore unde viverem. Nunc illud quoque res meas valde afflixit, quod patrimoniale illud meum prædium, collapſa domo & agris non tam incuria quam cultorum inopiâ neglectis, inutile fere mihi factum eſt, ac tandem uſuris ac penſionibus abſorptum. Ego tamen quidvis potius perpeti paratus ſum, quam ut cui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

cuiquam magnati, præterquam ipſi Regi, aut magno alicui Principi inſerviam. Scio enim quæ ſit famulantium conditio: qui ſi placere heris ſuis ſtudeant, reliquorum contubernalium odia incurrunt. Quod ſi quis ad nutum ac voluntatem heri accommodare ſe non poſſit, quid, Deus bone, tali homine comtemtius ac miſerius fieri queat? Si mihi tamen famulatum ejuſmodi obire neceſſe ſit, hoc inprimis mihi ipſe imperare velim, ut promtus ſim ad omnia obſequia, ut hero in omnibus aſſenter, cum ajente ajam, cum negante negem, nullo veri aut falſi diſcrimine, ridenti arrideam, applaudam ineptienti, in omnibus denique illud caveam, ne quid dicam aut faciam quod vel minimam ei moleſtiam aut offenſiunculam mihi creare poſſit. Vidi pleroſque id genus homines hoc unum agere, ut præſentibus heris rerum omnium, etiam nullius momenti, ſatagant, iiſdem abſentibus, omnia ſuſque deque habeant: tum ſi quid ſecus acciderit, reliquos contubernales etiam magis fidos ac diligentes inclament & objurgent iis verbis, quæ ab hero clam auſcultante audita, firmiſſimam diligentiæ ac fidei animo imprimant perſuaſionem. De reliquis Aulicorum moribus, mi Lazarille, nihil

am-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

amplius dicam, quam mirari me, & eſſe quemquam qui in tam impura commi- niſtrantium colluvie tam ingratis heris ſervire velit;& reperiri Principes ac magnates, qui tam improbam Aſſentatorum oculis tantum ſervientium turbam ferre poſſint. Mihi tamen ſi fortuna magni alicujus Principis favorem conciliaverit, nihil prius futurum ſit quam omnibus obſequiis in re qualibet eumdem retinere atque augere.

Herus fugitivus. Hæc quidem ille, ſimulque alia multa quæ jam non occurrunt, mihi memorabat: quum ecce ſenex quidam cum muliere in domum noſtram irrumpit, rationes profert, pecuniam tam pro ædium quam lecti uſura pactam flagitat. Erat verò herus ille meus ea modeſtiâ ut neutiquam iraſceretur; ſed ſollicite inprimis moram ſolutionis excuſaret, rogaret tandem ut veſperi redire vellent, interea ſe pecuniam à collybiſta petiturum. Degreſſis illis, bonus vir cum omni ornatu ac ſubſtantia ſua, more ſolito, progreditur, utque ædes interim diligenter cuſtodiam jubet. Mox cum veſpere redeunt creditores; quum ad multam uſque noctem fruſtra exſpectaſſent, occluſis foribus domum & ipſi eunt, ego ad vicinos diverto. Quid poſtea vel hero meo vel creditoribus acci-

acciderit neſcio. equidem hoc affirmare poſſum, non me ab hero, ſed herum à me aufugiſſe. Hoc modo novum quærere dominum coactus, Cazzagliam tandem veni: ibique ducta in uxorem Senatoris cujuſdam nobilis ancilla, ejus commendatione honorabile munus adeptus ſum, ut ſcilicet vino præconium faciam. Et cetera quidem in familia mea recte ſe habent, niſi quod uxoris meæ lubricitatem invidi mihi exprobrent. Sed dicant illi quod lubet: mihi certum eſt nihil ſequius ſuſpicari, ut cui uxoris meæ probitas omnium optime ſit explorata.

Hic unus è ſodalibus noſtris: Recte tu, qui pacifice cum uxore cupis vivere. quod ſane ubi ſiniſtra aliqua ſuſpicio vel paullum inoleverit, fieri non poteſt. Suadeo tamen ne nimis fidendo, deceptum tandem te ſentias. Neſcis tu forte quam inſtabile ſimul & aſtutum ſit muliebre genus. Exemplum, ſi vis, audi, non recens, ſed vetus. quod dum narro, ad oppidum, cujus aſpectus jam nobis patere incipit, tanto minore cum moleſtia perveniemus.

Matrona quædam tam notæ erat pudicitiæ, ut vicinarum quoque gentium feminas ad ſui ſpectaculum evocaret. Hæc ergo quum virum extuliſſet, non

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

contenta vulgari more funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam proſequuta eſt defunctum, poſitumque in hypogæo Græco more, corpus cuſtodire ac flere totis noctibus diebuſque cœpit. Sic affligtantem ſe ac mortem inedia perſequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui. magiſtratus ultimo repulſi abierunt, complorataque ſingularis exempli femina ab omnibus, quintum jam diem ſine alimento trahebat. Adſidebat ægræ fidiſſima ancilla, ſimulque & lacrumas commendabat lugenti, & quotiens defecerat poſitum in monumento lumen renovabat. Una igitur in tota civitate fabula erat: & ſolum illud adfulciſſe verum pudicitiæ amoriſque exemplum omnis ordinis homines confitebantur: quum interim imperator provinciæ latrones juſſit crucibus affigi, ſecundum illam eandem caſulam, in qua recens cadaver matrona deflebat. Proxima ergo nocte quum miles qui crucem adſervabat, ne quis ad ſepulturam corpora detraheret, notaſſet ſibi & lumen inter monumenta clariùs fulgens, & gemitum lugentis audiiſſet; vitio gentis humanæ concupiit ſcire, quis aut quid ibi face-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

faceret. Deſcendit igitur in conditorium viſaque pulcerrima muliere, primò quaſi quodam monſtro inferniſque imaginibus turbatus ſubſiſtit: deinde ut & corpus jacentis conſpexit, & lacrumas conſideravit, faciemque unguibus ſectam, ratus ſcilicet quod erat, deſiderium exſtincti non poſſe feminam pati; attulit in monumentum cenulam ſuam, cœpitque hortari lugentem, ne perſeveraret in dolore ſupervacuo, & nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eumdem exitum eſſe: ſed & idem domicilium: & cetera quibus exulceratæ mentes ad ſanitatem revocantur. At illa ignota conſolatione percuſſa, laceravit vehementiù pectus, ruptoſque crines ſuper pectus jacentis impoſuit. Nec exceſſit tamen miles, ſed eadem exhortatione tentavit dare mulierculæ cibum, donec ancilla vini certe ab eo odore corrupta, primùm ipſa porrexit ad humanitatem invitantis victam manum: deinde refecta potione & cibo, expugnare dominæ pudicitiam cœpit. &, Quid proderit, inquit, hoc tibi, ſi ſoluta inediâ fueris? Si te vivam ſepelieris? ſi antequam fata poſcant, indemnatum ſpiritum effuderis?

Id cinerem aut manes credis curare ſepultos?

Vis

Vis tu reviviſcere, reluctantibus fatis, exſtinctum? vis diſcuſſo muliebri errore, quam diu licuerit, commodis frui? ipſum te jacentis corpus admonere debet ut vivas. Nemo invitus audit, quum cogitur aut cibum ſumere, aut vivere. Itaque mulier aliquot dierum abſtinentiâ ſicca, paſſa eſt frangi pertinaciam ſuam: nec minus avide replevit ſe cibo quam ancilla, quæ prior victa eſt. Ceterum ſcitis quid tentare ſoleat plerumque humanam ſatietatem. Quibus blanditiis impetravit miles ut vivere vellet, iiſdem etiam pudicitiam ejus aggreſſus eſt. Nec deformis aut infacundus juvenis caſtæ videbatur, conciliante gratiam ancilla, ac ſubinde dicente:

——Placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem quorum conſederis arvis.

Quid diutius moror? ne hanc quidem partem mulier corporis abſtinuit, victorque miles utrumque perſuaſit. Jacuerunt ergo unà, non tantum illa nocte qua nuptias fecerunt, ſed poſtero etiam ac tertio die, præcluſis videlicet conditorii foribus, ut quiſque ex notis ignotiſque ad monumentum veniſſet. Putaſſes exſpiraſſe ſuper corpus viri pudiciſſimam uxorem. Ceterum delectatus

tus miles & forma mulieris & ſecreto, quidquid boni per facultates poterat, coëmabat, & prima ſtatim nocte in monumentum ferebat. Itaque cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam cuſtodiam, detraxere nocte pendentem, ſupremoque mandaverunt officio. At miles circumſcriptus dum deſidet, ut poſtero die vidit unam ſine cadavere crucem, veritus ſupplicium, mulieri quid accidiſſet exponit, nec ſe exſpectaturum judicis ſententiam, ſed gladio jus dicturum ignaviæ ſuæ. commodaret modo illa perituro locum, & fatale conditorium familiari ac viro faceret. Mulier non minus miſericors quam pudica, Nec iſtud, inquit, dii ſinant, ut eodem tempore duorum mihi cariſſimorum hominum duo funera ſpectem. malo mortuum impendere quam vivum occidere. Secundum hanc orationem jubet corpus mariti ſui tolli ex arca, atque illi quæ vacabat cruci affigi. Uſus eſt miles ingenio prudentiſſimæ feminæ: poſteraque die populus miratus eſt, qua ratione mortuus iſſet in crucem.

Riſu excepêre fabulam comites, multaque alia in muliebrem perfidiam jocati ſunt: quum ad oppidum fere jam pervenimus. Hic agaſo deſcendere nos jubet, *Ruſticanorum liberalitas qualis.*

jubet, quod non oppidum ingredi, ſed Tinajam uſque progredi, conſtituiſſet. Et tu, inquit, adoleſcens, rationes mecum puta. Tanto mihi acerbior hic ictus fuit quanto magis inopinatus. Gratis me in hoſpitio paſtum, gratis vectum credideram, at bonus ille meus jam mercedem flagitabat. Hem' ideone tantam in ruſticano homine liberalitatem antea admiratus ſum? Rogo, quantum debeam. Tantumdem, inquit ille, ſolve quantum hi qui tecum vecti ſunt. ſed præter vecturam, ſcis me in hoſpitio pro te ſatisfeciſſe. Quod ad hoc, inquam, reſtituam quod licet injuſſus, pro me expoſuiſti. at provectum nihil tibi debeo, quam tu ultro mihi obtuliſti. quippe pedibus uti poteram, nec tuo hoc, ut falſo interpretatus ſum, beneficio indigebam. Contentionem hanc noſtram ita diremerunt comites, ut jumenti quod equitaſſem pabulum ſolverem, vecturam immunem haberem. Sic miſello mihi zonula jam ante tenuis omnino exhauſta fuit, ut in fundo ejus viginti tantum nùmuli relicti fuerint: cum quibus oppidum ingreſſus, ſolus (reliqui enim comites alius aliò diſceſſerant) hoſpitium fortunis meis congruum quæſivi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT VIII.

Guſmanus Cazzaglia Madritum proficiſcens, miſerabilis hominis conditiones experitur. In via cauponi operam ſuam addicit.

CAzzagliæ quum eſſem (oppidum id duodecim Hiſpali abeſt milliaribus) dici non poteſt quam variæ atque adeò contrariæ curæ ac cogitationes animum meum incursârint. Bona res & optabilis eſt, habere patrem; melior matrem; at optima, cibum. Similis mihi videbar cani famelico, quem pendente cauda obambulantem omnes allatrant & circumſiſtunt: ille vero, nudatis tantum dentibus, nullum eorum mordet, ſed ſatis habet ſi illæſus abeat. Reipſa tum expertus ſum quanti ſit numus; quem qui non magno lucratur labore, nihili æſtimat, nec ſcit quantum valeat, donec eo ipſo quoque deſtituatur. Tum primum ego Neceſſitatem vidi, ut ita dicam, de facie ad faciem: cujus effectus poſtea ſenſi. O durum telum! ô peſſimam peſſimarum rerum magiſtram! Quid non mortalia cogis pectora? Vere

Miſerabilis qualis.

Neceſſitatis vis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tu leges omnes frangis. verè tu in ſervitutem cuncta adigis : adeò ut non immeritò ipſis Ethnicorum deaſtris imperitare olim ſis credita. Tui, iritatæ præſertim (ut Portius Latro, forte ipſe expertus ait) morſus ſunt graviſſimi. Illud neſcio, pluſne mali an boni ad hominum vitam attuleris. Scio quidem omnium pænè artium inventionem tibi deberi. Quis enim (reliqua omnia prætereo) Pſittacum docuit ſuum χαῖρε?

Magiſter artis ingeniique largitor
Venter.

Sticho. Recte Plautinus ille :

Egeſtas & inopia omnes artes perdocet
ubi quem attigit.

Nec artes ſolum, verum etiam virtutes docet Neceſſitas:quæ,ut Curtius ait,

Lib.5. *Ignaviam quoque acuit, & deſperatio ſæpè ſpei cauſſa eſt.* eademque, ut ibidem ait, *efficatior eſt omni arte.* Nec minus ſcite

Livius. alius, *Nullum incitamentum ad vincendum homini à diis immortalibus acrius eſſe*, dixit. Hoc ut non nego; ita viciſſim illud ſcio, vix eſſe quidquam quod hominem in periculoſiori ſiſtat præcipitio. O quam mirabiles cogitationes animo ſubjicit egeſtas! quam intricata ſuggerit conſilia! ut mirum non ſit, ejus unius cauſſa, ab hominibus male à natura, pejus etiam à doctrina inſtructis tot flagitia quotidie de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

deſignari. Quando vero de Egeſtate loquor, non illam tantum intelligo quæ ad vitam neceſſariis caret præſidiis, ſed eam quoque quæ in rerum omnium abundantia nullum modum invenit aut ſatietatem. Tam de avaro quam mendico dici poteſt, *Peram non impleri* : & *Loculos ſemper inanes.* Ille, ut Horatius ait, *Magnas inter opes inops, ſemper eget*, &, ut, *Egeni qui.* *Ad. 17. Epod.*

Pauper Opimius argenti poſiti intus & auri, *Epiſt. 2. lib. 1. Sat. 3. lib. 2.*

nec iis rebus quas vel labore ſibi acquiſivit, vel fortunæ beneficio nactus eſt, uti frui audet, ſed, ut alter Tantalus,

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat.

Certè ſi recta ratione atque adeò ipſa experientia rem putare velimus; ad graviora flagitia plures impellere ſolet Avaritia quam Egeſtas. illud intereſt, quod Avarus malis ſuis artibus facile honeſtum invenit pallium, ac divitiarum pondere gravis, legum telas diſrumpit, in quibus miſeri quibus egeſtas aut alia quædam neceſſitas maleficium perſuaſit, obhæreſcunt. O quam ſapienter ille poſt homines natos Rex ſapientiſſimus & divitias & paupertatẽ à ſe deprecatus eſt! ne tam ab illis quam ab hac peccandi arriperet occaſionem. Paucis contenta eſt natura : quæ tamen ipſa ſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

deſint, ſit ſanè ut homines turpiter ſedent, & malis artibus victum quærant. Tanto diligentius elaborandum eſt, ut quæ Dei munere obtingunt, non ſuperfluis, ſed neceſſariis uſibus impendantur. Sed philoſophari ceſſo: ad hiſtoriam redeo. Tot malis, iiſque improviſis vexatus, velut è tenebris ad lucem emergere mihi videbar, paullatim quid eſſet Mundus, noſcitans, quem tum velut è tranſenna inſpicere incipiebam. Tot moleſtiarum quæ in via mihi occurrerant, ac quarum longam ſeriem à tergo videbam pertæſus, domum regredi cupiebam: ſed obſtabat verecundia. Qua enim fronte, vix paternæ domus limen egreſſus, rurſum matris, cognatorum, atque etiam ipſorum ſodalium meorum oculis ſeminudum me objicere auderem? Laudabilis ſanè, in juvenili præſertim ætate eſt verecundia: eſt tamen pudor quidam non inutilis modo, ſed & vitioſus. Proverbium eſt, *Viro egenti inutilem eſſe verecundiam*: ego vero multos præterea novi omnis conditionis & ætatis homines à vitioſo pudore perditos. O quam multæ puellæ virginitatis jacturam fecerunt, quod pudori ſibi ducerent procantibus, ac procos non veros agentibus ſed ſimulantibus tantum, in amore non re-

Vexatio dat intellectũ.

Verecundia vitioſa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

reſpondere! Quam multi, dum quidquam amicis negare erubeſcunt, & hos deinde, ubi res ſolvenda eſt, & fortunas ſuas amittunt? Quam multos pudor deterret ea quoque diſcere quæ turpe eſt neſcire. Quam multa, ut ait Flaccus,

Incurata malus pudor ulcera celat!

Jlocalariter Plautinus ille ſervus ait:

Verecundari neminem apud menſam decet.

Nam ibi de divinis atque humanis cernitur. *Dictum ſervo dignum.*

Ego vero multa alia commemorare poſſem, in quibus nulla, aut certe non magna pudoris habenda ſit ratio. Sed ne rurſus exorbitem, in viam redeo. Pudore, ut dixi, deterritus, abjecto domum redeundi conſilio, Madritum uſque proficiſci decrevi, ubi tum Rex aulam, & magnam Principum ac Magnatum circa ſe habebat multitudinem. Deus bone, quam vanas cogitationes meas poſtea deprehendi! Imaginabar mihi quamprimum eò veniſſem, omnes ultrò operam meam ac miniſterium ambituros, ac certatim dona atque opes in me congeſturos. Sed chimæræ iſtæ fuerunt, in Vacuo bombynantes: quas ubi ſol proximi diei ortus diſcuſſit, in viam me rurſus dedi, relictis Cazzagliæ unà cum numulis, quæ in aëre ædificâram *Vanæ imaginationes.*

caſtellis, ſumtoque in manus baculo, quo greſſum adjuvarem, porta egreſſus duos video mulis inequitantes; quos pedibus ſequi ſtatui, ad minimum ex colloquio eorum ſolatium aliquod mihi pollicitus. Sed illi non minus verborum quam numorum parci, quum jam ſummo cum ſilentio aliquot emenſi eſſemus milliaria è jumentis deſcenderunt quidem, ego verò quamvis feſſus admodum & pænè exanimis, tum mulis in ſtabulum deducendis, tum ſarcinis in hoſpitium deferendis diligenter miniſtrabam, ratus fore ut ad minimum cibi aliquid miſero mihi ac famelico impertirent. Jam menſa erat poſita: quum eorum alter ſedulo occurſantem faceſſere ac res meas agere me jubet. O peſſimi homines, cogitabam, ac Deo hominibuſque juxta inviſi! Satis vobis non fuit in via, quantum in vobis fuit, me perdere, & deſertum pati: nunc etiam ſupra vires inſervire conantem tam atrociter ſpernitis. Sic mœſtus, è regione menſæ cui illi aſſidebant, parieti me acclino, & non verbis quidem, oculis tamen particulam aliquam qua reficere vires ac famem aliquo modo ſedare poſſem, flagito. Sed non magis illi me curabant, quam ſi natus nunquam fuiſſem. Verum ecce dum tacitus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tus miſerias meas conſidero, Monachus quidam è mendicantium familia, idem hoſpitium ingreſſus, quod habebat cibarii è pera depromit: quumque me tamquam corvum buccis quibuslibet quas alii in os ingerebant, inhiantem animadverteret, extemplo, Equidem, ait, omni cibo ego carere malim, mi fili, quam pati ut cum fame, qua te prope perditum video, diutius conflicteris. Cape ergo & unà fruere eo cujus mihi jam eſt copia. O immenſam Dei bonitatem, æternam ſapientiam, providentiam divinam, infinitam miſericordiam, qua non homines tantum, ſed etiam viliſſima animantia & vermes alis ac ſuſtentas! Ecce qui juvare me facultatibus ſuis poterant, viſcera miſericordiæ claudunt, & famelicum ne mica quidem dignantur: at mendicus ille, nihil reliquum fere ſibi faciens, ignoto dat quod habet. Verum certe eſt, qui non ipſe multa tulerit ac perpeſſus ſit, non facile aliorum miſeriis commoveri. Tandem jam ſaturo bonus ille Frater quod reliquum habebat panis porrigit, ſi plus haberet, plus daturus: quod ego tunicæ aperta ſutura injeci, ſicque in viam rurſus me dedi. Eo die confectis adhuc tribus milliaribus, ſub noctem unà cum aliis viatoribus in diver-

Mendicus mendicum juvat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſorium me recepi, & prandii reliquiis pro cena uſus ſum: quæ talis fuit ut ſtomachum mihi inde neutiquam fuiſſe gravatum, vel injurato mihi fidem omnes ſint habituri. Mane quum ſurrexiſſem, meque ad iter accingerem, hoſpes pernoctationis precium, quatuor ſcilicet numos, quamvis in ſtramine cubuerim, à me petit: quos quum non haberem, neceſſariâ conſequentiâ dare non poteram. Videns autem id eum agere, ut tunicam à me auferret, quæ, utpote ex optimi generis panno confecta, amiſſo pallio, habitum meum aliquo modo commendabat, & paupertatem celabat, amarè admodum plorare cœpi. Id conſpicatus quidam ex aurigis qui eôdem diverterant (neque enim omnes in eadem ſchola agreſtes mores edocti ſunt) miſſum me facere, & numulos illos ſibi imputari jubet. Rogant ejus ſocii, cujâs eſſem, unde venirem, quò tenderem. Ille, Quid vos fruſtra hæc ſine ullo alio beneficio interrogatis? Non videtis vel ab hero vel à parentibus ſuis profugiſſe? Hæc audiens hoſpes, rogat, An ſervire ipſi vellem. Quod etſi grave mihi videbatur, ut qui hactenus domi famulis & ancillis, adeoque ipſi matri imperare eſſem ſolitus, annui tamen: ſicque in familiam

liam

liam receptus, paucis diebus cauponarias artes vel maleficia potius didici, quæ ſunt: Avenam vel hordeum infuſa calida aqua tumefacere, eandem fraudulenter admetiri, demenſo aliquid demere, cretâ bifurcatâ uti, vino injectis herbis, aliiſque noxiis rebus ſaporem conciliare, idem aqua diluere ac tantum non penitus transformare. Tum quidem expertus ſum, vinum natandi habere facultatem, abſque hoc enim quomodo fieri poſſet, ut in tanta aqua non ſummergeretur, aut plane ſuffocaretur? In una hac domo multorum hominum mores vidi. Erant ex viatoribus qui ſine ulla contradictione quod poſcebatur ſolvebant, & prudenter, meo quidem judicio: quum hoſpitum verba aut rationes diffinitivæ ſunt ſententiæ, contra quas replicare, multo minus provocare, non licet. Renitentibus & vel malam fidem vel avaritiam noſtram incuſantibus vis ſtatim etiam ab ipſis Juſtitiæ miniſtris, quos imperiis noſtris promtos habebamus, parata erat, quam tamen ab illis alicui è noſtra familia, & etiam ipſi matrifamilias, aut filiæ, aut ancillæ intentatam mentiebamur. Si quis quid forte per injuriam apud nos reliquiſſet, id ſine ulla ſpe recuperandi miſſarum rerum adſcribere poterat

Cauponum artes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

numero. Furta alia, fraudes, rapinas, ac maleficia cauponum ſilentio prætereo: quæ alibi quidem majora, alibi minora ſunt, pro cujuſque gentis moribus & ipſius Juſtitiæ ſedulitate. Equidem ſic ſentio, optime facturum cujuſque loci magiſtratum, ſi viis ac pontibus reficiendis, tum diverſoriis quoque reformandis ſeriò curam atque operam impendant.

CAPUT IX.

Guſmanus Madriti mendicans, circumforaneas artes diſcit.

QUo minus mihi placeret id vitæ genus ad quod me non voluntas aut arbitrium ſed neceſſitas detruſerat, faciebat eorum puerorum frequentia qui hinc inde diſcurſantes ad nos divertebant. Eorum aliqui pecuniam habebant, alii non: aliqui bene, alii male veſtiti erant, omnes tamen iter ſuum perſequebantur. Eho, cogitabam, quid tu agis, Guſmane? quæ animum tuum obſidet ignavia? Itane florem ætatis tuæ in hoc ſtabulo perdes? Hem, puſilli iſti omnes itinerum moleſtias magno animo devorant, & tu ſitu ac ſqualore hic torpeſcis? Quin fortunam tuam alibi quæris, & nequiſſimum hunc cauponem

Fortuna tentanda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nem plorare ac longum valere jubes? Quum hoc modo meipſum excitâſſem, quas qualicumque modo collegeram reculas in ſarcinulam colligo, & Madritum verſus, quò primo iter inſtitueram, proficiſcor.

Abſumtis propere quas abſportâram numis, mendicando victum quærere coactus ſum: quem difficilem admodum mihi fecit quæ tum inciderat annonæ caritas. Repulſam ergo ab omnibus fere oſtiis paſſus, veſtes quas mihi in diverſorio paraveram victui impendi, ſic ut quum Madritum veniſſem, vix haberem quo nates tegerem. Ea res mirum eſt, quam rationes meas omnes conturbârit. Noveram, quanti ſit bene veſtitum in conſpectu hominum apparere: nec verba mea ſine re facile fidem inventura. Quare cum veſtibus omnem exui (cui cum Fame nequaquam bene convenit) verecundiam; cujus fines ſemel tranſgreſſus, ſtatui bene & gnaviter eſſe impudens: ſicque aliis ſimili habitu ornatis, me applicui. Jam credo, intelligetis, quæ tum mea fuerint exercitia. Tyro adhuc eram, & profecto non minus ſcita ſunt circumforanearum quam quarumcumque aliarum artium rudimenta. in quibus dum deſudo, dici non poteſt quam multa luſuum ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nera addidicerem , interea dum operam noſtram conducturos exſpectamus. Et ſane multum me animabat ſodalium meorum reſpectus , quos , licet pannoſos , numulis tamen videbam inſtructos. Magna eſt aſinorum ſocietas, in quam etiam homines adſcribi ſe patiuntur. Ex eorum ego fui numero , ut qui ſportulæ ferendæ humeros meos, tamquam clitellarium jumentum ſubmiſerim. Ut verum dicam , Honore, cujus pondus tam grave eſt ut ferri à paucis poſſit, exoneratum me gaudebam. Quid enim ! Quam miſera eſt eorum conditio , quorum honor & exiſtimatio à mala pendet lingua! Quaſi vero neſciamus , honorem virtutis eſſe prolem ; & tanto majori honore quemvis dignum quanto pluribus virtutibus eſt præditus. Erras , ſi honore me privaturum te exiſtimas , niſi ſimul virtutem à me auferas. Nonnulli quidem opinantur, in mulieris poteſtate mariti eſſe honorem : quod tamen neſcio quis non ſine cauſſa negavit, indignum dicens tam vili ac fetido loco rem tam præclaram collocatam. Sic ego exiſtimo, nullos felicius vivere , quam eos qui quid felicitas ſit ignorent. O quam laborioſum eſt eam, quæ vulgo putatur , adipiſci felicitatem ? quam difficile eamdem conſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſervare? quam periculoſum ferre? quam facile, perdere? Sed ô ſiniſtra mortalium judicia! In iis rebus honorem ſitum putant, in quibus minime ſitus eſt. Quam multi turpe ſibi putant, ſi equos ſuos non quam ornatiſſimos producant: iidem interim Chriſtianos homines, eamdem imaginem Dei quam ipſi ferentes, nudos obambulare, adeoque fame ac frigore perire patiuntur. Sumtuoſis conviviis amici excipiuntur, in quibus ſi quid ad ſummum quoque luxum deſit, probroſum putatur: at egenti obulum negare frugalis hominis eſſe ducitur. Quid multa? Falſis opinionibus Mundus regitur: nec tam quid fieri debeat, quam quid ſoleat conſideramus.

Heic ego patris mei vitam non ſemel apud amicum meum conſiderabam, quo pacto is ſcilicet uſurariis ſuis artibus varios dolos excogitarit, ac quamplurimorum ſuccum & ſanguinem exhauſerit. Sed ô Deus bone! Quam multi Mercatores unà cum Matthæo publicano in telonio aut collybo eamdem occupant ſellam, idque unum agunt, ut omnium fortunas & opes ad ſe convertant! Quot Juriſconſulti libros ſuos aſſidue evolvunt, ſingula excutiunt folia, pennas & linguas habent vænales, & *Honores periculoſi.*

exiguo labore invidendas acquirunt divitias? Sed quem ſcopum, putas, habent tam hi quam alii omnes qui in pecuniis congerendis ita miſere deſudant? quid alii ex Academiis recens progreſſi ſpectant, dum ſuum patrimonium aut exſtruendis domibus, aut coëmendis Nobilium prædiis impendunt? Nihil aliud profecto, quam ut nidos ſuos in alto ponant, utque ad ſummas dignitates evehantur. At quam multò melius iidem ſibi conſulerent, ſi fortunæ mediocritate contenti, quietam ac tranquillam agerent vitam! Quod namque frequentiora ſpectacula hodie oculis noſtris obverſantur, quam eorum quos Honores funditus everterunt? Quocirca ſæpe dubitavi, num gratulandum iis eſſet, qui è tenui fortuna ad ſummas dignitates provehuntur. Nimirum,

—— Tolluntur in altum,
Vt lapſu graviore ruant.

Sed in primis miſeratione digni ſunt illi, qui magnis negociis impares, vel ultrò gravia munera affectant, vel cæco quodam fortunæ impetu ad ea producuntur. Hi enim certum pænè hoſtibus ludibrium, amicis luctum, ſibiipſis exitium debent. Horum nihil mihi circumforaneam vitam agenti & in diem

Libertas vulgaris.

diem viventi metuendum erat. Libertate gaudebam, illa quæ à ſapientibus tantopere commendatur, deſideratur à multis, à Poëtis decantatur, quæque omnibus hujus Mundi divitiis potior eſt. Sed & hanc mihi fortuna invidit; dum aſinariæ ſocietatis pertæſus, aliud vitæ vel potius ſervitii genus amplexus ſum.

CAPUT X.

Guſmanus coquinæ ſe addicit: arteſque ibi uſitatas deſcribit.

JAM tergum meum oneribus ferendis aſſueſeceram, jam ob fidem & diligentiam omnibus paſſim & notus & charus eram: quum ecce Principis cujuſdam diſpenſator, qui ante opera mea ſæpe uſus fuerat, ſeductum me monet, quanto rectius facerem, ſi circumforanea illa vita relicta, aliud agere diſcerem. Suadere ergo mihi, ut coquo Principis ſui in aggerendis lignis, lavandis ollis, aliiſque ſimilibus miniſteriis operam præſtem: addens, Non tam infecundam eſſe coquinariam artem quin multis & divitias & honores pepererit. Quæ aliaque multa ille iis verbis animo

Bene conſulentes male nonnunquã conſulunt.

animo meo inculcavit, ut conſilio ipſius uti decreverim: tanto magis, quòd, utcumque res cecidiſſet, nec periculum nec damnum mihi timendum eſſet. Quid enim amittat cui nihil eſt? Adducor ergo ad coquorum magiſtrum: qui quamprimũ me vidit, quamvis ante ſatis notum, ſtatim ſuperba voce inclamavit: Unde nobis forenſis hic ſenator, clitellariæ plebis tribunus, dux famelicorum? An tu forte aliqua re opus habes? Aut ideo venis ut mecum maneas? Me quidem non ſemel poſtea pœnituit, quod tam ſuperbo ſermone exceptus, non ſtatim tergum verti. Sed incertus quid reſponderem, dixi, ſi opera mea uti velit, paratam fore. Et ille: Bene facis. faxo ne te conſilii hujus pœniteat. Sed quid? An ſcis facere officium tuum? Ego, Quidni? inquam. ſed tuum erit monſtrare mihi quid facere debeam, meum obſequi, & juſſa diligenter obire. Quo ſermone delectatus archimagirus, ſine ulla mora, pacto mecum ſalario inter miniſteria me recepit. Et ego quidem, ut plerique facere ſolent, initio non heris tantum, ſed familiaribus quoque ſedulitatem meam mirifice probabam: tum nihil magis cavebam quam ne quid propalarem quo quiſquam poſſet offendi. Objurgatus, tacebam,

Superbia plebejorum.

Boni famuli munus.

bam, nec ullum impatientiæ aut improbitatis ſignum monſtrabam. Hinc omnes me non ſolum favore, ſed donis etiam proſequebantur, ſic ut jam multo nitidior mihi eſſet amictus, & feriatis præſertim diebus, honeſti adoleſcentis ſpecies aliquo modo in me conſpiceretur. Caput boni erat, quod hac ratione ſalarium mihi maneret integrum; ſed omnis mei mali fons inde ſcaturiebat, quod dum ſportulariam agerem vitam, luſibus me mancipâram, in quos etiam poſtea quidquid undique corradere poteram, profudi. In arte coquinaria mirificè proficiebam; at multo magis in ludendi conſuetudine, quæ ita animum meum occupârat, ut legitime acquiſita deficiente pecunia, quidquid nactus eſſem involarem & venderem, ea tamen cautione, ut ne in furto aut fraude palam deprehenderer. Quod ſi quid forte domi harpagaſſem, id quæſito ad id loco commodo abſcondebam: animadvertens vero me aliorum ſuſpicionibus aut occultis ſermonibus furti auctorem deſignari, id quaſi forte fortuna aut dextro Hercule inventum, in lucem rurſus protrahebam. Sin alii rei arguerentur, peculio meo adſcribebam. Sed lepidam audite hiſtoriam, è qua una facile ſummam meam dexteritatem animadvertetis.

Incommoda luſuum.

Factum

Furtum illepide lepidum.

Factum eſt aliquando ut herus meus combibonum ſuorum nonnullos domum ſecum deduxerit, (erat enim Cereri & Baccho ita amicus, ut vix ullis aliis diis aut deabus ſupplicaret,) Hîc quum illi & cum eis hera mea exquiſitis ad id cibis ſitim ſubinde exſtimulantes, tam largiter ſeſe ingurgitâſſent, ut omnem ſenſum amiſiſſe viderentur, & tandem à ſuis quiſque familiaribus domum eſſent elati potius quam deducti: viſo ad heros meos, eoſque ſomno ac vino ſepultos invenio, porta aperta & menſis omni apparatu inſtructis. Sic aliquamdiu cum admiratione quaſi ſtragem in prœlio factam contemplatus, lancem video argenteam, quæ humi jacens, rogare me videbatur ut ſe tollerem. Quod pietatis officium quum egenti negare nec vellem, nec poſſem, tamquam ſpolia legens, hanc potiſſimum mecum abſporto, ac ſine ullo ſtrepitu in culinam me recipio. Neſcio quæ lubido me tum invaſerat, herum ac heram ligatis ad lecti pedes pedum digitis, aut alio modo ludificandi: ſed tandem alterum illud ſtratagema velut lucroſius ac rationibus meis commodius magis mihi placebat. Mane quum ſurrexiſſet hera, & collecto omni ut poſitus manſerat, apparatu, lancem illam

argen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

argenteam deſideraret, ſubito dolore correpta, altum exclamat. accurro, rogo quid rei ſit. Tum illa, Ah mi Guſmanule, quanta mihi evenit calamitas! quanti mihi heſternæ conſtant deliciæ? Miſeram me, quod vino gravis, tibi menſæ tollendæ, ac præſertim argenti recondendi provinciam non demandavi. Ecce enim furto hac nocte lanx argentea periit. quod ſi reſciſcat maritus, procul dubio cruentæ plagæ mihi in mundo ſunt. Hæc illa non ſine lachrymis: quibus tamen ego neutiquam movebar, ut qui non ſemel audiſſem, lachrymantem mulierem ea commiſeratione dignam qua anſer media hyeme nudis pedibus ambulans. Ipſe tamen vultum quoque ad triſtitiam fingens, operam meam ad omnia large polliceor. Quid ſi, inquam, hera, aurifabrum aliquem adeam, & forma ac pondere ſimilem lancem faciundam curem? Illa, Bene tu hoc, inquit; ſed unde pecuniam ſumemus? Dubito enim valde num mihi in arca tantum ſit. Offero ego omne meum peculium; & quod deeſſet, ſuppleturum me recipio. Sic facere juſſus, lancem illam ſurreptam ad aurifabrum porto, rogo ut deterſis omnibus maculis, Lunâ nitidiorem reddat: & pretium, quaſi ex curioſitate, quanti ejuſmodi

Mulieris lacrymæ.

modi

modi lanx conſtet, percunctor. Soluto expolitionis precio, domum revertor, renuncio planè ſimilem ac gemellam mihi lancem apud aurifabrum quemdam repertam : ſimul precium indico. illa gaudens admodum, Rem gratam, inquit, nuncias : & cubiculum ingreſſa, quantum numorum habebat in arca profert, quod deerat, me ſupplere jubet. Effundo ego omne meum peculiolum; ſicque prodiens, eadem cum qua exieram lance onuſtus domum redeo. Lætabatur illa, ego multo magis. at parum utilis ac diuturna mihi illa erat lætitia. Scis illud: *Male parta, male dilabuntur*. illud certe tum ego ſenſi, ut cui intra paucos dies ne obulus quidem reliquus factus ſit, omni pecunia eodem veſperi luſu abſumta.

Sed non ſolus ego, ſed reliqui omnes domeſtici, à ſummo ad infimum, Laverniones, aut ut clarius dicam, fures eramus, benignam materiam ſuppeditante cuilibet ea re quæ fidei ipſius commiſſa erat, frumentis, vino, oleo, aromatis, carnibus, lignis, &c. Et forte cauſſa illis non deerat, vel, ut melius dicam, occaſio & prætextus, ſalarii nempe tenuitas, quæ tanta erat ut eo vix quiſquam ſe, nedum ſuos, alere poſſet. Quocirca non optime illi Magnates mihi facere

vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

videntur, qui tam exiguis domeſtica miniſteria conducunt ſtipendiis, ut niſi de ſuo aliquid addant, vix habeant unde in res neceſſarias ſumtus facere poſſint. Quis enim dubitet, omnia prius excuſſuros, quam ut deeſſe aliquid ſibi patiantur? quamvis eo nonnulli ſunt ingenio, aut ea conditione, ut ſi omnia agas, in omnes ſpecies te vertas, nihilo plus ab ipſis quam à nudo auferre poſſis. Sed ut intelligatis quam parci nonnulli ſint in remunerandis etiam non debitis officiis, exemplum audite.

Nobilis quidam cum altero graves exercens inimicitias, & tam animi quam corporis viribus imparem ſe ſentiens, famulum conſilio ac manu promtum conduxit. Non multo poſt ab adverſario obviam facto invaditur. Poſcit opem famuli, qui mox accurrit, & herum in in fugam acto adverſario, illæſum tuetur. Hoc in tumultu bonus ſervus & pileum & enſis vaginam perdiderat: cujus damni ſarturam quum ab hero aliquamdiu fruſtra exſpectaſſet, alia ratione ulciſci ſe decrevit. Quum ergo rurſus cum hero prodiiſſet, ecce rurſus adverſarium, cum fuſte ad id præparato imminentem: quem ut conſpexit herus, ſervi auxilium, quantũ poteſt, inclamat: ille vero ne manum quidem ad capulum

Notate avari domini.

lum admovebat, ſed ocyus herum vapulantem ſpectabat. Expoſtulanti deinde ſic reſpondit : Tu quidem hactenus in eo debitum feciſti officium quod menſtruam mercedem ſolvis; ego in eo, quod huc illuc euntem paſſim comitatus, & alia quæ promiſi exſequutus ſum. Ad opera ſupererogationis, ut ita loquar, quod attinet, quum tu tam parcus ſis, nec me liberalem eſſe oportet. Tu mei, immò tui cauſſa (nam tui cauſſa jacturam illam pilei & vaginæ ego feci) nihil vis impendere : ego pro te vapulare nolo. Sed ad oleas. Expertus ſum tum ego, quanti dominorum interſit fidos habere miniſtros : quos nulla alia ratione quam humanitate ac liberalitate conciliare ſibi poſſunt. Ecquid namque fidum tibi fore putas quem viliſſimi loco habes mancipii, aut quem eſurire pateris? Mihi crede, omnia ille prius faciet, quam ut ſe deſertum patiatur. Quæ ibi ego viderim, longum ſit commemorare. Nulla ſane re majorem ego tam apud herum quam reliquos commilitones gratiam inibam, quam quod ea quæ mihi dederant, artocreas, placentas, carnes, piſces, vina omnis generis ſedulo iis quibus juſſus eram apportabam. Illud unum mores meos meque ipſum perdidit, quod aliorum e-

Liberalitas fidem provocat.

xemplo

exemplo illectus, & ipſe quidquid poterã furabar, quod autem furatus eram, aut alia ratione acquiſiveram, chartarum luſui impendebam, ita clam tamen, ut magiſtro diu nihil ſuboleret, donec tandem in multam uſque noctem cum contubernalibus ludens, herus altercationis quæ inter nos orta erat, ſtrepitu excitatus, me inter præcipuos deprehendit, & unà cum aliis probè depexuit. Et dolorem quidem mihi afferebant verbera, ſed multo magis me illud urebat, quod omnem fidem apud herum perdidiſſem.

O perditi luſores.

CAPUT XI.

Guſmanus reliqua quæ ſibi apud Coquũ acciderint, narrat.

NOn minor eſt virtus quam quærere, parta tueri. Tenebam jam ego quærendi victus artem non incommodam, & in heri gratiam me inſinuâram: quam tamen diu retinere non potui, ut qui animum induxeram idem facere quod reliqui, nec cuiquam quidquam concedere. Sunt quidam tam felici (ut videtur) nati ſidere, ut vitam meris furtis ac latrociniis tranſactam in lecto finiant; alii tam infelices, ut nondum jactis tyrocinii fundamentis, ob primum fur-

Duo quũ faciunt idem, non eſt idem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

furtum ſtatim infelici ligno ſuſpendantur. Reliqui Principes noſtri miniſtri in groſſo (cum vulgo loquor) furabantur, atque inde diteſcebant; ego hinc inde minutatim aliquid decerpens, pauper nihilominus manebam. ſic quod aliis veniale, mihi mortale erat peccatum. Non me, ſed alios reſpiciebam, & furandi artem tam licitam mihi atque aliis putabam; nec in mentem mihi veniebat, illos jam veteranos, me adhuc tyronem eſſe. Non conſiderabam ſolos potentes, divites, ſuperbos, quibus Crocodili ſunt lacrymæ, quique inſtar ſcorpionum, non ore ſed cauda vulnerant, hanc habere prærogativam, ut quidquid fecerint non veniam tantum, ſed & laudem mereatur: idem vero pauperibus ac mei cenſus hominibus pro ſacrilegio aut læſæ Majeſtatis crimine imputari. Senſi tum veriſſimum eſſe quod ille dixit:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Ut ante herum, ita non multo poſt heram, licet ſine mea culpa, ut audietis, offendi.

Ridicula fabula. Venerat ad Principem noſtrum alius, in quo laute tractando univerſa familia deſudabat. Venatores inprimis & aucupes, domini juſſu, culinam omni fera-

ferarum ac volucrum genere optime inſtruxerant: quarum magnam partem Coqui uxor mihi cuſtodiendam tradidit. Omnibus diligenter, ut putabam, conditis; cubitum eo: ſed non multo poſt, dum cum armentis corporis mei pratum depaſcentibus luctor, feles audio terribili gemitu quaſi inter ſe digladiantes. In eo ſane feles ſenibus non ſunt abſimiles, quod ſine grunnitu aut murmure etiam ſolæ cibum capere non poſſunt. Hoc ſtrepitu excitatus, In malam rem, exclamo, nequiſſimæ beſtiæ, quæ ad penu noſtrum depopulandum, & inde capiti meo creandum periculum veniſtis! Certe ego carnem meam pro carnibus illis non dabo. Simul propere è lecto exſilio, & ita nudus periclitanti ferinæ auxilium laturus accurro. Sed ecce jam hera me prævenerat, eodem excitata ſtrepitu, quem maturius aliquanto ſenſerat. Occurrimus alter alteri ad ipſos ſcalarum gradus: & illa quidem non minus nuda erat quam ego nocte tum admodum calente, cereum altera ferens manu, quem mox ut me conſpexit, nocturnum ſpectrum rata, abjecit, & per ſcalas quam celerrime quaſi ſubvolavit. Nec minor me invaſerat pavor, nuper mortui diſpenſatoris manes obambulantes imaginantem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Illa quidem tam altum exclamavit, ut vox ejus per totam viciniam audiri potuerit: ego vero etiamnum miror ad meam vociferationem totam civitatem non conſurrexiſſe. Jam illa in lectum ſe recondiderat: ego vero dum & ipſe fugio, forte fortuna felium unam pede calco, quæ inſtar canis rabidæ pedem mordicus mihi arripuit, miſere, ut propitii mihi Manes eſſent, clamanti. Tum demum è planctu meo & caſu hera quid rei eſſet cognoſcens, tremula adhuc voce jubet, ut cubitum eam. Mane quum ſurrexiſſem, ante cubiculi limen, odoratu veſtigans, purgamenta ventris video, per ſcalas quoque paſſim ſparſa, tam maleolentia ut nihil ſuprà. Ratus quod erat, formidine ſcilicet heræ alvum ſolutam, tum quidem (ut cui munditiei cura erat demandata) diligenter & limen & ſcalas abſterſi: illud vero deinde quoque non ſemel miratus ſum, quî fiat quod excrementa ſeu pavore, ſeu alio quodam ſubitaneo caſu ejecta, multo fetidius oleant, quam quæ naturaliter excernuntur. Quam quæſtionem accuratiſſimis naturalium rerum ſcrutatoribus, qui nihil neſcire volunt, diſcutiendam, adeoque ruminandam ac maſticandam relinquo. Non dubito quin omnes intelligant, hic nul-

Quæſtio phyſica.

lam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ullam meam interveniſſe culpam : quæ
nihilominus mihi luenda fuit. Ex eo
namque tempore hera ne uno quidem
aſpectu me dignata fuit;id ſcilicet æger-
rime ferens, quod nudam vidiſſem. Si
tamen verum eſt quod è vicina, cui illa
rem omnem narravit, intellexi,non tam
illam nuditatis ſuæ quam alvi lubricita-
tis pudebat. Orto jam ſole, quum herus
quoque, qui Bacchi percuſſus thyrſo
inter hæc ſecurus ſtertuerat,è lecto pro-
repſiſſet,jubet ut focum inſtruamus, ol-
las aqua impletas igni adſtituamus, ſal-
ſamenta eluamus, & cætera faciamus;
ipſe interim ad placentas,turundas,tuce-
ta, & id genus bellaria delicatiſſimam
materiam depromit, nobis omnibus in
unum gaudentibus, quod in tanta cibo-
rum multitudine, in tanta operarum fe-
ſtinatione, facile ipſos cuſtodes fallere
poſſemus:eamque ob cauſſam ejuſmodi
convivia cum Jubilæis annis compara-
bamus, & ſic quoque nominabamus,
quod plerique plenas inde Indulgentias
domum abſportaremus. Aliorum exem-
plo convaſo & ipſe quæ poſſum;& inter
alia ova quædam & carnium reliquias in
caligis recondo. Id conſpicatus herus
meus,ut Aulæ Præfecto, qui obambu-
labat, fidei ſuæ fidem ex mea perfidia
faceret, exeuntem manu apprehen-

Ex magno acervo facilius aliquid deruitur.

 dit,

dit, & iis maximè locis ubi ova recondita habebam, ictibus impetit, ita ut illis fractis, flavus humor albo permiſtus undiq; è caligis meis, non ſine ſpectantium riſu, effluereret. Nihil propius fuit quam ut exclamarem: O te nequã & ſceleſtum hominem! Tu furtis tuis quotidianis non familiam ſolum ſuſtentas, ſed ædes quoque & fundos inſtruis: & me ob tam leviculum delictum omnium & ludibrio exponis & odio objicis. Sed magis è re mea videbatur tacere, & injuriam quamvis indignam diſſimulare. Finito convivio, dum cum hero domum redeo, ille triſtem ſic alloquitur: Proculdubio, mi Guſmanule, quod accidit, indignè fers: ſed enim ut ita facerem, ex uſu meo plane fuit. Ut autem vulnus hoc aliquo modo leniam, cras novis te donabo calceis. Et ego quidem injuriam illam omnem bona fide ex animo delevi, & in poſterum omnibus in rebus quam potui maximam diligentiam adhibui. Poſt paucos dies quum herus multis apparatis artocreis alio conceſſiſſet, ego vero numis aliquot ad ſequentis diei uſum opus haberem: è farinæ & carnium reliquiis & ipſe artocream ita cocinno, ut externa ſpecies cuniculum plane referret: cum qua ad mercatum profectus, è ruſticanis alicui im-

Aſtuta nequitia

Antiquum obtinet Guſmanus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

imponere cogitabam, ſed mox aderat ſenex quidam canus & calvus: qui, facta jam conventione de precio, dum baculum, quem manu geſtabat, proximæ apponit menſæ, dum chirothecas cingulo appendit, dum perſpicilla è facciperio profert, inde è theca depromit, eademque naribus imponit, jam duæ horæ præterierant; mox alteræ duæ, dum in marſupio numos quaſi in gurgite vaſto natantes piſcatur, dum eoſdem ſingulos perſpicillis admotos diligentius quam ſtellas Mathematicus contemplatur: hæc, inquam, dum fiunt, ecce herum meum à tergo quaſi adrepentem. quem ut vidi, *Senilis cunctatio.*

Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Ille vero terrifico vultu ac voce his verbis me increpat: Quid tu bonæ rei hic venale habes, adoleſcens? Hæccine fides illa eſt quam nuper mihi dederas, velle te fideliter ſervire, & ab omni furto aliiſque illaudatis rebus abſtinere? O improvidum diſpenſatorem, qui te mihi conciliavit; me vero multo inſipientiorem, qui tamdiu alere te ſuſtinui! Apageſis, puer nequiſſime. cave unquam pedem intra limen meum ponas. Hæc dum ille mecum altercatur, ſenex ille ne pedem quidem decedebat, dili-

genter probris meis auſcultans. Meipſum vero ita mei pudebat, ut oculis humi defixis, & lingua quaſi ad palatum alligata, ſtatuæ magis quam homini ſimilis viderer. Poteram quidem & ipſi multa non minus turpia quam vera exprobrare; ſed æquius ac decentius mihi eſſe putabam, hero parcere, qui licet ipſe domini penum corbibus quotidie domum ſuam congereret, tantillo nihilominus delicto tantam pœnam ſtatuit. Adeò ſatius eſt, audere aliquid brevibus Gyaris carcere & dignum, quam parvis ac nihili in rebus malitiam conſumere.

CAPUT XII.

Guſmanus ad priorem ſtatum redit, & mira arte magnam vim pecuniæ ſibi acquirit.

Scientia laus. AJunt vulgo, *Melius eſſe ſapere quam habere.* Fit quidem ut fortuna parum propitiam ſe oſtendat: at ſcientia hominem numquam deſerit. Facultates indies conſumuntur; ſed creſcit ſcientia, & pluris eſt pauperis ſapientia, quam omnes opulentorum divitiæ. Veteres quidem Fortunam, in cujus poteſtate terrenæ opes ſitæ putantur, variis

variis modis pinxerunt, quibus tamen omnibus ſumma ejus inſtabilitas denotatur. Divitiæ perinde ſunt, ut animus qui eis utitur. Si bonus hic, bonæ illæ; ſi malus, malæ. Idem de bona & mala Fortuna dicendum. Sed tanta eſt ejus, ut dixi, inconſtantia, ut quum maxime ſplendet, frangatur plerumque: & unum eundemque hominem variis perſonis indutum in Mundi hoc theatrum producat, aut ut melius dicam, protrudat: Quam multi ex ſummis divitiis ſubito in extremam paupertatem ſunt delapſi? quam multi è maximis dignitatibus velut fulmine deturbati, in fœdiſſimum infamiæ cœnum demerſi ſunt! Contra omnes vero Fortunæ ictus nulla ex re tutius peti poteſt præſidium quam ex Virtute & Doctrina. Hæc in pauperibus argentum eſt, in opulentis aurum, in Principibus infiniti precii gemma. Periculoſiſſima Fortunæ præcipitia ſapiens illæſus ſuperat; at indoctus ac rudis etiam in plano labitur. Non eſt tantus in terra labor, non tanta in mari procella, non tanta in aëre tempeſtas, quæ ſcientia vinci non poſſit. Sed quorſum hæc, inquis, Guſmane? Quid tu tam mirificis laudibus ſcientiam effers? Sed audi, cur ſcientiam ego non laudem, qui eam to-

tam ſportula concluſam tergo geſtabam? neque enim ullam aliam rem ego ſciebam, nullam aliam artem noveram, quàm velut clitellarium jumentum tergum meum oneribus ac ſarcinis ferendis ſubmittere, niſi addere velis, ludere, furari, & quæ aliæ ſunt circumforaneorum artes. Hæc una ſcientia non minus quam Demoſtheni eloquentia, aut Ulyſſi prudentia paſtum uberem ac cetera ad vitam neceſſaria mihi pariebat. Ingenio eram non malo, nobilibus natus parentibus. illud nec celare nec perdere poteram, ſed nulla in re magis elucebat quam patienter ferendis injuriis, quibus animi fortes maxime tentantur ac probantur. Egon' unquam putâſſem talem mercedem pro tam fideli opera mihi ſolutum iri? Ah, ob tantillam rem quemquam cum tanto probro ejici ac profligari! Quid faciam, cogitabam: quò ibo, quid me fiet? Me quidem intentis digitis non ut alterum Demoſthenem, ſed ut nuper in furto deprehenſum, omnes commonſtrabant, nemo autem in familiam recipere cupiebat. Quam male, putas, actum mecum fuiſſet, ſi hac quoque Picarica ſcientia fuiſſem deſtitutus? Tanti ſcilicet eſt qualemcumque artem didiciſſe. Jam ſine honore, ſine numis, ſine certo domicilio

Guſmani ſcientia qualis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

cilio oberrabam, lacer, ſeminudus: omnibus tamen amiſſis, ſcientia mihi reſtabat integra, non illa quidem Philoſophica, ſed circumforanea, qua unicuique operam meam expetenti inſerviebam, frugaliter interim cibum ventri meo diſpenſans. qua ſobrietate id effeci, ut ſemper corpus ſanum ac robuſtum, & loculos non inanes haberem. Ebrietatem ſedulo fugiebam, turpitudine ejus quam in ſodalibus meis nonnunquam videbam, deterritus. A luſu quoque abſtinere decreveram: ſed neſcio quomodo ceu torrente aliquo ſemper abripiebar. Sæpe ego mecum cogitavi, quî fiat, ut quum ſemper probi eſſe deſideremus, nunquam tamen probi ſimus, & quod omnibus fere horis nobis proponimus, ne ſemel quidem exſequamur. Sic tandem deprehendi, ita alubeſcere præſentia, ut tam futurorum quam præteritorum obliviſcamur. Id quidem non tum modo, ſed poſtea quoque in meipſo expertus ſum. Vitium hoc in me agnoſcebam, nec ei tamen medebar. Victui interim quærendo diligenter inſudabam; quoad ingenium & occaſio permittebat. Accidit interea, ut miles in Italiam tranſportandus conſcriberetur. quod quando fit, præconis

Cur pauci ſe vitamque emendent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

voce proclamatur, aut publico edicto militiæ nomen daturis ſignificatur. O quanta tum me invaſerat cupiditas tam Italiam quam cognatos meos viſendi! Sed & illud mirifice me ad militiam accendebat, quod non neſcirem, etiam vilis conditionis homines & lenonum pueros, ubi ad exteros venerint, militari profeſſione ac habitu ſtatim nobilitari; tum, quod caput eſt, ruſticanos, apud quos hoſpitia habent, homines pro lubitu ſervilem in modum tractare, victum aliaque omnia non expoſcere modò ſed & extorquere, adeoque parvulorum tyrannorum modo moreque agere. Unum me deterrebat, quod pannoſum me ac lacerum viderem. Dies ergo noctesque eam in cogitationem incumbebam quomodo defectum hunc ſupplere poſſem. Sciebam Italorum proverbium: *Si volete eſſere Papa, ſtampate lo en la teſta. Si Papa eſſe velis, cogitatione ſeu imaginatione tibi eum finge.*

Militaris diſciplina.

Dum animus meus totus hac cogitatione occupatur, ecce in ſtatione mea ſedens, vocem audio ſeu euangelion potius cujuſdam Guſmanulum inclamantis: Adeſdum Guſmanule, cum tua ſporta. Exſilio promtus, & circumſpiciens, Aromatarium video ante fores

Phar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Pharmacopœi ſtantem. Ad quem ut acceſſi, ille duos culeolos auri & argenti plenos, ſportulæ tergo meo appenſæ imponit, & ut ſequar jubet. Ita præeuntem per plateas aliquot ſequar: tandem vero quum in angiportum veniſſemus, explorata diligenter locorum regione ſubito aliam inſiſto viam, & ſine ulla magica arte inviſibilem me facio, quà maximè commodum mihi videbatur, ad portam urbis properans; qua egreſſus, non regiam inſiſto viam, ſed invia quæque conſectans, eo die duo emetior milliaria, & per inculta vagans, tandem in vepreta quædam deferor, in quibus triduum fere, pauco pane, quem ſportula mecum attuleram, & aqua è proximis lacunis hauſta interim victitans, delitui, uſquedum ſcilicet lictorum, quos in me tanquam fugitivum leporem immiſſos non fruſtra imaginabar, impetus deferbuiſſet. Ubi jam tempeſtatem præteriiſſe mihi perſuaſi, tamquam nitedula è latebris prurepo, ignotum argenti pondus & auri centunculo involvo, ſportaque relicta, & quantum poteram mutatis veſtimentis, in viam regredior. Quum Toleto uno fere milliari abeſſem; illaque cura me diſcruciaret, quomodo furtum illud meum quam maxime occultum habere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

poſſem; ad quod nihil commodius mihi erat, quam bonus ac decens veſtitus: ecce in via puerum video (ſubluſtris enim nox erat) tam ſtatura quam ætate mihi coæqualem, ſub arbore quieſcentem. Sarcinæ pondere quæ juxta jacebat, gravatum animadvertens, & ipſe onere parvo quidem, ſed gravi preſſus, ſub arbore me ſterno, & habito ultro citroque ſermone, intelligo, meæ farinæ eſſe hominem, Toletani civis filium, & convaſatis quas poterat rebus, à parentibus aufugiſſe, noctu quidem viam regiam incedere, interdiu vero per devia errare. Quæro quid in ſarcinulis habeat. Profert ille veſtimentum non inelegans. Licitur: conventum precium ſolvo, non ſine illius admiratione, quod tantum argenti (quamvis ſedulo totam maſſam, quo opus erat digitulis duobus tantum decerpens, occultarem,) vili centunculo incluſum videret. Et ille quidem conditis in peram numis, jam oneris parte levatus, viam ſuam proſequutus eſt; ego jam albeſcente cœlo, & ipſe viam Toletum verſus inſiſto, & urbem ingreſſus, hoſpitium quam maxime rationibus meis commodum quæro.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT XIII.

Guſmanus Toleti amoribus dans operam, turpiter circumducitur: Ubi notantur fraudes meretriciæ, & ſimplicitas juvenilis.

TAM ſcitum quam tritum eſt diverbium, *Simiam eſſe ſimiam, etiamſi aurea geſtet inſignia.* Quod quidem tam verum eſt quam quod veriſſimum. Poteſt quis purpura & auro ſe involvere, ſed non virtute; ſericis veſtibus corporis, at non morum turpitudinem tegere ac velare. Me vide. Paullo ante lacer eram, pannoſus, ſquallidus, contemtus: at Toletum ut veni, repente quaſi alius factus, magno in honore eram, quum tamen multo eſſem quam antè deterior. Statim namque veſtes illas quas ab adoleſcenre quem dixi, emeram, ita reconcinnari curavi, ut ne iis agnitis, periculum mihi crearetur: tum alia ornamenta adjeci. quin etiam puerum ſeu famulum mihi conduxi. ut Magnatis alicujus filius omnibus videer. Sic circumſpectans me ac rotans quaſi pavo, plateas omnes perambulabam: tamque mihi in novo illo ve-

Veſtitus ingeniū & mores non mutat.

Iuvenilis ſuperbia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſtitu placebam, ut noctu eum deponere mihi quodammodo grave eſſet. Dominica quadam dum, audito ſacro, in templo magnifice me inferens, obambulo, in proximo ſacello feminas quaſdam video, mores meos, ſtatum, inceſſum, quaſi ardelionis, notantes; quas ego ſtatim amore mei captas augurabar. Et earum una quidem defixis oculis me intuebatur, ſed amimus me ad aliam ferebat: quam templo egreſſam, pone ad domicilium uſq; ſequutus ſum: illa nonnunquam in via reſpiciens, innuere mihi, tandemq; ædes ingrediens, arridere etiam ac pro comitatu gratias agere viſa. O quantum vulnus nutus ille ac Venereus riſus, tamquam fulmen aliquod, animo meo inflixit! Quam cæcus ignis in juvenili meo pectore exarſit! Stultus ego quoque eam inſanire amore mei putabam: quum tamen, ſi mens non læva fuiſſet, fere palàm irriſum me facile potuerim agnoſcere. Digreſſus inde, puellam video à tergo ſequentem, mihique innuentem. Conſiſto, atque etiam obviam eo. Tum illa longum ſermonem exorſa, ait, Nobilis feminæ ancillam ſe eſſe, quæ miro deſiderio teneretur ſciendi, quis & cujâs eſſem: quod ſi ad illam venire non gravarer, gratiſſimam rem me ipſi facturum. Quis me

Baſiliſci aſpectus.

Artes meretriciæ.

me tum lætior? Adonis mihi videbar; immò Magni illius Alexandri fortunam præ mea contemnebam. Viden' quid pecunia faciat & paullo ornatior veſtitus. Antea vix cujuſquam viri, nedum feminæ aut puellæ vultum contemplari audebam: nunc bene numatus, quamvis illegitimo plane modo, ac ſuperbè veſtitus, ultro omnium feminarum amores ſectabar, immò, tamquam alter Pyrgopolinices, ultrò ambiri me mihi ipſe perſuadebam. Sed in orbitam redeo. Dum ancilla multa alia ad amorem heræ ſuæ ſpectantia in via mecum loquitur, jam ad hoſpitium meum deveneramus: quod diligenter illa notavit, atque ita humaniter à me dimiſſa, diſceſſit. Tanto autem minus ego ad hunc amorem propendebam, quod quæ aut qualis illa femina eſſet neſciebam: illam quæ nictu ſuo ac riſu me vulnerârat, unice cogitabam, atque etiam ſomniabam. Quoties ego ædes illas unde fulmen illud in me ceciderat, præterii? quoties feneſtras ita aſpectavi, ut in ſublime volantibus meis curis ac cogitationibus, neſcirem an humi ambularem! Sic eſt, oblata faſtidimus, clauſa & vetita cupimus. Tandem dum *Cupimus clauſa.* miſere ardens circa ædes illas oberro, feminam illam, mali mei materiam, è

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

feneſtra video proſpectantem. Accedo. illa ſummiſſa voce ad cenam me vocat. Mitto puerum ad forum. præpinguem gallinam, binas perdices ac turdos, cuniculum, & præſtantiſſimi vini lagenam emere jubeo, iſtaque omnia in cenam apparanda mitto. Ad condictam horam intromiſſus comiterque exceptus: in cubiculum non ineleganter apparatum deducor: ibique variis ſermonibus habitis, quos illa data opera in longum extraxerat, quum jam cenæ tempus eſſet, rogo ut menſa apparetur. Cauſam vero properandi mihi dederat ſermo illius, quo inter alia jecerat, fratrem ſibi eſſe, hominem illaudatis moribus: qui ebrius nonnunquam domum veniens, mala incœptaret facinora. Hæc dum illa loquitur, ſtrepitum audimus januam pulſantis ac pænè effringentis. Tum illa miſere circumcurſare, ringi, ac perditam ſe clamare, quam amaſio reperto, ille jamjam morti tradituros eſſet. Attonitus ego, vix ſanguinis guttam habebam. rogo tandem, quid me facere vellet. illa, monſtrata ingenti hydria vacua (quæ viri capaces in Hiſpania efformantur) in illam correpere me jubet. Obeo juſſa. illa tota tremens (ô muliebrem aſtutiam!) fratri fores aperit, qui domum & culinam ingreſ-

Hem ſic datur.

greſ-

greſſus, nidore perdicum ac turdorum in veru ſtridentium percepto, Quæ, inquit, hæc res eſt? quis hic nuptialis eſt apparatus? Quid tu moliris, mea ſoror? An ſic honorem parentum ac familiæ noſtræ tueris? quæ, poſthabita generis tui nobilitate, ignobili forte alicui poſtituere te cogitas, qui tamquam Veneris proludium hæc ad te miſerit. Hæc quum ille ſtentorea voce declamaſſet; illa neſcio quid ſubmurmurans, diligenter; ut mihi quidem animadvertere videbar, ſeſe excuſat. Quid multa? ſtrepitus mox omnis deferbuit. & illa, & frater cubiculum ingreſſi, procul dubio cenam meis ſumtibus paratam abſumſerunt. Cetera quæ fecerint, neſcio: hoc ſcio, me etiam in hydria illa totum ſudaſſe, atque interea dum illic tamquam balenæ ventri incluſus deſideo, ſæpe ſæpius, amoto operculo, tamquam cochleam è teſta caput protuliſſe, dum quotieſcunque illam altius tinnientem, ſputantem, tuſſientem audirem, mihi neſcio quod ſymbolum aut ſignum mox adventuræ dari ſtultiſſime perſuadeo. Tandem quum altum ubique eſſet ſilentium, è latibulo prorepo, & exitum quæro: quo non reperto, iterum me condo, donec cœlum albeſceret. ſic ipſa luce viam

Alterius ſumtibus parata alter abſumit.

mihi

mihi monſtrante, inviſis exeo ædibus, & in hoſpitium regreſſus, ventre famelico, quum alii jam ſurgerent, cubitum eo, è ſomno ægritudini meæ quærens ſolatium. Sed profecto ſomnium magis illud erat, quam ſomnus: ut in quo jam me, jam feminam, jam fortunam incuſans, vix ullam animo quietem indulſerim.

Alter aries Guſmano admotus.

Jam dies erat: & ecce ſtrepitus januam pulſantis: qua aperta, ancillam video ejus feminæ, quæ, ut ante dixi, ultro me accerſierat. Ait illa, Heram ſuam adeſſe, & mecum loqui cupere. quod ſi ad illam venire dedignatus eſſem, ſperare non gravate me laturum, quod illa ad me venire non erubeſceret. Id enim formæ meæ, forte etiam nobilitati deberi. Amoto puero, ingreditur utraque. ego paulliſper caput è pulvino tollens, impoſita ut juſſus fuerat à puero ad caput lecti ſella, matronam ut conſideret oro. Qui tum noſtri fuerint ſermones, vix etiam ipſe recordor, niſi hoc, me ad omnia quæ interrogabat, ne unum quidem verbum quod verum eſſet reſpondiſſe. Tandem illa è theca precioſa nonnulla profert cimelia, annulos, gemmas, inaures, monilia, armillas: & unum quodcunque vellem eligendi facit poteſtatem. Recuſo ego, & gratiis actis, ſat mihi & ejuſ-

ejuſmodi rerum & aliarum opum eſſe, ajo. Graviter hoc illa, ut videbatur ferens, dum expoſita in thecam recondit, quaſi ſubitò obſtupefacta, unum è chariſſimis deeſſe ſibi ſceleſta mentitur, etjam in planctum fere erumpens. Jubeo ego bono eſſe animo, & ſi quid perdidiſſet, precio aut alio ſimili dono me compenſaturum recipio. illa quaſi aut verbis meis fidem non habens, aut mœrore irritata, è cubiculo prorumpit: ait, domi ſe quæſituram quod deſideraret, (forte enim ibi relictum) quod ſi invenerit, renunciari mihi curaturam, ut quieto ſim animo: ſin minus, non cupere tamen ut ego vel obulum exponam. neque enim quidquam mihi adhuc à ſe contigiſſe, quod ulla benevolentia, necdum munificentia dignum ſit. *O nequam.*

Dolens igitur eam ſic male contentam à me demitto, ut cujus forma mirum in pectore meo incendium excitârat, qua ſi potirer, rex mihi videbar. Non multo poſt redit ancilla. nunciat, ab hera omnes ædium angulos excuſſos, amiſſum tamen nullibi repertum. Inde plane exiſtimare, in meo periiſſe cubiculo. Pari ergo ſtudio, ego, puer meus, ancilla, accenſis cereis, id quod numquam amiſſum erat quærimus: ſed quum ſtruſtrà fuiſſemus, ancillam domum

mum remitto, cum mandatis, ut heram bono eſſe juberet animo, damnum hoc propediem reſartum iri. ſed verſutiſſima ancilla mihi dicere, vix ſe in heræ conſpectum redire audere: rogare, ut ſi quid gratum velim heræ facere, ſine longiori mora facerem. tanto acceptius fore ſubitaneum munus. Quid facerem? Pudebat me ubi pudore opus non erat: at ubi pudere oportebat, deſerebat me pudor. Adeo cum ancilla aurifabrum, eique annulum viginti ſcutatis emtum ad heram perferendum trado. Quod illa ſedulo facturam ſe, effecturamque ut hera ipſa præſens præſenti gratias ageret, recepit: ſed neque illam, neque heram poſtea videre mihi contigit.

Invenilis imprudentia, Miraris forte, exemplo hoc cautiorem me non factum. Equidem & ipſe miror: ſed neſcio quomodo cum Medea dicere poteram,

Video meliora proboque
Deteriora ſequor.

Sumto prandio, inter varias cogitationes deambulatum prodeo. Hic dum tabernam quamdam prætereo, alteram illam feminam video, à qua deluſum me ſupra dixi. Quæ ut me vidit, nictans oculis me ut ſequar invitat. Hic ego exſultans gaudio, magna cum alacri-

critate ſequor præeuntem: quum autem in tabernam media fere platea ingreſſam viderem, ingredior & ipſe. Jam illa pretioſi panni aliquot proferri juſſerat volumina: è quibus quum unum elegiſſet, tandem eò flectit ſermonem ut diceret, numos quidem ſibi in promtu non eſſe, rogare ut certum tempus ſolutioni deſtinet. ille, Non notam ſibi eſſe dicens, civiliter ſe excuſat, & allegata pecuniaria inopia, præſentaneis ſibi opus eſſe numis, contendit. Tum illa mecum tacitè colloquens, ante omnia, quod nocte illa tam miſere fruſtra fuiſſem, blandiſſimis verbis ſeſe excuſat. Quibus ego fidem habens, ut pudori ejus ſuccurrerem, mercatorem alloquor, &, O te ſimplicem, inquam, qui matronam hanc tam nobilem, tam divitem, cujus ego quæſtor ſum, beneficium hoc tibi velle debere exiſtimas. Satis ſuperque argenti & auri: ni eis quos ego habeo, eſt loculis. ſimul cum dicto, quot plena manu capere poteram ſcutatos depromo, & mercatori panni precium numero. Prudenter ego feminam agere arbitrabar (& vero ejuſmodi ſtratagemata tali generi uſitata ſunt) in anteceſſum quaſi amoris pignus à me accipiendo, ne forte, ut fieri nonnunquam ſolet, à me amoris ſaturo po-

ro po-

ro poſtea ludibrio haberetur: nec dubitabam, quin hoc tam ultroneo ac forte inſperato ipſi beneficio mihi quam maxime feciſſem obnoxiam. & profecto etiam numos illos, quos, ut audîſti, duabus his impendi feminis, multo melius ac pulcrius collocatos arbitrabar, quam ſi Indicæ negociationi, quæ maxime lucroſa eſſe ſolet, concrediddiſſem. Illa gratiis mihi quam amiciſſime actis, jubet ut ad horam octavam veſpertinam præſto ſim, uberrimum beneficii mei fructum capturus. Nulla dies mihi longior viſa; qua præterita, vadimonium obeo, teſſeram acceptam ſedo, ſcreo, tuſſio: tandem etiam fores pulſo; ſed idem erat, ac ſi Alcantaræ pontem ſaxo percuſſiſſem. Quum cogito, non ædes illæ erant, ſed ſepulcrum. adeo ne gry quidem audiebatur. Pertinax tamen ad mediam noctem uſque perſiſto, inter ſpem ac metum hærens: quum ecce lictores video ac turbam multam cum fuſtibus & laternis. Secedo in angulum, quid rerum illi geſturi eſſent inde proſpecturus. Pulſant fores. quum non aperirentur, effringunt. irrumpunt in ædes, omnes angulos perveſtigant. accedo propius, & animadvertens non invenire eos quod quærebant, non ſemel impetum cepi exclaman-

mandi, ut hydriam (in qua ego latue-
ram) inſpicerent: atque inde quam celerrime aufugiendi. Sed tandem exitum opperiri conſtituens, dum paullo diutius exſpecto, ſcribam quemdam, quem illa fratrem ſuum mentita fuerat, unà cum muliere ſeminudos, ita ut reperti fuerant, in carcerem abduci video. Ego neſcio majorem moleſtiam an lætitiam ex hac re ceperim. Indignabar me tam indignis modis habitum ac ſperata voluptate fraudatum; gaudebam econtra me ædibus illis excluſum, captivitatis periculum vitâſſe.

Sera pœnitentia.

Jam ſpes mea omnis in alterius illius, quam itidem, ut mihi perſuadebam, liberalitate mea demerueram, amore erat poſita: ſed quum neſcirem ubi illa habitaret, neque illa mihi quidquam renunciaret, pœnitentia animum meum ſubire cœpit, cogitantis, ô quanto melius pecuniam tuam collocaſſes, ſi ea quinquaginta oves tibi emiſſes! Quum ſic deſperabundus media nocte in hoſpitium rediiſſem, à puero meo intelligo eadem nocte à lictore in hoſpitio noſtro neſcio quem quæſitum. Suſpicans ego ne aromatarius me perſequutus eſſet, iterum me proripio, & puerum opperiri me uſque in craſtinum mane jubeo. Sic hinc inde obambulans

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

bulans totam illam noctem inter varias curas & ſollicitudines tranſegi. Ut vero diluxit, domum redii, eo conſilio ut & veſtitum & domicilium mutarem. poſtquam vero intellexi non me ſed alium à lictore illo quæſitum, in forum ivi, ac duos mulos mercatus, propere Toleto me proripui, ubi tam turpiter auro emunctus, nec ipſas quidem ædes ſine indignatione poteram aſpicere.

Guſmanus muliebri aſtu rurſus decipitur.

Eo die Orgazzum, atque altero Maluginem profectus ſum, ſomno tam plenus, ut ex præteritarum aliquot noctium, dum ſtultiſſimus amores fruſtra ſector, veternum aut lethargum contraxiſſe mihi viderer. Malugine quum eſſem, è ſomno quaſi excitavit me formoſæ admodum in hoſpitium puellæ aſpectus, quæ ita famulabatur, ut nec ancilla, nec filia mihi videretur. Hæc quum ſarcinulas meas in cubiculum deportaſſet, comiter à me ſalutata, non minus comiter reſpondit. Commoda hæc mihi viſa ad quam admoverem arietem. Quid multa! Conventum tandem inter nos, ut quamprimum herus & hera cubitum iviſſent, ad me illa veniret. Ego ut tanto magis ipſam demererer, inter & poſt cenam ex omnibus qui appoſiti erant cibis aliquid ei dedi; tum melioris vini hauſtu non ſemel eam invitavi.

nec

nec illa humanitatem meam aſpernari viſa: tantum quotieſcumque arripere eam & ad me trahere conabar, refugiebat. Dum ita cum leviter renitente luctor, ſella in qua ſedebam fracta, humi provolvor: parumque abfuit, ut caput graviſſime læſerim, atque etiam meoipſius pugione, qui vagina mihi exciderat, induerim. Diſſimulato, quantum facere poteram, dolore, rogo an condictum obire velit vadimonium. Annuit illa, ita tamen ut quod uno verbo dixerat, altero negaret. Ego quum ſummo mane iter proſequi deſtinâſtem, juſſi ut puer craſtinum pabulum pro jumentis à promocondo peteret, tum hoc & ſarcinulas in meum cubiculum comportaret, ut ne quid nobis in mora eſſet. Cena perfunctus, cubitum eo; & quamvis ſomno marcens, frequenter tamen, puellam adeſſe ſuſpicans, evigilo. Tandem quum jam in utramque dormirem aurem, hoſpitis aſina per ædes obambulans, ad cubiculum meum pervenit, & hordeum odorata, caput per fores, quas de induſtria apertas reliqueram, ut puellæ pateret aditus, immittit, pabulo meis jumentis præparato inſidias ſtruens. Dum ſic ſtolida beſtia introitum molitur, ipſas fores percutit;

H quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quo ſtrepitu ego excitatus, puellam jamjam amplexurus, erigo me, & ſubmiſſa voce eam ad me voco. Voce mea exterrita aſina conſiſtit, & immiſſo in hordeum ore, tuburcinari incipit. Ego puellam in tenebris errare credens, ſurgo, &, Eja, inquam, mea vita, mea animula, adesdum: candidiſſimas illas tuas manus mihi porrige, ut ad lectum te deducam. ſimul dum dextram extendo, genu in caput aſini impingo: quod ille magno impetu elevans, pænè dentes omnes mihi excuſſit: ſanguis certè ubertim ex ore mihi profluxit. Irâ ego inſaniens, vix obſtinere pateram quin pugione nequiſſimam beſtiam interfecerim. Sanguinolentus, amore in malam rem faceſſere juſſo, ad lectum redeo, & ſomno me reddo.

CAPUT XIV.

Guſmanus Almagrum profectus, militiæ nomen dat.

QUum ſequenti die in multam uſque lucem dormiviſſem, dum puer jumentis pabulum præbet, ecce puella cubiculum intrat: ſtatimque ſubridens ultro ſe excuſat quod nocte illa ad me non veniſſet, ab hero cubiculo incluſam

ſam ſe dicens. Ego, Quid te impedi- *Infelix lubido.*
verit, ſoror Lucia (id ei nomen erat)
neſcio : hoc ſcio ob amorem tui pericu-
lo primum, nunc etiam dolore non le-
vi me perſunctum. Sed valeat Amor.
Tu jentaculum nobis para. abit illa,
triſtitiam vultu fingens ; ſed proculdu-
bio interim ſimplicitatem meam tacita
ſecum irridens. Surgo, ac ſumto jen-
taculo, mulam adduci jubeo : quæ dum
conſcenſurus à tergo circumeo, calci-
bus ita me percuſſit ut aliquamdiu ex-
ſurgere non potuerim. Tandem ſuble-
vatus, jamjam abiens, Ergo, inquam,
in hoc hoſpitio nihil feminini eſt gene-
ris, quod non nequam ſit vel inſaniat,
etiam ipſa mula? In via puero narro
quomodo puella me ludificata ſit : qui,
etſi ætate aliquanto me minor, ſimpli-
citatem meam pleno ore ridebat. Dum
ita provehimur, hominem videmus
præeuntem, quem è veſtitu domino
alicui famulatum conjiciebam. Poſt ver-
ba aliquot ultro citroq; habita, & ipſum
in miniſterium recipio, ac nobiſum
progredi jubeo. Interim puer dum ca-
lente jam ſole, ſitiens, lagenam, quam *Malu-*
ephippio appenſam circumferre nobiſ- *ginis*
cum ſolebamus, quærit : ea vero non *elogium.*
comperta, Credo, inquit, ille alter,
à hoſpite aut puella vobis ſurreptam,

ut opidi hujus memoriam vobis quoque celebrem redderet. Ego quæ, inquam, illa eſt celebritas? Memini quidem neſcio quod dicterium audiſſe: ſed quia tu, mi Andrea (hoc mihi nomen ſuum dixerat) ſine dubio & illud & ejus originem nôſti, quæſo, ut nobis quoque explicare non graveris. Ille, quamvis, inquit, eodem morbo quo puer laborem, & verba per arentes fauces vix viam inventura ſint, lubenter tamen, omiſſis fabulis, rem ipſam ex fide digna aliorum relatione narrabo. Dicterium vero tale eſt: *In Malagone, in ogni caſa un ladrone: & in quella dell Alcalde, il figlio e' lpadre.*

Origo proverbii Malaginenſis.

Anno milleſimo duценteſimo trigeſimo ſexto, Ferdinando S. in Caſtilia & Legione rerum potiente, ſecundo poſt Alphonſi regis mortem anno, dum ſanctus ille Rex, Hiſpalenſi occupata urbe, Beneventi die quodam prandet, nuncium affertur Cordubam quoque, nec non arces circa Burgum, quas Aſſarquias vocant, à Chriſtianis in poteſtatem redactas: ſed affluente indies Maurorum multitudine, præſentaneis opus eſſe auxiliis. Eodem nuncio ad Alvarum Perezium de Caſtro, qui Martis erat, & ad Ordeonium Alvareſium, præcipuæ familiæ equitem Caſtulonenſem, itemque ad alios magnates perlato, dici

dici non poteſt quanto ſtudio omnes rem Chriſtianam adjuvandi exarſerint. quamvis ergo anni tempus (utpote media hyems) expeditioni valde adverſaretur, Rex tamen ad iter ſe procinxit; & cum centum tantum equitibus profectus, ſubditis quamprimùm ſequerentur mandavit. Rege profecto, continuis fere pluviis impedito undique itinere, è diverſis regionibus magna Maluginem confluxit militum manùs: ita ut per ſingula hoſpitia ſinguli milites diſtribuerentur: oppidi verò Præfectus ſeu Prætor, quem *Alcalde* vocant, ipſum tribunum unà cum filio, quem ut ſigniferum ſecum duxerat, excepit. Abſumta fere omni alimonia, miles undecumque poterat, victum corradit; tam foris, quam intus, & hoſpitia expilans, & viatorum loculos excutiens. Fortè tum civis quidam Maluginenſis Toletum proficiſcens, in via rogatus, quomodo res ſe Maluginé haberent, illud quod ſupra poſitum eſt dicterium reſpondit:

Signori, quel ch' è di nuovo in Malagone
E che in ogni caſa ſitrova un ladrone:
E' in quella dell Alcalde,
Vi ſon il figlivolo e' l padre.

Videtis, inquit, quanta optimis civibus fiat injuria. neque enim iſtud de ci-

vibus, ſed de hoſpitibus, militibus ſcilicet dictum eſt. Hæc ille. Jam vos ego, quotquot ejuſmodi habetis hoſpites, teſtes advoco, quod de Maluginenſibus dictum eſt, an de veſtris quoque dictum putetis?

Hæc illo diſſerente Almagrum pervenimus. quod oppidum ingrediens, è feneſtra recens vexillum video dependens. Hinc certus conſcribi milites, in hoſpitium quam lautiſſimum divertor. Percunctanti hoſpiti quis & cujâs eſſem, Joanni Guſmano de Toral mihi nomen fingo: eaque nocte cena largiter ſumta: vires tot noctium vigiliis & vaniſſimis curis afflictatas, quietiore ſomno reſtauro, non jam Venrem ſed Martem ſomnians. Mane militum accedo tribunum, qui tam ex veſtitu & comitatu aliquam hoſpitis relatione, magnatis alicujus me filium exiſtimans, humaniſſime me excepit, & ut ſecum eſſe vellem oravit. Accipio conditionem: & ut opinionem de me conceptam tuerer, ſumtus quam largiſſime facio, non aliter ac ſi alterum Aromatarium & ſportulam argento plenam in promtu mihi viderem. Ipſe etiam centurio, homo non tam numatus quam fortis mea liberalitate gaudebat: quam pari comitate ac liberalitate quoque provocabat. Celeri-

leriter abſumta omni fere quæ mihi è ſuperioribus naufragiis reliqua erat pecunia, ecce Commiſſarium recenſendo militi à rege deſtinatum: qui juventutem meam (imberbis enim adhuc eram) cauſſatus, nomen meum inter conſcriptos recipere recuſavit. Hîc ego dici non poteſt quanta ira exarſerim. Vide quantum inter nudum ac bene veſtitum & numatum interſit. Non ita pridem etjam à viliſſimis hominibus pugnis depexus, cubitis expoſitus, hiſcere non audebam: nunc tantam injuriam, vel potius injuriæ ſuſpicionem adeo ferre non poteram, ut eam ne Regi quidem condonare voluiſſem. Indignatione ergo & ira plenus. Fateor inquam, domine Comiſſarie, ætatis mihi non valde multum: animi ſatis ſuperque eſſe ſcio. Barbam non habeo, at manum qua aliis evellam. Ætatis defectum animi magnitudo ſupplebit. Ille regis mandatum prætexens, civiliter ſe excuſabat. Sed Centurio inprimis, injuriam hanc non mihi ſed ipſi factam ajens, multis verbis deprecatus eſt, ut omni depoſita indignatione, contubernium (ita enim loquebatur) non recuſarem: de ſuo ſtipendium, & multa alia quæ præſtare nec vellet nec poſſet, mihi pollicitus. neque enim adhuc ſciebat loculos mihi

Barba non facit virũ.

plane eviſceratos. & ſane paupertatem meam diligentiſſimè ego celabam, & priſtinam affectabam liberalitatem, parcius tamen multoque cautius quam antea. Dum navium quæ militibus in Itatea. Dum navium quæ militibus in Italiam tranſportandis deſtinatæ erant adventum præſtolamur, ſumtibus non ſufficiens, puerum & miniſtrum dimitto. Tum intellexi, non minus ſeram quam miſeram eſſe in fundo parſimoniam. Ah (cogitabam) quis malus te genius in Amorem perpulit? cui veſtitum & pompam immoderatam, cui tot alios ſumtus tam imprudenter, immò turpiter factos imputabis? Quid jam mihi prodeſt ipſi Centurioni ſic meas opes oſtentaſſe? Jam ſentiebam minus me gratum & Centurioni & reliquis omnibus. Momento omnis illa, quam liberalitate, vel potius prodigalitate mea mihi comparaveram, gratia diſparuerat & diſperierat. Jam in me veriſſime dici illud poterat:

Cum fortuna ſtatque caditque fides.

Dives eram dudum, fecerunt me tria nudum,
Alea, Vina, Venus: tribus his ſum factus egenus.

Sed illud longe graviſſimum mihi accidit, quod unà cum numis amicos mihi omnes periiſſe intelligerem. Jam & Centurio & reliqui amicitiam meam aſper-

aſpernabantur: & quem Don Johannem de Guſman antè, jam Guſmanulum appellabant: quinetiam ipſi gregarii milites, quos vix aſpectu paullo ante dignabar, contemtui me habebant. Mihi quidem nullum aliud reſtabat remedium, quam ut diſſimulatis omnibus injuriis muſſarem, Centurionis interim gratiam, quantum fieri poterat, omni ſervitiorum genere ſartam tectam conſervarem.

CAPUT XV.

Guſmanus abſumta furtiva pecunia, Centurioni lavernionis præſtat operam.

AH, quam moleſta fortunæ hæc mutatio animo meo accedit! quam ægrè ab animo imperrare poteram, ut relictis præteritis, præſentia non faſtidiret! quo tandem collecto, illud mecum cogitans, aliam fortunam alios poſtulare mores, patienter omnia ferre decrevi. Sed in primis illud operam in omnibus factis ac dictis dabam, ut priſtinam de mea nobilitate opinionem tuerer, nec quidquam ea indignũ mihi excidere paterer. Et ſanè ut magni eſt animi rebus ſecundis non efferri; ita non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

minoris, adverſis non ſuccumbere, & in utraq; fortuna eumdem eſſe. Centurioni meo ita ego inſerviebam, ut licet ſuperioris meæ fortunæ oblitus non viderer, nihil tamen arrogans aut inſolens ſpirarem. Quid enim paupere ſuperbo magis & ridiculum & odioſum? In hoc Mundi theatro cum fortuna perſonam mutare oportet. Illud memineris,

Quod ſis eſſe velis, nihilque malis.

Nec quidquam te juvabit, mihi crede, ſi virtutum tuarum conſcius, ab iis quos merito ipſe contemnere poſſis, contemni te ægre feras. Hoc ſcito, tanti unumquemque his temporibus æſtimari quantum in ære & poſſeſſionibus habeat. Hi Mundi mores ſunt, fuerunt, & erunt.

Inter has curas ac miſerias non parvo mihi ſolatio fuit ipſius mei Centurionis paupertas, quæ tanta erat, ut deficiente pecunia, uniones, gemmas, torquem aureum, & quæcunque alia percioſa oppignerare neceſſe haberet. Ego, cujus neminem miſerebat, fortunam ejus ſerio commiſerabar: nec tamen erat unde amplius eum ſublevarem. Quod ergo unum poteram, operam quam largiſſime offero ad omnia quecumque vellet. ille, quod à verſatili meo ingenio auxilii aliquid ſperaret; quibus cir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

circumventus erat neceſſitates ultro mihi confitetur: quibus ego ita medebar, ut nec mei obliviſcerer. In primis lucroſa mihi erat hoſpitiorum demandata deſignatio, quæ ita à me fiebat, ut fere ſemper duodeni aut etiam viceni mihi ſupereſſent tituli, quorum immunitates præſentaneo argento patresfamilias à me redimere cogebantur. Sed & meum erat quidquid fere ad manum venerat. Quod enim clam non poteram, ſurripere palam, ſtratiotico ſane, hodie nimis uſitato more, vi auferebam. Quid multa? infiniti nobis erant modi acquirendi rerum dominii, de quibus in univerſa Juris diſciplina ne litteram quidem aut verbum reperias. Capitaneo meo (cur enim uſitatis non utar vocabulis, etſi parum Latinis?) numquam gallinæ, pulli, anſeres, oves, & reliqua campi pecora ad victum deerant, me variis artibus procurante. Quod ſi forte à patrefamilias in furto eſſem deprehenſus, aut rapinæ convictus; Capitaneus ætatem meam excuſans, præſente eo qui querebatur, ſolea admodum ſubtili aliquot ictus vel palmis, vel natibus meis infligi jubebat, qui magnum ſonitum, at parvum dolorem excitabant. Sed fere ſemper aderant ad eam rem allegati patroni aliqui, quo-

Diſciplina militaris.

rum interceſſione & reatus & pœna mihi condonabatur. Quid ego dicam de fraudibus in militum recenſione adhibitis? quarum vobis aliquot narrarem, niſi eas hodie ſic uſitatas ſcirem, ut etiam ingenioſiſſimæ fere rideantur; nec admirationi ſit niſi qui aliquid quaſi ſupra humani ingenii captum in hac arte excogitârit. Ego ut ante pecuniæ, ita jam ingenio meo omnem quã à Capitaneo inieram gratiam, & qualecumque vitæ meæ facilitatem debebam. at Capitaneo meo nimis prodigo etiam omnia nimis parũ erant. Barcinonem quum veniſſemus, ubi triremes in Italiam nos tranſportaturæ ſtabant, jam omnis ille commeatus nobis erat intercluſus. Quis tum triſtior meo Capitaneo? tanto magis, quod nemo eſſet ex regiis Commiſſariis aut quæſtoribus, qui etiã juſſu Regis, vel teruncium vellet exponere, ærarii cauſſantes inopiam; quin etiam multa aureorum millia, quæ de ſuo (quum proprium ante nihil habuiſſent (Regi mutuati eſſent, deberi ſibi prætendentes. Animadverſo Capitanei morbo remediũ quæſiturus, inter pauca ejus cimelia unum videram, religioſis uſibus conſecratum, & auro grave, & multis gemmis diſtinctũ. *Agnus Dei* vocant. quum jam eò res rediiſſet, ut quidquid habebat oppignerandũ aut

Nequitia aſtutiſſima.

ven-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

vendendum eſſet, rogo ut illud fidei meæ paulisper concredat. quod ille, aſtum me tractare facile intelligens, & fauſtum ſucceſſum comprecans, haud gravate fecit. Acceptum ego cimelium ad aurifabrum uſurarum nomine infamem defero. & multa de meo genere, cauſſis itineris, & in primis de præſenti mea inopia præfatus, ajo tandem, cimelium mihi ſupereſſe unicum, magni valoris, quod etſi vendere nondum me egeſtas cogeret, conſultius tamen ducere pecuniâ uſibus meis ubique profuturâ commutare. Deliberaret ergo ſecum, an pro eo non omnino iniquum mihi ſolvere vellet precium, ſic ut neuter conquerendi haberet cauſſam: gratum mihi tamen fore, ſi prius de mea perſona apud commilitones, adeoq; ipſum Capitaneum inquireret. quum ſic ille comperiſſet quæ vellet, nempe nobili me genere, in magnis divitiis natum, honeſto comitatu, copioſa pecunia nuper inſtructum: quâ per juvenilem imprudentiam abſumta, ad eum quem videret ſtatum redactus eſſem: hac relatione ineſcatus, ad me redit, paratum ſe dicit, tum hoc tum quæcunque alia haberem cimelia à me emere: ſimul petit ut illud inſpiciendum ſibi monſtrem. rogo ut in ſecretum mecum ſecedat: apertoq; thorace, cui ita illud affixe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ram, ut ad pectus mihi penderet, oſtendo. Diligenter ille contemplatus, jam hunc jam illum defectum cauſans, quinquaginta offert ducatos: ego non minoris centum & quinquaginta venditurum me conſtanter ajo. Poſt multam licitationem de centum & viginti ducatis inter nos conventum eſt: quos ille domi ſe mihi numeraturum ajebat, & ut unà irem rogabat. Ego, mi domine, inquam, hoc potius loco exſpectabo te cum moneta, ne forte quis meorum commilitonum, ædes tuas ingredientem, aut me tecum colloquentem videns me vendiſſe aliquid ſuſpicetur, atque inde pecuniæ meæ inſidias ſtruat. Dum ille properè domum abit, unum è commilitonibus ſuborno, qui è propinquo loco quæ inter nos agerentur, obſervaret. Reverſus aurifaber, in manum dextram mihi numos numerat: ego ſiniſtra manu cimelium tenens, jam ei traditurus, quum nodum quo thoraci adſtrictum erat, ſolvere non poſſem, cultellum quem ille è cingulo pendentem gerebat, peto: ille vero ultroneam mihi hanc præſtans operam, nodum ita diſſecat, ut funiculi reliquiæ aliquæ ſupereſſent, & veſtigia ubi illud appenſum erat, conſpicerentur. Abit ille lucro, ut putabat, lætus; ego verò à tergo ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſequens, ubi duos è noſtris milites obvios illi vidi, magna voce, ut furem comprehenderent, inclamo. Nôrant illi me; tantoque alacrius hominem apprehendunt: tum me rogant quid rei ſit? an forte perdiderim aliquid? Hejulans ego, O me infelicem! clamo, quem herus abſque omni miſericordia letho daturus eſt, ut qui precioſiſſimum cimelium fidei meæ ab ipſo creditum amiſerim. Accurrente jam magna hominum multitudine, rem geſtam, vel mendaciſſime à me fictam ſic narro: Hoc mane dominus meus chariſſimum ſibi cimelium ad lecti caput reliquit. quod aliàs mihi accuratiſſime demandâſſet, ego pectori meo appendi; & bono huic viro, quod aurifabrum eſſe ſcirem, contemplandum monſtravi, de precio ſciſcitaturus, quod dominum meum lubenter ſcire velle intellexeram. ille rogat me num vendere vellem. Ego id ex ipſo hero meo quærere jubeo. At bonus hic variis interrogationibus tamdiu detinuit, donec in locum quemdam avium deduxiſſet; ubi extracto cultello, necem mihi interminatus ſi vel hiſcerem, quod dixi cimelium, diſſecto quo adſtrictum erat nodo, mihi eripuit, atque ita à me abiit. Quum ſimul veſtigia monſtraſſem, milites hominem pæne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ne exanimem increpant: & reperto ita uti à me deſcriptum erat cimelio, furti manifeſtum clamant. Jurare ille, perfidiam meam deteſtari dicere, emtum à ſe præſenti pecunia quod furto abſtuliſſe argueretur, quam proculdubio adhuc mecum haberem. Sed miſer valde deceptus erat. Eam enim ego inter viam homini fido à me eum in finem appoſito, tradideram. Excuſſis diligenter meis veſtimentis, quum nihil eſſet repertum, milites hominem & verbis & factis male habent. Adit ille judicem, & tam de nequitia mea quam vi ſibi facta queritur. Ego licet conſcientia (ah miſerum me!) aliter dictante, Judici rem ita narro, ut accedentibus militum teſtimoniis, ille furti condemnatus, mihi verò cimelium reſtitutum fuerit: quòd ego Capitaneo, unà cum uſura ſane luculenta, reddidi.

Malus ſibi ipſi magis nocet quam aliis.

Placuit proditio, non proditor. Poteſt malus male agendo bonam inire gratiam; at malitiæ opinionem & naſcentem inde diffidentiam vitare non poteſt. Capitaneus ſane meus ex illo facinore ſceleratam meam animadvertens nequitiam, ita caute mecum egit, ut nihil magis metueret quam ne & ipſe à me deciperetur. quapropter cum Barcinone Genuam appuliſſemus, nec ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ille meo opus amplius haberet miniſterio, pro ſtipendio numeratis aſſibus aliquot, me dimittit. Diſcedo triſtis admodum, utpote ab omnibus deſtitutus: & in via illud conſiderabam, ut Virtuti præmium & laudem, ita vitio turpitudinem & pœnam velut perpetuos comites eſſe adjunctos. In ipſo diſceſſu impetum ceperam Capitaneo ſuam paupertatem mea liberalitate, vel potius inſipientia primum, deinde aſtutia quoque ſuſtentatam exprobrandi: ſed præſentis inopiæ mihi conſcius, animo moderari ſatius duxi. Fruſtra enim cum illo contendas lingua & jurgiis qui factis coërcere te poſſit. Unum illud me ſolabatur, quod paterna cognatione junctos inventurum me ſperarem, quorum obviam & effuſam in me liberalitatem fruſtra mihi imaginabar.

CAPUT XVI.

Guſmanus Genuæ ludibrio habitus, Romam proficiſcitur.

ADulatorum culpâ fit, ut nemo divitum fatuus, nemo pauperum ſapiens habeatur: quippe res quaslibet non ex ipſa veritate, ſed aliorum lubidine

dine æſtimantium. Quamvis autem plerumque bonæ Mentis contubernalis ſit Paupertas; nemo tamen omnium mortalium eſt, qui eam non averſetur. nec ſine cauſſa: ut quæ vulgo habeatur mater turpitudinis, communis infamia, fomes malitiæ, occaſio ſcelerum, lepra anxia, pelagus in quo ſuffocatur patientia, conſumuntur divitiæ, finiuntur vitæ, perduntur animæ.

Paupertatis vis & effectus.

Quid pauper ſit vis dicam? Pauper eſt moneta nullius valoris, furni conſilium, fæx populi, cœnum platearum, aſinus opulentorum. Denarius quem pauper habet non valet ſemiſſem; ſcientia ipſius ignorantia eſt; ſapientia, fatuitas; ſermo, ludibrium, peculiolum, omnium præda; vita denique omnis, odium & abominatio. In hominum cœtibus non auditur, ſed præſens tamquam abſens habetur; non ſalutatur in foro; non domi viſitur: quin etiam obvium plerique omnes fugiunt, non dignantur congreſſu, non ſermone. Si miranda dicat aut faciat, veneficum ajunt, & magiæ peritum; ſi virtutem in dictis & factis oſtendat, alios decipiendi quærere occaſionem. ab omnibus calcatur, à nemine ſublevatur. etiam cogitationes ipſius, quorum tamen nemo alius eſt conſcius, in crimen vocantur:

deni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

denique ab omnibus quibus undique expoſitus eſt, injuriis nullum provocationis ipſi jus eſt, niſi ad ſummi Judicis in altera vita tribunal. O miſerum pauperem! qui quum nihil habeat, pro omnibus tamen ſatisfacere cogitur: cui etiam media æſtate ſole gratis frui vix licet. Et quemadmodum carnes putidæ carnibus vorandæ objiciuntur; ita pauper paraſitorum ludibriis à divitibus exponitur. At quam diverſa, bone Deus, opulentorum eſt conditio! Hi ſecundis ventis & tranquillo mari navigant. granaria frumentis, cellas vino, arcas numis plenas habent. aſtate ab æſtu, hyeme à frigore ſe defendunt. Dives fatuus pro ſimplice, fraudulentus pro aſtuto, prodigus pro liberali, avarus pro frugali, obſtinatus pro conſtanti, audax pro forti, malus denique pro bono habetur. Obſervatur, colitur, adeoque adoratur ab omnibus. ipſe teſtis ſibi eſt, ipſe judex. Facit denique ſolus quod vult. Senſi tum quidem ego quam verum ſit, quod vulgo dici ſolet, Hominem ſine pecunia eſſe corpus ſine animâ. & illud Demoſthenis: ſine pecunia nihil eorum quæ oportet, fieri aut geri poſſe. Pecunia ſanguis eſt hominis, quo deſtitutus, quaſi mortuus inter vivos ambulat, & pro non

Divitiæ inſolentes, &c.

nato

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nato habetur. Perverſi hi mores ſunt, fateor: ſed quid tu, vel ego? an huic communi errori medebimur? an fruſtra meliora tempora & mores emendatiores exſpectabimus? Numquam profecto illud erit, niſi ad Calendas Græcas. Antiquum Mundus obtinet. Media primis, extrema utriſque reſpondent. Primus hominum parens infidelis Deo fuit, mater, mendax, primogenitus fratricîda. Quid jam fit quod non ante factum, aut aliquando futurum ſit? Quod præterita fere ſemper meliora nobis videntur, inde fit ut etiam malorum ac dolorum quibus olim perfuncti ſumus recordatio nobis grata ſit: quum præſentium acerrimus ſit ſenſus. Sic viridantium ac variis vernantium floribus pratorum aſpectus è longinquo oculis gratiſſimus eſt: at ſi propius accedas, nullibi reperias, ubi ſedere velis aut poſſis. Et quid mirum eſt, homines tanto ſtudio divitias conſectari? quibus deficientibus, frater fratrem, uxor maritum, filium pater, patrem filius deſerit, immò homo à ſeipſo deſciſcit. Ego certe ſi Genuam appulſus meipſum conſideraſſem, numquam in id quod expertus ſum incidiſſem ludibrium, ſed meliori fortunæ me ſervâſſem. At ſatis philoſophatus ſum.

Ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Genuæ quum eſſem, à Capitaneo meo ita, ut audiſtis, dimiſſus, etſi centunculo verſicolore indutus, mormolycio quam homini ſimilior, antiqua tamen Gothorum nobilitate me ortum, & præcipuas ejus urbis familias cognatione attingere me jactabam. O quæ ludibria, quas contumelias ego tum quum maximos ſperabam honores, accepi? Nemo ex omnibus erat cui ego genus ac proſapiam meam revelâram, qui non ſtatim exclamaverit: O audaciſſimum nequam! Tune tali ortus ſis genere? quem palam eſt vulgo conceptum, & in fornice aliquo natum, quin etiam nonnulli mihi genus meum pertinaciter jactanti alapas inflixerunt. De patre meo tantum comperi, quantum de eo qui nunquam natus fuit. Tandem ſenex aliquis recalvaſter (cujus memoriam ſine indignatione etiamnum uſurpare non poſſum) variis de rebus amice mecum colloquutus, ait, Patris mei nomen ſibi non ignotum: de omnibus vero quæ ad cognatos meos pertinerent, domi me eruditurum. ſimul ut ſi cenatus eſſem, ſecum irem invitat. Fidem habui homini cano, & cujus aſpectus atque omnis habitus venerabile aliquid præ ſe ferebat. Præeuntē ergo ſequutus, domum ipſius ingredior, ſtatimq; à mi- *Senilis aſtutia.*

niſtro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

niſtro in cubiculum quoddam magnifice apparatum deducor. Tum demum ſpe falſum me vidi. neque enim putâram, fore ut in opulentis ædibus, & quidem apud eum, qui genus meum & noviſſe ſe dixerat, & magnopere extulerat, incenato mihi ac famelico cubitum eſſet eundum. Cur ergo, ais, non prius in taberna aliqua famem expleſti? Dicam ingenuè. noſtræ nationis mos eſt, ut plerique de ſuo parce admodum victitent, alieni vero ita ſint prodigi, ut ultra ſatietatem ingeſto cibo potuque, pantices diſtendant ac pæne dirumpant. Venit poſtea ad me ipſe paterfamilias; ſed ſine Cerere & Baccho: & multis interrogationibus de parentibus meis, deque rebus aliis plurimis tam mihi moleſtus fuit, ut ipſius quoque cenæ lubenter obliturus mihi viderer, modò ille abiiſſet. Quum ad ſingula prudenter admodum reſpondiſſem, tandem digrediens ille, uni ex famulis mandat, ut mihi ad miniſterium præſto ſit: ſed ego, amoto famulo, quamvis edere quam dormire maluiſſem, depoſito omni meo lacero admodum & nodis hinc inde magis adſtricto quam conſuto veſtitu, ita nudum me in lectum compono, ne lectus immunda ac ſquallida mea interula conſpurcaretur, aut

forte

forte alumnorum aliquis aberraret, & omni amiſſa redeundi ad priſtinum ſtabulum voluntate, ſera fieret. Vix oculos clauſeram, ecce larvati aliquot diaboli in cubiculum irrumpunt, & lectum meum circumſiſtentes, metu tantum non me exanimant. Exclamare non auſus, ſedulo tantum Dei nomen invocabam, ut me à baptizatis illis diabolis liberaret. Sed vani erant exorciſmi mei. Statim enim eorum aliquis ſtragulo me imponit; tum ſinguli apprehenſis laciniis, ad ſemihoram fere ita ſuccutiunt, ut vi retentrice alvi meæ langueſcente, quidquid ſtomacho clauſum gerebam, redderem. quo teterrimo odore offenſi illi, exanimi me relicto, ſeſe proripiunt. An in cœlo vel terra tum fuerim, abalienatis fere ſenſibus, neſcîſſem ſane, niſi me odor admonuiſſet: quo excitatus, quid mihi accidiſſet, mecum conſidero; tum totum corpus eo quod in linteamine purum adhuc erat, extergo, ſicq; centuculo me iterum involvo. Jam cœlo albeſcente, fores quas manu mea intus obſeraveram, contemplor, iſque uti à me clauſæ fuerant repertis, timere cœpi ne à ſtrigibus & lamiis nocturnis eſſem vexatus, quarum illo ipſo veſpere famulus inter alios ſermones mecum habitos mentionem fecerat,

Ridiculum terriculamentū.

iis

iis ſcilicet totam illam infeſtari viciniam. Tandem pſeudothyrum video: & deprehenſa nequitia, ſcelerato ſeni peſſima quæque imprecatus ſum, male etiam feciſſem lubens, ſed occaſionem nullam videbam. Optimum ergo duxi, ut lecto diligenter tecto, errorem meum ſeu imbecillitatem ſimul tegerem. Mane idem qui veſpere in cubiculum me deduxerat, adeſt miniſter. ait, herum in templum iviſſe, ibique meum adventum præſtolari. Ego veritus ne ille ventris mei inveniret reliquias, & imbecillitatem meam mihi exprobraret, rogo ut viæ & regionum iſtius urbis imperitum me deducat. ſic ille ad fores ædium me comitatus, eis occluſis regreditur; ego velut alatis pedibus quam celerrime inde volavi, probri & pudoris plenus: reſtauratiſque cibo potuque aliquantulum viribus, iter Romam ingreſſus ſum.

CAPUT XVII.

Guſmanus ad Mendicorum tribum ſe adjungit, ejuſque mores, ſtatuta & leges addiſcit.

Addit pudor alas. SI uxor Lothi ſic domo egreſſa fuiſſet, ut ego Genua, numquam, mihi crede, in ſalis, (id eſt, æternam, ſeu diu

diu duraturam) ſtatuam fuiſſet converſa. Certe non facile quiſquam vel quadrigis me fuiſſet aſſequutus. E prœlio aliquo evaſiſſe obviis videri poteram: ſimilis cani non è Nilo bibenti, (hos enim identidem reſpicere ajunt) ſed cui veſica piſorum plena ad caudam alligata eſt. Tanta me incenderat indignatio, tanta ira pudori permiſta me invaſerat, ut omnem fere ſenſum amiſiſſe viderer. Qua paullatim ſubſidente, quum uno curriculo decem confeciſſem milliaria, in pago quodam cibi aliquid & quietis capiens, rerum mearum ſtatum tam præteritum quam præſentem curioſè expendi, & ad ſummam Neceſſitatem, multorum naufragiis infamem ſcopulum, me delatum, nimis ſero deprehendi. Sed jacta erat alea. Qui ſemel verecundiæ limites tranſiit gnaviter oportet eſſe impudentem.

Romam proficiſcens, ipſa neceſſitate admonente, de meo quamminimum expendere ſtatui. Impigre ergo oſtiatim mendicando, brevi magnum quæſtum feci: ac multo majorem feciſſem, ſi artis hujus myſteria ab initio habuiſſem cognita. ſed tyro adhuc eram, & inprimis in eo imprudenter faciebam, quod emendicatum panem qui ſaturo mihi ſupererat, canibus dabam: quem

Parcimonia mature adhibenda.

ſi vendidiſſem, uti faciunt artis hujus periti, plus pecuniæ quam quiſquam credere queat, conficere inde potuiſſem. Romam ut veni, deliberavi mecum, expediretne nova mihi comparare veſtimenta. jam enim è negociatione mea (cujus ſors ſemper integra, uſuræ certæ manent) tantum lucri feceram, ut facere id poſſem: ſed metuenti ne idem mihi quod Toleti accideret, nequaquam id conſultum videbatur. Sciebam quippe, ſuperbo ſæpe veſtitu extremam occultari paupertatem. tum, Mendicantes robuſtos ac bene veſtitos plerumque ſine eleemoſynis, convicio à foribus abigi. Certus ergo aſſervare quod habebam, altero velut nodo marſupium meum conſtrinxi, ut vix à meipſo vel numulus inde poſſet eximi: ne ſeram in fundo deprehendens parcimoniam, meam inſcitiam atque imprudentiam iterum damnarem.

Mendicantium artes. Lacer ego, pannoſus, ſquallidus (qui habitus & ipſe à me non ſine cura erat concinnatus) oſtiatim mendicans, Cardinalium, Oratorum, Principum, Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum ac Magnatum ædes præcipue obſidebam, uſus tam ductu quam inſtructione cujuſdam pueri trocho magis verſatilis, & omnium urbis regionum pe-

peritiſſimi. Hic me docuit, quibus geſtibus, qua voce, quibus verbis in petenda eleemoſyma uti oporteret. neque enim unum omnibus placere. Viros non delectari nugis: quibus feminæ maxime capiantur. Aliis verbis divitem, aliis mediocris conditionis, aliis Religioſum appellandum eſſe. Hos per Dei amorem, illos per Deiparæ reverentiam obſecrandos eſſe. aliis optandum quod quiſque maxime deſiderare videatur. multaque alia quæ dicere hujus loci non eſt. Tam vero docilis ego eram diſcipulus, ut brevi non contemnendum mihi comparaverim peculiolum. Panis reliquias iis vendebam, qui gallinis & gallis caſtratis, aliiſque animalibus ſaginandis dabant operam: ex qua una re mirum eſt quantum pecuniæ confecerim. Nec vere dies abibat, quin nudo mihi obſoleti aliquid veſtimenti objiceretur: quæ omnia ego vendens, numos diligenter reconditos aſſervabam.

Adhuc neſcieram, eſſe certam Mendicorum tribum, certas leges ac ſtatuta, quæ non minus quam magiſtratuum ſanctiones ac juſſa tranſgredi periculoſum ſit: donec quodam die commilitonum meorum quoſdam inter ſe muſſantes audivi: Hiſpanus hic juvenis multa *Tribus, & ſtatuta.*

quotidie peccat contra artem noſtram, nobis multum obſutura, nec ipſi tamen utilia. Tum eorum aliquis: ſanè ita eſt. Vidi enim nuper, quum ſatur forte, neſcio quid cibarii oblatum reſpueret. ex quo quid aliud poteſt colligi, quam nos ita abundare ut etiam faſtidiamus. Alter, hunc tu mihi, ait, caſtigandum relinque. Vocatum mox ac ſeductum rogat, quis, cujas eſſem, quam ob cauſſam Romam veniſſem: aliaque ſimilia. Accepto reſponſo, tamquam Cicero aliquis aut Poſidonius, Officia mendicorum explicare mihi cœpit, (ſed utilitatis tantum erat mentio, nulla Honeſtatis) tum leges, ſtatuta, & alia ad ampliſſimam hanc ſocietatem ſpectantia. Nugamenta iſta omnia erant quæ ante à puero quem dixi didiceram. Et ego quidem tam hæc quam iſta in ſcriptis habeo omnia; vulgare tamen velut Eleuſinia ſacra, vereor. Satis erit, ſi vobis quid poſtea mihi contemtam hanc artem, lucroſam tamen factitanti acciderit, narrâro.

Roma Cajetam profectus, ex artis præceptis, caput mihi ulceroſum efformo: idque oſtentans ante ipſas templi fores miſerabili, & non minus ſecundum artis præcepta modulata voce eleemoſynas flagito. Inter illos qui ſtipem

pem mihi porrexerant, erat quoque urbi Præfectus, diligenter me, ut poſtea expertus ſum, contemplatus. Paullo poſt die quodam feſto aliud adhibeo ſtratagema, non ſemel ante mihi uſurpatum. Alterum pedem mira arte ita concinno, ut totus gangræna videretur infectus. Sic ad aliud templum accedens, ante fores conſideo, & pedem oſtentans, miſerabili voce à prætereuntibus ſtipem efflagito. Voluit tum mala mea fortuna, ut eodem in templo ſacris intereſſet Urbi præfectus: qui egrediens, me internoſcens, jubet ut exſurgam, ac domum ſecum eam: interulam ibi ſe daturum mihi dicens. Credo ego, ſequor. In præfecti domum quum veniſſem, diligenter ille me contemplatus, Poteſtne fieri, inquit, ut tam robuſtus, tam vividi coloris, tam bene habiti corporis homo, talem habeat ac tam exulceratum pedem? Totus tremens, Neſcio, inquam, domine, quid rei ſit: me quidem quam Deus inflixit mihi pœnam, patienter ferre oportet. Sed ille advocato chirurgo, jubet ut lintea omnia & ligaturas è pede mihi detrahat: quo plane nudato, fraus mea omnium oculis fuit expoſita. Quid me tum miſerius? Quid dicerem, quid facerem? Omni excuſationi viam præcluſam

Fraus caſtigata.

videbam. Præfectus indignatione plenus ſevere me caſtigare decreverat: ſed adoleſcentiæ meæ parcens, virgis cæſum, (hæc ſcilicet illa erat interula) civitate ejici juſſit. Hoc ſiniſtro fortunæ, vel potius malitiæ meæ ictu pænè proſtratus, animo tandem reſumto, Romam redii, ubi, utpote in tam vaſta urbe, & tanta mendicantium multitudine, cuique ſuo quo poteſt modo victum procurare licet. Et ſane tutius eſt per latiſſimum navigare Oceani æquor quam per freta & anguſtias, ubi minima procella ad ſcopulos aut vada deferre te poſſit.

CAPUT XVIII.

Guſmanus à Cardinali quodam curandus Chirurgo traditur: ſanatus, inter domeſticos miniſtros recipitur.

ADoleſcentiam in rebus arduis cæcutire veriſſimum eſt: non quidem ingenii, ſed prudentiæ defectu, quæ experientia acquiritur. ad hanc vero acquirendam tempore opus eſt. Ut fructus immaturi nullum, immo ingratum & acerbum habent ſaporem: ita ado-

Adoleſcentia improvida.

adoleſcentes rerum experientia nondum ſubacti, aut parum ſapiunt, aut illud quod ſapere ſibi videntur, inſipientiam meram eſſe, ſero tandem intelligunt. Miraris tu juvenilem imprudentiam? Ego vero multo magis mirabor, ſi quis juvenis præter aut ultra ætatem ſapiat. Notum illud eſt: *Ingenia præcocia parum eſſe diuturna.* Sapiebam ego pro ætate, ita tamen ut accedente rerum experientia, animum velut aquilæ pullus, ad ipſum veritatis ſolem ſublevarem, ſic mecùm cogitans: Hem quid agis Guſmane! Siccine vitæ tuæ optimam partem conteres? Tu quidem non alios, ſed teipſum decipis. Quid attinet te mendicare, qui multo honeſtioribus modis victum tibi ipſe procurare poſſis? Ecce tot hominum millia, quos invitos ad mendicitatem adverſi caſus adegerunt: quibus tu debitum panem præripis. Tu quidem eleemoſynam alacri accipis manu: at qua olim Deo, cujus veros amicos vere pauperes prævertiſti, illam reddes? Sic ego mecum ratiocinabar: ſed vincebat naturam conſuetudo. Dixi vobis quæ ego in accipienda, dicam nunc quæ alii in danda eleemoſyna peccarint. Vidi nonnullos ac præcipuè divites & bene numatos, quum noſtrûm aliquem præterirent, conſiſtere, tum

Eleemoſyna qualis & quibus danda.

in extracto marſupio tamdiu piſcari, donec numulum aliquem aut vetitæ monetæ, aut nullius invenirent valoris, eoque pauperem bearent. Vide quo loco homines iſti Deum habeant. Perſuaſum habent ſcilicet, quod pauperibus datur Deo dari: interim Deo dant, quod datum alii recuſarent. Erant etiam, qui nequaquam ſingulis dabant eleemoſynam, ſed magnam mendicorum patiebantur confluere multitudinem: quibus deinde magno cum ſtrepitu, neſcio quid diſtribuebatur, quos quidem non divinum mandatum aut præmium, ſed hominum laus, quam inde venabantur, incitabat. Dabant alii, non quod dare vellent, ſed quod non dare eos pudebat. Sed hæc videritis qui datis; alia, qui accipitis eleemoſynam.

Mendicantium fraudes.

Romam reverſum dici non poteſt quanta me ceperit lætitia. Ad priſtinas ergo artes reverſus, crus iterum mihi ulceroſum concinno, ſicque ad Cardinalis cujuſdam oſtium me projicio. Egredientem quam poſſum miſerabili voce inclamo, per amorem Dei ut afflictiſſimo mihi ſubveniret obteſtans. Meam non pauperis ſed Dei vocem arbitratus beneficentiſſimus Cardinalis, mandat famulis, ut me ſuas in ædes, adeo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

adeoque ſuum ipſius in cubiculum deportent, & in lecto deponant. Inde duos Chirurgos accerſit, eiſque curam mei demandat. Et hi quidem primo decepti aſpectu, incurabile ulcus eſſe, adeoque crus mihi præcidendum clamabant. O quæ tum pectus meum invaſerat anxietas. Jam quod Cajetæ acciderat, ludus & jocus mihi videbatur, nec in omnibus Litaniis ullum inveniebam Sanctorum à quo nequitiæ patrocinium peteretur. Dum ita illi alter alterum intuentes ſubrident, malitiamque meam mirantur, jam jamque abituri, & rem omnem ut erat Cardinali indicaturi: è lecto proſilio, & auſcultans quæ illi clam inter ſe muſſitabant, uno ſic dicente: Nequiſſimus certe hic eſt adoleſcens, & ut videtur, in Lavernæ ſchola omnes artes edoctus. Sed quid ad nos? Si myſterium hoc Cardinali evulgemus, miſero creamus periculum, & nobis viam ad lucrum præcludimus. Quid ſi rem omnem diſſimulemus, & ſuſceptam adoleſcentis curam in longum extrahamus, atque ita mercedem deinde luculentiorem conſequamur? Renuente altero, & rem Cardinali indicandam dicente, improviſus accurro, & in genua provolutus, per omnia ſacra obteſtor, ne me, cujus ſalus in ipſo-

Avaritiæ vis.

rum ore & manibus erat poſita, perditum irent. Hominum ad eleemoſynas pigerrimorum tenacitate miſeros ad ſtratagemata ejuſmodi cogi. Mei ergo miſerentur, & rem omnem clam habendo, tam meæ ſaluti quam ſuisipſorum commodis conſulerent. Vix me digreſſo, dum illi inter ſe conſultant, ecce Cardinalem ex Eccleſia redeuntem; cui de me percunctanti ita reſponderunt: Atrox eſſe ulcus, jamque gangrænâ crus pæne totum occupatum. Bonis auſpiciis in Illuſtriſſimæ ſuæ Dominationis manus incidiſſe, ſive cujus liberalitate proculdubio ipſi pereundum fuerit. Sperare ſe, omnem curam intra ſemeſtre abſolvi poſſe. Tum optimus Cardinalis, Non ſex tantum, ſed decem etiam menſes, ſi ita neceſſe ſit, miſeri curæ impendatis volo, nec ullis ſumtibus parcatis. Hæc ego audiens, incredibili perfuſus ſum lætitiâ, tum demum recte intelligens è quanto evaſiſſem periculo, & quanta illud bona ſpe jam eſſet commutatum. quæ quidem nequaquam fefellit. Mihi enim cibus & potus quotidie de Cardinalis menſa præbebatur, tum Cardinalis ipſe ſæpius me viſitabat, & amiciſſime mecum colloquebatur, ita ut ſermone & conſuetudine mea delectari videretur. Pau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

eos poſt menſes jam perſanato ſcilicet crure, chirurgi accepta quam popoſcerant mercede, mihi valedicunt: ego verò à Cardinali non rogato, domeſticis miniſteriis adſcribor.

CAPUT XIX.

Quid Guſmano in Cardinalis acciderit miniſterio.

VEriſſimum eſt quod ille apud Comicum dicit, *Omnium rerum eſſe viciſſitudinem.* Poëſeos ſtudium olim, quod in magno eſſet honore, ſummè floruit: noſtris temporibus ita vilipenditur, ut Poëta inter convicia quaſi numeretur. Quid Oratores olim? Hi dominabantur in foro, in Senatu, eoque ſoli fere rerum potiebantur. At quid hodie contemtius Eloquentiæ magiſtris? Veſtitum quoque ipſum conſidera; quam frequens in hoc mutatio, quam novæ ſubinde formæ! nec hac in re plebejus aliquis vel Magnati facile cedat. Jam ipſas quoque linguas & vocabula ſuperbia mutavit & ambitio. non placet antiqua ſimplicitas. qui plures ſolœciſmos & barbariſmos aulicos, ut Majeſtates, Celſitudines, Illuſtritates, &c. in promtu habet, is civilior ac

Res omnes mutant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

diſcrtior habetur. Ædificiorum formæ ſubinde mutantur. excogitantur indies novæ bellicæ machinæ. Ipſi quoque Chriſtianorum mores in gentiles, parum abeſt, degenerant. Olim colum & lanam tractabant feminæ ac virgines: nunc catulos Melitenſes ſinu & brachiis gerunt, pſittacos, cercopithecos alunt. Olim clauſæ domi latebant, domeſtica obeuntes munia: nunc per fora, per plateas circum curſitant, adſtant pro foribus, tam ut alios ſpectent, quam ut ipſæ ſpectentur. Conviviis olim aut nunquam, aut raro adhibebantur: nunc prima in eis loca ſibi vindicant. Quod rebus omnibus, idem veritati accidit. quæ namque in ſummo honore fuit, & hominibus perfamiliaris, adeò ut omnium virtutum decus ac perfectio haberetur (& profectò ubi veritas locum non habet, ibi virtutes omnes nec unius aſſis æſtimandæ ſunt) jam albo corvo rarior eſt: qui libero animo verum dicat, aut æquo audiat. *Obſequium amicos, Veritas odium parit.* Sed quid Veritatis nomen uſurpo? cujus uſus jam diu inter homines deſiit: cujus in exſilium actæ ſedem Mendacium occupavit. Apologum audi.

Veritati olim tamquam virtutum omnium reginæ communis hominum

con-

conſenſus ſtatuam erexerat: quod ægre ferentes Mendacium, Odium, Invidia, innocentem licet vaferrime excogitatis calumniis ita circumvenerunt, ut dejectâ ſtatuâ miſeræ exſilium indictum fuerit, omni tam excuſationi quam provocationi loco præcluſo. Dum ita deſpicabilis inter homines oberrat, in trivio conſiſtens, & viæ & regionum ignara oculos circumferens, in collis cujuſdam vertice magnam conſpicit hominum multitudinem, quæ quanto propius accedebat, tanto major apparebat. Medii in illa erant Reges, Principes, Comites, Rerumpublicarum & Urbium Gubernatores, triumphalem currum, cui matrona regio ornatu inſidebat, comitantes. Et hæc quidem è longinquo incredibilem pulchritudinem tam habitu quam facie oſtendebat; at propior, mirum in modum deformis apparebat, toto corpore ulceribus ſcatente. Conſiſtens Veritas, viſis tot tamque ſublimis dignitatis viris, tam turpem mulierem ſatellitum loco comitantibus, ſubridet. Id conſpicata regina Mendacium, rogat quæ eſſet, unde veniret, quò tenderet. Fatetur illa omnia uti erant. Tum Mendacium pro ſuo imperio jubet, ut currum ſuum ſequatur: non ignara, omnium minime nocere

Apologus de Veritate & Mendacio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

hoſtes qui benignitate ſubacti fuerint. Veritas invita, ſed ad reſiſtendum impar, paret imperanti, & extremo agmini ſeſe immiſcet. Sciebat enim inter Mendacii ſatellites locum ſibi non eſſe. Veritatem ſane numquam tu apud ipſum Mendacium aut ejus miniſtros reperies. Sequitur illa eminus: & ubi nequiſſima illa ſimul & ſuperbiſſima femina diſparuit, tum demum ſe oſtendit.

Primi diei itinere ad ſplendidam civitatem pervenimus, in qua *Favor* regnare dicebatur: qui egreſſus Reginam magnifice excepit, & ut in regium diverteret palatium, invitavit. illa, actis gratiis, apud opulentum civem, *Ingenium* nomine, hoſpitium ſibi ſumit: ubi regali luxu inſtructa erant omnia: inprimis tanta erat ciborum ac condimentorum varietas, ut omnes ſapores atque odores confuſi viderentur. Aulæ Præfectum ſuæ regina habebat, *Oſtentationem*, enormi ſtatura, barba prolixa, vultu gravi, ſedato inceſſu, placido affatu: qui ubi ſumtuum factorum rationes ab hoſpite accepit, ad reginam defert. Illa nihil aliud reſpondens, jubet ut è depoſitis apud hoſpitem numis ei ſatisfaciat. Admirabundus ille, ut talis depoſiti minime ſibi con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

conſcius, principiò joco dictum putans, ſubriſit: mox ubi ſeriò rem agi animadvertit, obſtupeſcens, indigniſſimis modis injuriam ſibi fieri, exclamavit. Mendacium regina teſtes advocat, Quæſtorem ſuum *Ocium*, *Adulationem* Gynæceo Præfectam, *Fraudem* pediſequam. Quinetiam ut miſerum hoſpitem domeſticis convinceret teſtimoniis, hoſpitis filium, *Intereſſe* nomine, illiuſque uxorem *Avaritiam* teſtes advocat: quorum omnium teſtimonia contra *Ingenium* hoſpitem conſentiebant. His anguſtiis incluſum ſe ac tam turpiter impoſitum ſibi videns *Ingenium*, ſublatis ad cœlum manibus, atrociſſimam ſibi fieri injuriam, quæritur, hejulat, lamentatur, ipſoſque deos inclamat, ut *Veritatem* in lucem producant, ſibique miſero ſubveniant, ut qui non debito tantum fraudetur, ſed à quo etiam numquam creditum poſcatur. Ad tam lamentabilem querelam adeſt Veritas, ſolatur hoſpitem, ita tamen ut diceret, hoc unum ſe contra tam potentem reginam poſſe, ut palam conſpiciendam ſe præbeat. Quod quum feciſſet, indignata vehementer regina *Mendacium*, jubet ut *Ingenio* hoſpiti, ſed de ipſius *Veritatis* bonis ſatisfiat: auxilium ſuum graviter luentis.

Sc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Murmuratio. Secundi diei itinere in aliam civitatem perventum, in qua imperium obtinebat, *Murmuratio*, *Mendacio* reginæ valde amica, ut & Magnates ejus civitatis omnes, *Superbia*, *Proditio*, *Dolus*, *Gula*, *Ingratido*, *Malitia*, *Acedia*, *Pertinacia*, *Vindictæ cupiditas*, *Æmulatio*, *Injuria*, *Invidia*, *Stultitia*, *vana Gloria*. Ab his omnibus magno cum applauſu excepta regina, eatenus eorum liberalitate uti ſe velle oſtendit, ut de ſuo ſumtus ſibi facere liceret. Omnis ergo generis annona à Præfecto alimoniæ *Sollicitudine*, & Quæſtore *Inconſtantia* conquiritur, & tam cibaria quam varia vina affatim comportantur. Sub reginæ diſceſſum quum quiſque eorum quæ contulerat precium poſceret, reſpondet Quæſtor omnia jam ex aſſe ſoluta, nec quicquam cuiquam deberi. Orto inde tumultu, prodit ipſa Regina, & quid rei eſſet percunctata, itidem jam omnibus ſatisfactum, idque præſente, audiente & vidente *Veritate* factum reſpondit; nec eam id negaturam. Accedunt *Veritatem* perculſi venditores, & ut verum fateretur urgent. ſed illa profundum ſomnum ſimulans, quamvis maximo omnium clamore & ſtrepitu excitari non potuit: excitata tandem, mutam ſe ſimulat, præteritorum memor: ut quæ in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

intelligeret, ſi verum dixiſſet, fore ut quod alii rapuerant, aut ſuffurati fuerant, de ſuo ſolvere cogeretur. Ex illo tempore ad hodiernum uſque diem muta manſit Veritas. Quis enim verum lubenter dicat, unde in ſe damnum redundaturum ſit?

Mendacium non inepte meo judicio, chordæ inſtrumenti Muſici, Veritatem, vertebræ ejuſdem comparare quis poſſit. Etenim chorda ſuavem ſonum vertebra ſtridorem auribus ingratum edit, & difficulter admodum circumagitur, tandem vero magis magiſque firma & fixa hæret, chorda è contra nimis alte tenſa rumpitur: ita Veritas pleriſque ingrata eſt & inviſa, ſed ſemper ſibi conſtat, & immota manet; Mendacium vero langueſcit indies, & tandem Veritati cedere cogitur. O quam multi in Principum aulis, mendaciis fraudulenter excogitatis ſupplantantur, & in extremas conjiciuntur anguſtias, immò ipſa vitâ privantur! At tandem videas illos ipſos qui Veritati aliquamdiu inſultârunt, non rubore tantum ſuffundi, ſed etiam in malam rem ac crucem agi. *Veritas cui ſimilis.*

Hæc ſi juvenis ego tum ſciviſſem, aut mecum conſiderâſſem, non Mendacio ſed Veritati me applicuiſſem. Sed

tota

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tota mea vita nihil aliud erat quam Fraus, Mendacium, falſimonia: quæ nullo nixæ fundamento, tandem corruerunt, ac ruina ſua pæne me oppreſſerunt. Succreſcebat indies apud me vitiorum ſeges: & abyſſus abyſſum invocabat. Jam ego Cardinalis ſum miniſter. utinam ne ad deterius res prolabatur. Sed fieri non poteſt, quin omne violentum ad ſuum centrum deſcendat. Ut arbor ſine radicibus nullum fert fructum, ſed areſcit: ita virtus, vix nomine mihi nota, quum nullos in animo meo adhuc radices egiſſet, vix ulla ſua veſtigia oſtendebat. Credis forte meliore fortuna me gaviſum? Ego vero nihil moleſtius ferebam, quam è libertate me quaſi in ſervitutem abductum. Ajunt vulgò, non divitias tantum ſed honores quoque quanto magis affluant, tanto magis concupiſci, & ipſa ſui copia famem augere: ſed alius erat animi mei ſenſus, cui nihil gravius erat, quam à priſtina abduci vita. Numquid abſurde facturus ſit, qui piſcium loco pavonibus ſtagna replere; aquilam ad aratrum, taurum ad volatum aſſuefacere, aut equum arena, accipitrem avena velit paſcerè? non minus profecto delirabant, qui ex homine circumforaneo, omnibus vitiis aſſueto, & virtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

virtutum experte, puerum nobilem & frugalem facere volebant. Jam enim conſuetudo in naturam tranſierat: jam omnes boni & generoſi animi ſcintillæ vitiorum colluvie oppreſſæ, adeoq; fere exſtinctæ erant. Centrū meum, ad quod me natura & indoles ferebat, taberna erat & vita ocioſa: quam ego nec cum Cræſi divitiis, nec cum Imperatorum & Regum honoribus commutaſſem.

Initio quidem, in Cardinalis aſſumtus miniſterium, ita me gerebam ut bonam omnes de me conciperent opinionem, & non obſcuro loco natum crederent. Inprimis in ipſius heri gratiam inſinuare me ſtudebam, adulando omniaque tam dicta quam facta reliquæ familiæ deferendo, & calumniando: qua arte mirifice me in heri mei gratiam inſinuavi, ita ut ſoli mihi initio omnia crederet, & neminem magis fidum ſuis rebus exiſtimaret. quin etiam quæ per totam urbem fiebant quæque non fiebant ad herum deferebam, unum exaggerans, alterum extenuans, prout hero placere intellexiſſem. Sed quia mea omnia dicta factaque ex meris conſtabant fraudibus & mendaciis, his ſeſe prodentibus, res meæ omnes peſſum iverunt. Nec linguam nec manus continere poteram. Nec ipſius herimet cime-

liis

liis parcebam. Sed nec contubernalium meorum bona aſpernabar: quos velut è veterno excitavi, dum aſſidua mea in veſtibus alioque eorum peculio in mea ſcrinia congerendo diligentia eos multo fecit cuſtodiendis ſuis attentiores. Omnes meæ cogitationes, omnes labores, in hoc conſumebantur, ut numos ſemper in promtu haberem, non quidem alium in finem quam ad ludendum. Etſi enim deliciarum eram appetentiſſimus, domi tamen reperiebam, unde cupiditatem meam explerem, dum heri mei capſulas, quibus bellaria aſſervabantur, quotidie rimor. Et in eo favebat mihi quidem fortuna, quod inauratam heri clavim nactus, forma ejus ceræ impreſſa, alteram mihi faciundam curavi. Ea vero ſic uſus ſum, ut clandeſtinum furem in domo eſſe promuſcondus inprimis, deinde ipſe quoque herus ſuſpicaretur. Cervi ego naturam obtinebam, quem ajunt ipſo ſpiritu viperas è cavernis extrahere: ſic ego ipſo meo anhelitu dulciſſima quæque palato meo arridentia ex penitiſſimis quoque riſcis ad me tamquam Jupiter aliquis Elicius evocabam. Id quum, ut dixi, hero ſuboluiſſet, acriter inquiri juſſit: ſed apud nullum minus quam apud me fraus deprehenſa.

Liguritorum.

Tan-

Tandem vero dum quodam die herus convivas aliquot laute excepiſſet, ego ſimiliter opipare me invitare, & in paſcuo meo ſolito cibare decreveram. Jam arcam in qua cupediæ illæ erant, reſeraveram: jam optima quæque & ſapidiſſima liguriebam: quum ecce herum meum neſcio qua de cauſſa cubiculum ingredientem. qui ut ciſtam apertam, ac me adſtantem ſtrenueque ligurientem vidit, propius accedens, quid facerem rogat. At mihi metu expalleſcenti animus ſimul & vox refugerunt. Ille deprehenſa fraude caput quaſſans. Oeconomo imperavit, ut duodecim ictus natibus meis infligeret: quos bonus hic vir duplicare non dubitavit. Siniſtro hoc territus eventu, in commeatum proficiſci aliquamdiu intermiſi; interim vero creſcebat apud me indies ab Oeconomo, ut interpretabar, factam mihi injuriam vindicandi cupiditas. Ad quam rem non multo poſt ſeſe obtulit occaſio.

Æſtas erat, & ut fieri eo anni tempore Romæ ſolet, culicibus infeſta omnia: quibus miſerum in modum vexari ſe querenti Oeconomo dixi, Notum mihi eſſe tam aculeatis abigendis atque adeo interficiendis inſectis remedium, in Hiſpania valde uſitatum. *Injuria fraude vindicata.*

Blan-

Blandiri ille mihi, obſecrare ut commonſtrem, gratum ſe fore ajens. Neſcio quid mercedis ſtipulatus, in hortum eo, & herbarum mihi notarum collectum ibi faſciculum, aceto totum perfundo ac quaſi macero, eumque ad caput lecti, in quo ille dormiebat, appono, fore dicens, ut univerſum moleſtiſſimorum animalculorum examen eò convolet, & quamprimum aliquid deguſtaverint, enecetur. Fidem ille mihi habens, cubitum concedit: & quia largiuſcule aliquanto tum ſe invitaverat, primo ſomno, ut fit, nihil ſentit: quum vero evigilaſſet, totam faciem acutiſſimis morſibus tuberoſam, adeoque naſum ambeſum ſibi deprehendit: quin tanta erat culicum agminatim ſtridentium & circumvolitantium ſævities, ut miſer & tectum & cubiculum mutare cogeretur. Quum diluxiſſet, ira inſaniens, dentibus diſcerpturus me videbatur: ego prævertendum ratus, herum Cardinalem adeo, injuriam non ita pridem mihi factam, nunc joculari ſtratagemate vindicatam expono. ille narratione mea non ſine riſu accepta, aſtutiam meam admiratus. Oeconomo mandavit, ut ne mihi eo nomine moleſtus eſſet, ſed quidquid hujus erat ſuæ auſteritati, herilis

rilis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

rilis imperii limites tranſgreſſæ imputaret.

Ut mendaci etiam verum dicenti non creditur ; ita mihi in furto & fraude deprehenſo ab hero deinceps nulla habebatur fides : eoque omnem occaſionem, quæ fures facit, tollendam mihi arbitratus, à Camera ſua ſegregatum Cubiculario inſervire me juſſit, homini quidem bono & faceto, importuniori tamen aliquanto & ſuſpicaci. Erat inter novum hunc meum patronum & heri Secretarium aliqua æmulatiuncula, ita ut alter alterum ludificari ſtuderet, non invito Cardinali, quod omnia iſta abſque damno & præjudicio cujuſquam fierent. Veſpere quodam Cubicularius foris cenatus, & languidiore corpore domum reverſus, quum conſueta munia non obiiſſet, apud herum, me allegato, ſeſe excuſârat: quod intelligens Secretarius, ſequenti mane forte fortuna mihi obvius, rogat quomodo patronus meus ſeſe haberet. Reſpondeo, languere adhuc, ſed ſperare me brevi melius fore. Ille neſcio quid inopinati cauſſans negocii, me cum alio è familia in urbem mittit: interim puerum alium muliebri habitu ornatum in cubiculum patroni mei altum dormientis introducit, & poſt le-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ctum collocat: tum Cardinalem acceſſit, & rogatus de Cubicularii valetudine, Afflictam illam eſſe, idque ſe è puero ipſius audiviſſe, reſpondit. Quod ubi benigniſſimus herus accepit, ſtatim ipſe ad decumbentem properat: cum quo dum loquitur, perſonata illa mulier prorumpens exclamat: Ah infelicem me! quam turpiter ſum prodita! Tu vale, mi domine. Mihi enim domum eundum ne maritus aliquid ſubodoretur. Hæc dicens, per mediam qui cum Cardinali venerant miniſtrorum turbam foras magno cum omnium ſtupore erumpit. Ipſe Cubicularius, quem Joſepho caſtiorem Cardinalis putabat, è lecto exſiliens, altiſſima voce exclamat, dæmonem adeſſe dictitans, & per cubiculum circumcurſitandi nullum finem faciebat, attonitis ceteris omnibus, ſolis Secretario & conſciis in riſum effuſis: ex quo herus quid rei eſſet ſciſcitatus, cum riſu & ipſe abiit: Cubicularius vero tantam deinde mutationem ſenſit, ut ſtatim convaluerit.

Luſus aulici.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT XX.

Urbis Romæ deſcriptio.

CEterum quum Romæ ita vixerim, ut altera mihi fuerit patria; ingratus ſim ſi optimæ nutrici aliquod gratitudinis ſignum non erigam: tanto magis quod totam eam mihi perluſtrare non licuit tantum, ſed etiam neceſſe fuit, dum fere ſingulis hebdomadis ſacra loca ac templa cum reliqua Cardinalis heri mei familia viſitavi: quamquam, ut verum fatear, ſæpe animo non tam devoto, quam vanarum rerum curioſo.

Situs urbis Romæ. Urbs Roma, quæ caput Orbis merito audit, partim ſita eſt in Hetruria, partim in Latio. Suburbium & Tranſtiberina regio in Hetruria ſitæ ſunt, pars reliqua in Latio; uti poſtea è Scriptoribus nonnullis didici.

Romæ mœnia turribus ornata & munita ſunt CXXXVI. quarum multæ ſunt collapſæ, multæ ita vetuſtate exeſæ ut indies ruinam minentur.

Portas etiamnum habet X. Pontes VIII. Dicitur triceſimo quoque anno Roma aut inundationem, aut aliud grande damnum ſentire.

Roma vetus & nova. Quæ hac in urbe viſu digna ſunt, ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

duo præcipue capita referri poſſun
Primum continet ſitum, ruinas & ru
dera templorum, monumentorum &
ædificorum *Romæ veteris*. Alterum com
plectitur templa & Reliquias Sancto
rum, dona & munera Indulgentia
rum, devote ſacra loca viſitantibus pro
poſita: item Fabricas & Palatia *Rom*
novæ. Ego ea tantum attingam, quæ
me ipſo aut viſa aut notata, atque a
aliis comperta ſunt, prout quodque i
mentem venerit.

Mons & Porta Vaticana. Ab ea parte qua per Hetruriam Ro
mam itur, occurrit primo *Porta Vat
cana*, quæ caſtello S. Angeli eſt conte
mina: juxta quam Prata Quinctia, Tib
ri, Vaticanis collibus & vineis clauſ
Eo ſe frequentiſſime conferre ſolit
eſt Romana juventus, deambulation
oblectationisque gratia. Voluptati eni
præ ceteris hic locus tributus eſt. Qu
autem ingreſſus in urbem patet, *Por
Ælia*, quam Caſtelli jam vocant, exto
lit ſe ingens illa moles Hadriani Imper
toris, quam extra Vaticanam exſtrux
rat, ut in ea ſepeliretur, & in eadem A
toniorum cineres reconderentur. H
Caſtellū S. Angeli. die Caſtellum S. Angeli dicitur, quo
Angelus excerto gladio ibi loci viſ
ſit urbem defendere, ut ingens ſtat
Angeli marmorea in faſtigio mol

r

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

repoſita teſtatur. Ab hac arce deambulacra ſecreta fornicato opere protenduntur uſque ad Pontificum palatium quod in Vaticano ſtructum eſt, vocantque *Curritorium*, per quod Pontifices inde in arcem ſe poſſunt recipere. Caſtello vicinus eſt Pons Ælius, per quem ex urbe in Burgum via protenditur ad Palatium ſummorum Pontificum. Inde ſub Ælio, medio Tiberi conſpiciuntur ruinæ pontis Triumphalis, per quem Imperatores triumphantes olim pompas in Capitolium ducebant. Sed nos jam ſeptem urbis montes luſtrabimus.

Ex his præcipuus eſt, quem dixi, Vaticanus, in quo *Capitolium*: olim Tarpejus, & Tarpeja rupes dictus, itemque Saturnius. Dividitur in arcem & Capitolium. Hodie nihil in Capitolio præter Monaſterium, *Ara cæli* dictum, quod Fratrum Minorum Zoccolantium: & Palatium Senatorum & Conſervatorum. Eo loco olim ædem fuiſſe Jovis Feretrii, poſtea cum multis aliis antiquitatum notitiis è doctorum libris didici. In area Capitolii ſub prædicto Cœnobio Fons eſt, ſupra quem caput marmoreum muro inſertum eſt, cujus magnitudo oſtendit fuiſſe quondam alicujus Coloſſi. & juxta fontem inter alia fragmenta reperitur pes & pars brachii è *Capitolium.*

marmore, itidem inſignis magnitudinis: quæ idem habent indicium. Sub hoc capite in fonte ipſo recumbit ingens ſtatua marmorea, quam *Marforium* vocant. à doctis *Piſtorius deus* ſeu *Panarius* Jupiter eſſe creditur, quod tumores inſtar panum circumquaque promineant, alii exiſtimant eſſe ſimulacrum *Rheni* Germaniæ fluvii. Huic affigi quoque ſolent ſcripta famoſa, reſponſoria tamen ſeu antiphona illis quæ ad *Paſquinum*, ſeu Paſquillum publicantur. Hic Paſquinus ſtatua eſt cujuſdam gladiatoris, brachiis & facie mutila, ante ædes cujuſdam Cardinalis: ubi etiam edicta monitoria & id genus ſcriptorum affigi ſolent. Pro ædibus Conſervatorum alius fons ex aqua Felici, ſimulacro Romæ ornatus. juxta eum fontem duo pari formâ marmorea ſeminuda ſimulacra fluviorum viſuntur, quæ *Nili* ac *Tigridis* numina eſſe plerique autumant, ipſis argumentis perſuaſi, quod unum Sphynge, quod peculiare eſt Ægypto animal, alterum Tigride, Armeniæ frequente fera, innitatur. De ipſo Pontificum Palatio, ut & de Bibliotheca, nec non Inſcriptionibus, nihil dicam: quòd tum nec per ætatem, nec per eruditionem (quamvis ad eam conſequendam, heri liberalitate quotidie exercemur)

Paſquillus & Marforius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

remur) earum rerum vel capax valde vel cupidus eſſem: quamquam errorem iſtum poſtea, quantum licuit, emendavi, dum quæ puer videram, viro mihi poſteà librorum ſuggeſtione in mentem venerunt, uti ex hac ipſa videbis Deſcriptione. Ad radices Capitolii ſacellum eſt ſubterraneum, eo ipſo in loco ubi Carcer Tullianus fuit. S. Petrum Apoſtolum ibi captivum detentum ajunt, unde *ædicula* illa appellatur *S. Petri in Tulliano.* In foro Romano, quod inde proxime abeſt ad clivum Capitolinum *Arcus Septimii* conſpicitur, integer adhuc, in quo multæ picturæ. Non procul inde ſeptem columnæ adhuc pulcerrimæ conſpiciuntur. In hortis proximis lacus Curtii fuiſſe dicitur. Forte. E regione vero Arcus Septimiani ſequitur ædes B. Martino nunc ſacrata; ubi olim ſecretarium Populi Romani fuit. Deinde ſequitur recta templum D. Hadriani, in quod ex Capitolio ærarium populi Romani translatum ferunt, cujus portæ æneæ adhuc integræ. Inde itur ordine ad templum M. Aurelii & Fauſtinæ; mox ad aliud BB. Coſmo & Damiano, nunc olim Romulo & Remo, ſive potius Caſtori & Polluci dicatum, antiquiſſimæ ſtructuræ. Mox ad templum Pacis, cujus bona pars adhuc exſtat prope

Arcus Septimii.

ædem S. Mariæ Novæ: & ibi columna tantæ amplitudinis ut vix tribus comprehendi poſſit ulnis.

Mons Palatinus. E regione ad alteram fori Romani partem, vineæ ſive horti Farneſiorum bonam *Montis Palatini* partem occupant: reliquum ejus fere ruderibus & ruinis veterum ædificiorum repletum eſt. Hinc recta pervenitur ad *Amphitheatrum* admirandæ molis, vulgo *il Coliſeo* dictum. Hinc octo quaſi paſſibus conſpiciuntur adhuc veſtiga *Metæ ſudantis*. Haud longè hinc ad angulum montis Palatini Arcus marmoreus triumphalis Imp. Conſtantini tropæis & victoriis alatis triumphalibuſque ornamentis conſpicuus. In arco boario arcus ſupereſt ſive porta marmorea, ubi ritus victimarii depicti viſuntur. Secundum hunc Arcum Schola Græca, nunc ædes D. Gregorii, & ibi *La bocca della Verita*, id eſt, *Os veritatis* (lapis rotundus, cui faciei inciſa eſt figura) itemque Jani quadrifrontis templum, quatuor habens portas, & in cujuſque frontiſpicio duodenas feneſtellas, quatuor anni tempora cum XII. menſibus deſignantes. Paullo poſt templa Solis & Lunæ.

Mons Aventinus. E regione *Mons Aventinus*, juxta quē in ipſo Teberi veſtigia adhuc aliqua ſunt Pontis ſublicii, in quo Horatius Co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Coclesdiu Thuſcorum impetum ſuſtinuit. Hinc itur ad Montem Teſtaceum, nec non ad ſepulcrum C. Ceſtii Septemviri Epulonum, pyramidali forma, quod juxta D. Pauli portam ipſa urbis mœnia ita dividit ut media ejus pars extra urbem ſit, pars altera in urbe. Circumeundo montem Aventinum, ab altera parte pervenitur ad Circum maximum.

Mons Quirinalis hodie vocatur *Monte Cavallo*. In eo olim equi fuiſſe perhibentur inaurati XXXIV. & eburnei XCIV. nunc non niſi bini Bucephali juxta ſingulas Alexandri Magni ſtatuas marmoreas integri ſuperſunt; alter Praxitelis, alter Phidiæ, nobiliſſimorum ſculptorum opus. In hoc monte Palatium regium, in quo Papa æſtivo tempore commoratur. habet hortum ſpacioſum pariter & amœnum, fontibus compluribus irriguum: quos inter præcipuus eſt, qui in meditullio quaſi ipſius horti rupem repræſentat cavernoſam, undique aquis quaſi pluviis ſcatentem. *Quirinalis.*

Non longe hinc procedendo verſus *Exquilias*, in ara Pia, ad quatuor domus angulares quatuor fontes viſuntur, & inde Caſtellum Aquæductus Felicis, à Sixto V. ita dicti, per quem aquæ magno impetu ruunt. Juxta eſt planities *Exquilinus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſpacioſa, quæ olim ad thermas Diocletianas pertinuit, quarum ingentem molem ac magnitudinem ruinæ, & inde exſtructa nova ædificia arguunt. Novæ quoque in Exquiliis Tabernæ longo ordine à Sixto V. PP. exſtructæ conſpiciuntur, artificibus Romanis deſtinatæ, ut uno in loco conjunctim artem ſuam exercerent: ſed quia res non ſucceſſit, clauſæ jam & deſertæ relinquuntur. Reliqua fere pars Exquilini Montis hortis ejuſdem Sixti juſſu adornatis occupatur.

Montes reliqui. Præter ſeptem præcipuos colles ſive montes Urbis Romæ ſunt & alii, qui illis tamen partim cedunt, ut *Mons Teſtaceus*, de quo ante: nec non Mons Pincius, in quo ædes SS. Trinitati dicata, exſtructa à Regibus Galliæ: Palatium præterea Ferdinandi Magni Ducis Hetruriæ, olim Cardinalis magnificum plane, & hortus ad invidiam pulcer, inibique infinita & viſu digniſſima Antiquitatis monumenta.

Janiculus. Trans Tiberim Mons Janiculus eſt, qui hodie *Montorio*, quaſi Mons aureus. In eo templum *S. Petri in Montorio*, & domus S. Spiritus.

Templũ S. Petri. In Monte Vaticano viſitur templum S. Petri celeberrimum & ſplendidiſſimum, cupula admirandæ & ſtupendæ fa-

fabricæ inſignitum, & omnium ſumtuoſiſſimum. Interius plures ordines habet columnarum, quæ magnæ & politiſſimæ. Sub altari magno medietas SS. Apoſtolorum *Petri & Pauli*. Parte ea ad quam gradibus aſcenditur, columna eſt cancellis circumſepta ferreis, tali titulo: *Hæc eſt illa columna in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus apodiatus; dum populo prædicabat, & Deo patri in templo preces effundebat, adhærendo ſtabat, quæ unà cum aliis undecunque hic circumſtantibus de Salomonis templo in triumphum hujus Baſilicæ hîc locata fuit.* Dæmones expellit, & ab immundis ſpiritibus liberos reddit, & quotidie alia miracula facit. Aſſervatur etiam in hoc templo caput S. *Andreæ Apoſtoli*, & cuſpis qua Salvatoris noſtrî latus perforatum fuit in cruce, quæ ab Imperatore Turcico muneris loco ad Innocentium VIII. Pontificem miſſa dicitur. Pulcerrima ſunt hic ſacella Gregorii XIII. & Sixti V. ornato variis & elegantiſſimis picturis, quæ præcipuas hiſtorias & res geſtas Pontificum & Impp. & adverſus eos exprimunt.

Valvæ ſive portæ hujus templi æneæ, ingentes, & artificio ſingulari conſpicuæ ſunt, factæ tempore Eugenii IV. In harum una à dextris tres muſcæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſunt difficiles inventu, & documentum eſſe ſolent eorum qui Romæ ſe fuiſſe gloriantur, an verum dicant. Eſt etiam porta ſancta, quæ non niſi tempore Jubilæi aperitur, eoque finito rurſus clauditur muroque obducitur. Baſilicæ D. Petri contiguum eſt Palatium Pontificale, magnificentia, ſplendore & magnitudine omnibus aliis antecellens. Tum alia Conclavia, variiſque uſibus ſervientia, mirabili ordine ac ſplendore.

Pontes Romæ. Cæterùm ſupra Tiberim Romæ pontes quondam fuerunt octo, de quibus extremis, ponte *Milvio*, hodie *Ponte mola*, qui extra portam populi, nec non *ſublicio*, ſuperius paucis attigimus. Hinc *Ælius* eſt, Infra hunc *pons Vaticanus* fuit, per quem ibatur in Vaticanum: dictus etiam triumphalis, cujus columnæ aliquot ex lapide cocto collapſo videntur etiam hodie non procul à ponte Ælio. Dein ſequitur *pons Ianiculenſis* & Aurelius nuncupatus, hodie *ponte Siſto*, à Sixto IV. longus eſt pedes 215. Non procul hinc in medio Tiberi inſula eſt, quæ conjungitur urbi duobus pontibus. Ille qui ſpectat verſus Latium, olim dictus fuit *Pons Fabritius*, hodie *Ponte di quatre Capi*, à Columnis puſillis quæ juxta eum ſunt, quarum quæque quatuor Capita juncta ſuſtinet: alter

alter olim *Exquilinus & Ceſtius*, hodie *Ponte di S. Bartholomæo* dicitur, à templo huic dicato: ante cujus altare magnum puteus eſt limpidæ aquæ, ex quo eam quotidie hauriunt monachi Cœnobii adjacentis.

Ipſa vero inſula habet ſimilitudinem Navis, dictaque fuit olim *Inſula Lycaonia*, conſecrata Æſculapio, cujus imago eò fuit apportata ex Epidauro forma ſerpentis, unde etiam hodie in horto S. Bartholomæi conſpicitur navis facta ex lapide, ut perhibent, Taſio, in cujus altera parte ſerpens inſculptus eſt. Inde ad teli jactum ſequitur *Pons Senatorius*, qui & *Palatinus* nominatus fuit, hodie *Ponte di S. Maria Egittiaca*, à vicina æde ſic denominata: hodie vero ſex tantummodo ſunt, ut ex prædictis patet. In cæteris autem digniſſima quoque ſunt viſu & notatione quæ ſequuntur.

Caſtellum aquarum ſive potius Ciſterna Titi Imp. vulgo *le ſette ſale*, mirabilis fabricæ. Domus & *Turris Neronis* in quo juſſu ſuo incenſam urbem ſeptem dierum ſpatio cum voluptate ſpectavit. *Turris militiæ*, arcus Nervæ Imp. hodie corrupè *arca Noë* vocitatus, ejuſque palatii reliquiæ, quibus Eccleſia proxima S. Baſilii ſuperſtructa eſt. *Turres.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Columnæ Rom.

Columna ingens *Trajani Imper.* ſpectabili craſſitie & cochlydis ſtructura in foro Trajani, (Sic olim iſte locus indigitabatur, eratque juxta eum Palatium hujus Imperatoris) in ea circumcirca rerum ab ipſo geſtarum, inprimis Dacici belli ſimulacra mira arte cælata viſuntur. Intus vero gradibus 185. in ejus faſtigium (ubi Trajani oſſa, aurea pila condita olim fuerunt, nunc Sancti Petri ſtatua inaurata ibidem à Sixto Quinto erecta ſtat) aſcenditur: habet autem feneſtellas 45. quæ lucem interius præbent. Ipſa columna altitudinis cenſetur pedum 128. vel ut aliis placet 140.

Columna Antonini Pii. quam ad illius inſtar Antoninus ipſe ſibi erexit, cochlidis identidem ſtructura, altitudinis pedum 176. cum interiore Cochlea, & gradibus 106. ac feneſtellis 56. Incendio & vetuſtate nonnihil deformatam, Sixtus v. reparari juſſit, inque ejus vertice S. Pauli ſtatuam ſimiliter inauratam ſtatuit, circum quaque res ab Anton. geſtæ inciſæ ſpectantur.

Baſilica ſeu *Palatium Antonini*, quæ in vicinia ſita fuit, cui Orphanotrophium quoddam ita nunc inædificatum eſt, nihil ut inde appareat, præter columnas marmoreas ingentes numero undecim.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Arcus Gallieni Imper. Triumphalis apud ædem S. Viti, ex Tiburtino lapide extructus, ſed nullis inſignibus ornamentis, ab eoque catena adhuc dependet; cui uſque in annos proximos clavis ſemper fuit appenſa civitatis Tiburtinæ.

Thermæ Neronis juxta templum D. Euſtachii. *Thermæ.*

Thermæ Antonini Caracallæ ad radices montis Aventini, juxta templum S. Balbinæ; earumque ingentes ruinæ cum altis parietibus columniſque ſemiſepultis, miræ & magnitudinis & elegantiæ. ejus teſtudines omnes ex pumice fere fuerunt factæ: & veriſimile eſt palatium ipſius Caracallæ juxta fuiſſe.

Panthejon, templum olim à M. Agrippa omnibus Diis dicatum, inter vetuſta templa nobiliſſimum eſt, forma rotunda ſolidique marmoris, unde lumen tantum per rotundum, quod in vertice ejus, ſive foramen, ſive impluvium intrat. Ante ingreſſum porticus eſt inſignibus fulta columnis. Vulgo *alla rotunda* vocatur S. Mariæ, omnibuſque ſanctis eſt conſecratum, & adhuc habet hunc titulum: *Templa.*

M. AGRIPPA L. F. TERTIUM CONSUL FECIT.

Ædes circulari forma, quæ olim, Jano, hodie

hodie S. *Stephano* ſacra eſt, in qua omnium Sanctorum martyria elegantiſſime depicta. Taberna meritoria vetera Romanorum (ubi emeriti milites & ob vulnera aliaque belli accepta detrimenta, bello inutiles ex publico dum vita manebat, ſuſtentabantur) fuit olim, ubi nunc exædificatum eſt templum S. Mariæ Tranſtiberinæ: ſub cujus altari majore monſtratur fons, ex quo tempore nativitatis Chriſti Oleum effluxit continuo 24. horarum ſpatio. In templi quadam tabula, quo in loco ipſam tabernam fuiſſe credibile eſt, hoc Carmen legitur:

Roma vetus veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus in muris, nec malus ullus erat.
Defunctis Patribus ſucceſſit prava juventus,
Quorum conſilio præcipitata ruis.

Septem urbis Romæ Eccleſiæ.

Ædes *de Sancta Croce in Hieruſalem* ad ipſa mœnia urbis intra portam majorem & portam Sancti Joannis: in qua ſacellum ſubterraneum belliſſimum Sanctæ Helenæ matri Imper. Conſtantini dicatum, quæ illud ex terra ſancta primum extruxit, inque ipſum mulieres ſub excommunicationis pœna ingredi prohibentur: tantum die Sanctæ

He-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Helenæ ipſis aditus patet. Secundum hoc templum in adjacente monaſterio videtur adhuc ex parte integrum *Statilii Tauri* vetus *Amphitheatrum* lateritium: & ab altera parte, ruinæ lateritii templi Veneris.

Templum *di S. Maria Maggiore*, ubi præſepe, in quo Chriſtus infans cubuit, ejuſque faſciæ, & brachia SS. Matthæi & Lucæ. Sacellum habet magnificentiſſimum à Papa Sixto v. extructum. & mero marmore obductum, in quo monumentum Pio v. Pontif. Max. fieri curavit, gratitudinis ergo, quod ab illo in Cardinalium Collegium adſcitus fuerat. E regione ſibi ipſi quoque monumentum fieri curavit, ibiq; poſt ſepultus eſt. Ante hoc quoque templum Obeliſcus egregius, ſed tamen ex quatuor illis qui Romæ ſunt minimus: ab altera parte hujus templi, è regione ædis S. Antonii nuperrime columna marmorea, parva quidem, ſed elegans erecta eſt, in memoriam abſolutionis quam à Clemente VIII. haud ita pridem obtinuit Henricus IV. Galliarum & Naverræ Rex anno Chriſti 1593.

Pulcherrimus eſt Obeliſcus ante *Templum Lateranenſe*, totus literis hieroglyphicis inſcriptus, & hunc quoque Sixtus v. erexit, & ſanctæ Cruci dicavit. Templum *Obeliſcus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

plum ipſum S. Joannis in Laterano præcipuum & primum eſt inter ſeptem principalia, nedum inter alia urbis Romæ templa. Apud hoc *Baptiſterium Conſtantini Imp.* Locus ubi ille ſacro lavamine ablutus fuit, unde ſimiliter alii ad fidem Chriſtianam converſi inibi baptizantur. *Sancta ſanctorum*, Capella in quam mulieribus pedem figere non licet. *Scala ſancta*, cum gradibus marmoreis 18. quos flexis genibus aſcendere, & deſcendere, & ſingulis gradibus Ave Maria & Pater noſter ter pronunciare debent ii, qui indulgentias ibi conſequi cupiunt. Dicunt hanc ſcalam fuiſſe in Palatio Pilati, in qua Chriſtus virgis cæſus fertur, ibique ſanguinem effudiſſe, cujus guttæ in medio fere ſcalæ cernuntur. Sunt & alia permulta ibi Hieroſolymis allata, lapis ſuper quem Judæi jecerant ſortem, tum, qui ſuper quatuor columnas poſitus in altitudinem, repræſentat longitudinem ſtaturæ Chriſti, ibidem.

Quartus obeliſcus itidem à Sixio v. erectus juxta portam populi, ſic à vicina æde *S. Maria di popolo*, denominatam. *Theatrum Marcelli* inter Capitolium & Tiberim, cujus veſtigia ab una parte adhuc videri poſſunt: palatia vero Sabellorum ſuperſtructa cæteram

par-

partem abſumpſerunt, & capiebat olim dum integrum erat 8000. homines. *Theatrum Pompeii* olim fuit, ubi nunc palatia Urſinorum *in campo del fiore.*

In Palatio Cardinalis Farneſii quamplurimæ ſunt ſtatuæ pulcræ. Inprimis *Herculis* è marmore, cujus Baſis ſuperiori parti hæc inſtructa ſunt: *Farneſii Palatium.*

γλύκων Αθηναῖος ἐποίει.

In poſteriore arca conſervantur ſimulacra egregia, unico ſaxo Apollonio & Tauriſco præſtantiſſimis artificibus olim inſculpta, quæ fabulam Zethi, Amphionis & Dirces ſcitiſſime repræſentant, eruta tempore Pauli tertii Pont. Max. ex ruderibus thermarum Antoniniarum: quamvis poſita ſint in loco occluſo, tamen à ſtatuario Card. facile ad introſpiciendam aditus impetratur.

Palatium Cardinalis Montalti, in quo & ſtatuæ nonnullæ antiquæ, ſed minus nobiles. In ſtabulo equus mihi monſtratus fuit, ἀνδρόγυνος ſeu ἑρμαφροδίτης.

Mauſoleum Auguſti ad ripam Tiberis è regione molis Adriani, prope templum S. Rochi aliqua ex parte integrum adhuc conſpicitur, in horto Palatio cujuſdam nobilis Romani contiguo, quod multi magna cum admiratione con-

tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

templatur, ex eo quod adhuc ſupereſt, inſaniam antiquæ illius ſubſtructionis facile intelligentes.

Extra urbem. Jam etiam extra urbem paullum progrediamur; & notatu digna luſtremus. Campus Martius planitiem eam totam complebat, quæ à Quirinali protendebatur uſque ad pontem Xiſtum & Tiberim. Non procul à templo S. Laurentii in Lucina, in cellis vinariis multarum ædium, videtur ingens obeliſcus, qui medio campo Martio fuerat erectus, literis & notis hieroglyphicis illuſtris: quem ex Hierapoli transferri Romam juſſit Auguſtus Cæſar, cum duobus aliis, quos ſtatuit in Circo maximo. Hunc longum centum & decem pedes ſcribit Plinius: atque in eo interpretationem philoſophiæ Ægyptiorum contineri.

In ea campi Martii parte, quæ vocatur hodie la piazza di Sciarta, Antoninus Pius erexit altiſſimam columnam cochlidem, altam pedes clxxv. feneſtellas habet LVI. quæ lucem præbent intrinſecus. Quidam aſſeruit eſſe confectam ex XXVIII. lapidibus. Pars illius exterior continet res geſtas Antonini ſculptura figurarum excellenti. ab hac vocatur ille locus in Colonna.

Undecim illæ columnæ altiſſimæ, quæ ad templum S. Stephani in Truglio con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

conſpiciuntur erectæ, ſunt reliquiæ porticus, quam Antoninus Pius ſtruxerat in ſuo foro, conjunctam cum ſuo palatio. Inter columnam cochlidem Antonini, & fontem aquæ virginis erant ſepta campi Martii. Erat autem is locus tabulato denſo ſeptus. in quem conveniebat populus ſuffragia laturus, quando magiſtratus erant eligendi. Collis ille qui aliquantulum eminentior tollitur in campo Martio, inter Antonini columnam & S. Laurentii in Lucina (quem hodie Monte Alcitorio nominant) fuit antiquis mons citatorum: in quem ex ſeptis ſe recipiebant ſingulæ tribus poſt lata ſuffragia. In eodem colle fuit Curia, quæ Villa publica dicebatur: in qua recipiebantur hoſtium legati, quibus non licebat urbem ingredi, vel in Græcoſtaſi diverſari.

Haud procul hinc eſt fons aquæ virginis, humili & depreſſo aquæductu per Campum Martium influens: hodie fonte di Trejo dicitur. Et hæc ſola ex omnibus aquis, (quas tantis ſumtibus & aquæductibus tam ſumtuoſis antiqui principes in urbem introduxerunt) remanſit ſuperſtes ad uſum civium. In hoc Campi Martii tractu ſunt ædes aliquot, ut, Pompilii Nari, Gacidiorum, Deſiderii Urſati, Antonii Gabrie-

brielis, in quibus multæ viſuntur antiquæ ſtatuæ. In primis verò palatium Carpenſis: in quo tot ſtatuæ, tot inſcriptiones videntur, ut mirari nemo ſatis poſſit ſtudium tanti viri in exquirendis iis, quæ ab antiquitate pervenerunt ad noſtra tempora, magna omnium doctorum utilitate & voluptate. In primis repoſitum eſt ibi in quodam cœnaculo Veneris nudæ corpus, cujus artificium ſuperat reliqua omnia, quæ Romæ ſunt. Id ſi eſſet planè integrum, nulla eſſet toto mundo ſtatua, quæ huic conferri poſſet: neque abs re creditur eſſe Veneris Cnidiæ toto orbe celebratæ. Prope hanc Venerem eſt juvenis non minoris artificii: in quo tanta eſt membrorum proportio, tam elegans & pulpoſa muſculorum convexitas, ut ſculptorum & omnium artificum ocucos cum ſumma admiratine fixos detineat. In alio Muſæo huic cænaculo contiguo ſtatuæ duæ ſunt, Satyri & pueri plorantis: quibus nihil elaboratius aut artificioſius; multaq́ue præterea omnis generis, quibus Roma nihil poſſidet magnificentius, nihil admirabilius.

In colle Pinciano, à Pincio ſenatore ita dicto, fuit ſepulcrum Domitiorum, in quo Nero ſepultus eſt. In elatio-

tiore collis parte videtur arcus ſive concameratio fornicata, quæ olim fuit pars templi Solis; Prope quam eſt templum S. Trinitatis, à Ludovico XI. rege Galliæ ſtructum. Non procul abhinc jacet obeliſcus ex lapide Thaſio factus cum hac inſcriptione: *Soli ſacrum.* Prope Collinam portam non procul à templo Suſannæ Saluſtius habuit hortos amœniſſimos & ſplendidas ædes: quarum ruinæ adhuc ſunt ſuperſtites in ea valle, qua itur ad portam Salariam. In media hortorum parte videtur obeliſcus non adeo magnus, literis ſignatus Ægyptiis hieroglyphicis, qui Lucæ ſacratus eſt. Locus adhuc hodie vulgo dicitur Soloſtrico. Campus ſceleratus ſive via ſcelerata (in qua Veſtales virgines, quæ ſtupro violatæ erant, vivæ defodiebantur) complebat id totum ſpatium, quod eſt à porta Collina, ſub ædibus & portis Saluſtianis, uſque ad portam Salariam.

Extra portam Quirinalem, ad ſiniſtram viæ Salariæ partem, ſunt ruinæ templi Veneris Erycinæ: cujus feſtum ſolennibus ceremoniis celebrabant matronæ pudicæ. Auguſto menſe, ad ſimulacrum Veneris Verticordiæ, quæ maritos uxoribus credebatur reddere placabiles & benevolos: ad hoc templum

fic-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

fiebant ludi agonales, unde porta nomen ſortita eſt.

Paullo remotius, ſuper Aniene pons eſt adhuc integer, quem longa inſcriptio docet à Narſete ſtructum fuiſſe. Ad hunc pontem Annibal imbrium inundatione vehementi vexatus, obſidione ſoluta, caſtra removit ab urbe & diſceſſit. Paulo inferius Tyberi miſcetur Anio: ibique Torquatus Gigantem Gallum ſuperavit, & ab ejus collo torquem aureum detraxit, à quo nomen poſtea cepit.

Cæterum (hoc obiter) prope Tybur inter Anienis arenas, leguntur amygdala, aniſum, feniculum, & alia plurima petrificata, quæ circumferuntur pixidibus in conviviis, ut matronæ & convivæ deludantur, exiſtimantes eſſe ex ſaccaro facta tragemata, quæ vocantur paſſim confette da Tivoli, & ſuperioribus annis corpus hominis interfecti & conjecti in Anienem, adhæſit radicibus arboris, quæ fluvii ripam ingrediebantur, factumque eſt longo temporis intervallo, ut corpus à putrefactione conſervatum, in lapidem ſit converſum.

Ad portam Salariam demonſtrantur reliquiæ templi antiqui, quod Honori ſacrum fuit: & domus illius ſive ſuburbani, in quo Nero Imp. adjuvante Spo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Sporo, cuſpide ſub papillam adacto ſe interemit, ne in manus & poteſtatem ſenatus veniret, qui illum poſcebat ad ſupplicium.

Sub hortis Carpenſibus plurimæ ſunt cameræ & fornices obſcuri, & longo ordine producti: hos nonnulli volunt eſſe officinas, in quibus conficiebatur & elaborabatur minium: alii malunt eum locum adſignare habitaculis meretricum, quæ eò ſe recipiebant tempore Floralium ludorum; qui celebrabantur in circo Floræ fornicibus his adjacente.

Sub Quirinali monte ſunt ædes Buffalorum, parvæ quidem, ſi conferantur cum majoribus illis palatiis Cardinalium & principum virorum, ſed quæ cæteris non cedunt omni ornamento antiquitatis. Hortulus eſt conſitus diverſis herbis rariſſimis; & arboribus, palmis, cedris, malis Punicis ac medicis, myrtis & aliis. Palmæ enim videntur Romæ multis in locis; ſed nullæ gerunt dactylos præterquam eæ, quæ ſunt in horto S. Mariæ del popolo, & S. Mariæ in Transtyberi. Huic hortulo fons eſt additus, ex tophis marinis efformatus affabre in ſpeciem rupis naturalis, tantæ pulcritudinis, tantorum ſumtuum, compoſitionis tam raræ, ut nihil

ſpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſpecioſius uſquam videri poſſit. Diſpoſita ſunt diverſis in locis conchylia pretioſa, quæ margaritarum referunt ſplendorem, & ingentes cochleæ Indicæ lucidiſſimæ, colore iridis & unionum. Totaque hæc rupes artificioſa venuſtiſſime tegitur lauris, cedris, tamariſcis, & altis arboribus, quæ præbent umbram fonti ſubjecto: ſub quibus ſimulacra ſunt tria Muſarum elegantiſſima: & Caracallæ Imperatoris, qui pallio marmoris incogniti tectus eſt. Diſpoſita ſunt undique ſigna, quæ ſuis è loculis extant, ut Demetrii, Maximini, Philippi, Claudii & aliorum. Ex rupe fontis ejiciuntur aquæ limpidiſſimæ, per tubos & canales æreos mirando artificio, Lithoſtratum ex marmoribus compactum eſt exquiſitiſſimis, opere teſſellato, ex chalcedonio, porphyro, alabaſtro, thaſio, pario, ophire. Marmaridum & Æthiopum lapidibus. Opus ſumma admiratione dignum: quodque, licet multo minus ſit, pulchritudine tamen & artificii inventione poteſt conferri cum fonte Julii P. M. qui ad portam videtur Flaminiam. In ſumma, quicquid in domo patritii hujus civis ſpectatur: dignum rege & opulentiſſimo puta principe.

Hæc de urbis compendio, chariſſima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ma mea nutrice memoriæ mandare volui. Cæterum quia æſtatem plerumque vel Tibure, vel iis aliis vicinis locis exegimus; non poſſum quin illorum quoque utpote amœniſſimorum deſcriptionem ex aliis adjungam.

Tuſculum plerumque ipſe Pontifex animi cauſſa commigrat vulgo *Fraſcada*, oppidum Sabinorum, à Telemacho Ulyſſis filio conditum, dictumque quaſi *Dyſcolon*, quod aditum habuerit difficilem: in dorſo enim Albani montis ſitum, Catonum natalibus, & villa Ciceronis celebre, & conjunctione cum Friderico Aenobarba Imper. nunc penè deſertum, & in humiliorem montis partem tranſlatum, loco amœniſſimo, ſalubri, & aquis abundante, verſus Orientem montibus circundatum, cæteris partibus planities & ſylva. Olim inſtaurata à Paulo Tertio Pontif. Uno inde milliario monaſterium S. Mariæ cryptæ ferratæ, quod inhabitant homines Calabri imitantes regulam D. Baſilii, & Græcorum ritu ſacra facientes. In horto tria ſepulchra antiqua, in quorum uno homines inſident Elephantis, Camelis & Leonibus, & baſis cum virorum mulierumque imaginibus pulcherrima. *Fraſcada.*

Eo in loco M. Tullii Tuſculanum *Tuſculum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

fuiſſe nonnulli auctores ſunt. Strabo Tuſculi collem fœcundum fœcundis aquis & regiis ædificiis abundaſſe refert, & continua eſſe loca, quæ ad Albanum vergunt montem, eandem tum virtutem, tum apparatum magnificum habentia. Aquam Virginis, quæ hinc via Præneſtina ad VIII. milliare Romam perducitur, in villa Luculli hic inventam, Blondus aſſeverat.

Præne-ſte.

Præneſte, vulgo *Paleſtrinæ*, oppidum Sabinorum in declivi monte ſitum, vel à natura loci nomen habens quod præſtet montibus, ut Sex. Pompejus; vel quod iliceta ibi fuerint, ut vult Servius; vel à Præneſte Ulyſſis nepote, ut Solinus & Martianus Capella; vel à Cæculo Vulcani filio, ut Virgil. Nobilitatum cæde Marii, à templo Syllæ, quod in eo fortunæ dicavit, cujus apud S. Agapetum hodie veſtigia extant, & ejus etiam Lithoſtrati, de quo Plinius meminit. Fuit autem tanto ſumtu artificioque factum, ut ſimile illic non viderim, & ut conjici poteſt, res à Sylla geſtæ in eo repræſentatæ fuerunt. In domo Epiſcopali multæ imagines antiquæ, & ſimulacrum Fortunæ marmoreum, cum inſcriptionibus ab aliis notatis. Alluitur Veneſtri fluvio. Mons in quo conditum eſt oppidum olim

Aven-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Aventinus, ut Sequeſter ait, nunc, ut Lexica habent, Aretinus dictus eſt. In radice montis, cui quaſi affixum eſt oppidum, caſtellum fuit aquæ, ubi fornices novem alti & ampli, ſinguli quatuor habentes oſtia, cernuntur. Ante ingreſſum Caſtelli XXI. feneſtellæ ſunt, quibus ſtatuas imaginum ſuarum veteres impoſuerunt.

Fuit in Præneſtinis montibus Horatii Poëtæ villa, ubi nunc Eccleſia S. Joannis in Campo Horatii, vel ut alii dicunt, S. Mariæ in villa. Præneſtinæ etiam viæ in ſylvis proximis non obſcura apparent veſtigia. Arx ſummo monti impoſita eſt, cujus dominus Steph. Columna.

Tibur, vulgo Tivoli, oppidum Latii in monte ſitum, à Tiburto Argivo conditum, à Gallis primo everſum, mox inſtauratum & auctum, Horatii Poëtæ receſſu cantatum, loco ſalubri & in primis amœno, propter cataractas Anienis, qui in Montibus Trebanorum oritur, eo loco qui nunc vulgo *del Gozzo* dicitur, ex altiſſimo monte Tiburtino præceps in profundam vallem decidens, tanto impetu, ut fumum agere unda videatur. Juxta Tibur incipit eſſe navigabilis, & per viridem planitiem placide labens, Romanos Sabinoſque *Tibur.*

 diſter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

diſterminat; tertioque ab urbe milliario in Tiberim influit, aſpectu pulcer, potu dulcis, ingredientibus primo frigidus; mox caleſcens, dentes atque ebur immiſſum candidius facit. Pontes quatuor habet, ſed inſigniores *Mammeum*, à Mammea Alexandri Imper. matre dictum, fornice uno ingenti, & duobus parvis: & Lucanum à Planco factum quatuor fornicibus: juxta utrumque Inſcriptiones antiquæ leguntur, quæ ab aliis relatæ. Ante ingreſſum Tiburis in quadratis baſibus erectæ imagines Leonis, & equi, inter quos certatum fuiſſe ferunt de Tiburtinorum & Romanorum Imperio, ſed equus victor exiſtens, Leone pluribus vulneribus ſauciato, opes Tiburis ad rem Romanam traduxit. Eſt & tertia baſis in modum arcus facta, cui impoſita tabula marmorea, in qua vir unus ſacrificans, & alter cranium hominis tenens, in medio circulus, in quo avicula, & poſt unum virum cuniculus, ante alterum hircus, de qua nihil certi referentes incolæ, theſaurum ibi conditum ſomniant. In radice montis antequam in oppidum aſcendatur, templum ingens, rotundum & vetus, nunc Divæ Virgini ſacrum, olim Herculis fuiſſe aſſerunt. In editiori oppidi loco, aliud rotundum, ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ex cujus porticu XII. adhuc columnæ ſuperſunt, Sybillæ, ut ajunt, Tiburtinæ olim dicatum, & medium inter duo præcipitia Anienis. Locus ubi maximum præcipitium eſt, propter altitudinem vulgo *il Inferno* dicitur. Caſtrum quod urbem deſpicit à Pio Secundo Pontifice incredibili celeritate à fundamentis deſtructum, & extructum, eſt pulcrum & munitum.

Legitur Verſus IN PORTA Ant. Campani.

Grata bonis, inviſa, malis inimica ſuperbis,
Sum. ſibi Tybur enim ſic Pius inſtituit.

CAPUT XXI.

Guſmanus poſt multas nequitias à Cardinali dimittitur.

SUpra audiviſtis, quibus modis Secretarius Cardinalis (cui Nicolao nomen erat) Cubicularium, herum meum minorem, ludificatus ſit. Id dici non poteſt quam animo meo moleſtum fuerit. Quum verò animadvertiſſem, hero meo non ingratum fore, ſi par pari referrem, etſi non ignorabam periculoſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

eſſe jocari cum majoribus, animum cohibere non poteram, quin ingenium meum periclitarer, & me non è vervecum patria eſſe oſtenderem. quin etiam honori mihi futurum putabam, ſi talis ac tantus vir à me deluſus fuiſſet. Tempori ergo inſidians, quum Secretarium ſcribendis litteris occupatum ſcirem, clam famulum ipſius purgandis heri veſtimentis occupatum accedens, Eho, inquam, Jacobe! Ajo tibi, optimæ pernæ fruſtum utriſque ſufficiens ad manus eſſe: ſed nec panis deeſt. tu ſi vinum nobis procurare poſſis, lautitiarum mearum participem te fecero. Sin minus, Vale. ego alium quæram cui parata ſit copia. Hac ille ſpe percuſſus, Quæſo, inquit, ne foris quæras, quem hîc habes, ſi velis, contubernalem. Vinum in promptu ſcio. Tu modo tantillam moram ægre ne feras, & hic paullîſper me exſpectes. Quum ille abiiſſet, ego pulviſculo primum quem ei uſui jam paraveram, Secretarii caligas, quas ille ſemipurgatas reliquerat, deinde vino quoque pauxillo quod in vitrea lagenula attuleram, conſpergo: rurſuſque ita omnia compono ut fraus apparere non poſſet. Jam ille poculum vino plenum attulerat, quum ecce herus Jacobum inclamat: qui impatientiſſimus, deguſtata

Iuventus incautè cupida.

Illuſor illuditur.

ſtata vix obiter buccella, mihi integrum fere jentaculum reliquit. Secretarius quum caligas induiſſet, neſcio quas morſicationes ſentire cœpit, tanto magis quod cute eſſet admodum hirſuta. tandem accedente æſtu (Caniculares enim erant) caligæ ita cuti adhæſerunt ut unà cum cute vix femoribus ac pedibus avelli potuerint. Ille inſano more famulum inclamare, rogare quidnam rei eſſet quod cuti tam tenaciter adhæreret. Illo neſcire ſe dicente, Cubicularius de induſtria ſuperveniens, Sic ars, inquit, deluditur arte. ne ægre feras te veterem gladiatorem à tyrone ſupplantatum. Scis quos riſus mihi paraveris. nunc te quoque compenſatum ludibrium haud ægre ferre oportet. Ille indignari, fremere, atque adeo frendere dentibus. Sed quid ageret? Quæ alii feceris, pati oportet. Amotis vix omnibus, caligas unà cum magna hirſutæ cutis parte exuit; altum dolorem corde premens.

Quum bimeſtre fere hoc modo Cubiculario inſerviiſem, Cardinalis ingenio meo ſummopere delectatus, rurſus ſibi me præſtò eſſe jubet. Sed quid dicam? Pudorem ſemel abjeceram, nec ejus recuperandi poſtea umquam mihi poteſtas fuit. Audiſti forte fabulam,

Verecundia poſtliminiũ vix redit. ſi non, audi. Idem iter unà fecerant, Verecundia, Aër, Aqua. Jam digreſſuri comites, alter alterum rogat, ubi quiſque poſtea rurſus conveniri poſſet. Aër reſpondit, ſe circa montium ſumma ſemper vagari: Aqua, locum ſibi eſſe in intimis terræ viſceribus, è quibus ad terram profluat: at Verecundia, Ego vero, inquit, ut verum vobis dicam, unde ſemel diſceſſero, fruſtra ibi poſtea me queras. Id ſane in meipſo expertus ſum. Quis enim non credat ſuperioribus malis edoctum, omnia porro vitaturum quæ offendere herum aut alios poſſent? Sed verum eſt, ſi vel maxime

Vis naturæ & conſuetudinis. *Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.*

Mihi jam palatum & inteſtina deliciis, manus furtis, ingenium omne fraudibus aſſuetum erat. Credo, ſi in faſtigio Vaticanæ molis conſtitiſſem, & infrà occaſionem aliquam furandi aut nequiter aliquid patrandi vidiſſem, me prono lapſu ultro me dejecturum fuiſſe. Nec me terrebant pericula, ſine quibus ſciebam nullum umquam facinus magnum fieri & memorabile. Nullum vitæ uſum capit qui mortem timet. Vidi ego *Metum* vultu pallido, membris debilibus, cute vix oſſibus hærente, de-

pi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

pictum. Et profecto ſervilis res eſt Metus, præclaris conatibus maxime adverſus. numquam incipit: numquam deſinit: ſimilis cani allatranti omnes, mordenti neminem: animæ carnifex aſſidue repræſentans ea quæ vitari non poſſunt. Utinam vulgatos hos tum recte intellexiſſem verſiculos! *Metus qualis.*

Oderunt peccare boni, virtutis amore.
Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.

Virtutem non nôram. quomodo amare potuiſſem? Malus eram: ſed nec pœnæ metus à peccato me cohibere poterat. illam quidem metuebam, ſed quia abſens erat, contemnebam; at præſens voluptas ita arridebat ut nihil non ejus cauſſa tam faciundum quam patiendum putarem.

Delectabatur herus meus maxime condituris, ex Hiſpania aut aliunde allatis. earum vaſa vacua pueris nobis deinde in uſum cedebant, quibus talos, chartas luſorias, cingula, ſudariola, & id genus noſtræ ſortis ſuppellectilia aſſervabamus. Juſſerat vero herus Oeconomum vaſa aliquot diverſarum conditurarum, quæ recentes venerant, emere: quibus domum deportandis nos pueri deſtinati fuimus. Excogito ſtrategema, quo efficerem ut merces illæ vectigal mihi ſolverent. Extremus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

omnium onus humeris accipio : inde quum meum præterirem cubiculum, celeriter vas plenum intus depono, vacuum vero alterum, quantum poteram, obturatum, in cellam defero, & aliis quæ cæteri comportârant, plenis vaſis adjungo. Ad cœnam cum aliis menſæ aſtantem, infit ad me Cardinalis: Quid tibi de bellariis iſtis, tam recentibus & ſapidis videtur, Guſmane ? hic quidem nulla clavis, ſed nec manus juvare te poterunt, vaſis omnibus integris & obturatis. Reſpondeo, earum rerum minus me jam eſſe cupidum : ſi tamen ingenio uti velim, non defuturas mihi aliquid etiam è tam bene cuſtoditis rebus involandi rationes. Tum herus, Equidem, mi Guſmane, ſi arte tua intra octiduum è cella hac ad te aliquid poſſis traducere, non modo non ſuccenſebo, ſed etiam id omne tibi donabo. Si autem id non poſſis efficere, multam ſeu pœnam tibi ipſe indicas volo. Ego, Octiduum, mi here, totam ſæpe hominis vitam abſolvit. Tantum ego temporis ſpacium non poſco : ſed conditionem ita accipio, ut niſi ante craſtinam cœnam effectum dederim, pœnæ mihi infligendæ arbitrium ſit penes Nicolaum Secretarium, à quo ſcio impenſe me, ſcilicet, amari : ut qui adhuc picem

oleat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

oleat, & glabram habeat cutem. hæc magno audientium, etiam ipſius heri riſu excepta. Sequenti die inter prandendum herus mihi illudere, rogare quid aſtutia mea effeciſſem: ubi eſſent promiſſa illa bellaria? addens, Nicolao jam ſatis ſuperque eſſe ubi dolorem ſuum ulciſcatur. Ego, Nicolaus quidem, *here Illuſtriſſime*, ſat ſcio à me abſtinebit manus ſi quod pactum conventum, ratum habeatur: at meas conditura illæ effugere non potuerunt. Inde, quum jam tempus eſſet bellaria inferendi, proripio me in meum cubiculum, & è vaſe illo quantum videbatur in patinam effundo, & herili menſæ impono: qui miratus (nam & ipſe paullo ante in cella fuerat) unde iſta ego depromſiſſem, Oeconomum jubet ſtatim diligenter omnia vaſa inſpicere. quo renunciante, omnia ſalva eſſe, herus Nicolao, Tibi, inquit, ego Guſmanum ex pacto caſtigandum trado. At ille, Nihil mihi rei cum tali homine, cujus umbræ etiam appropinquare nolim. Amico ego illo quam inimico uti malo. quid enim aliud lucri fecero, quam ut ille crabrones in me irritet, qui me vivum quaſi excarnificent? Ego gratia ipſius nolle me uti, ajo, ut cujus caſſa triumphet. Et, in-

quam, ubi rerum teſtimonia adſunt, quid opus eſt verbis? Conditura hæc ex illis eſt quas heri domum deportavimus: cujus integrum vas plenum ecce in meo cubiculo. Hic herus obſtupeſcere, frontem ac pectus cruce frequentiſſime ſignare, omne tempus longum ducere, uſque dum ſublatis menſis rem ipſam inſpiceret, me comitante. Cellam ingreſſus vaſa numerat: quumque numeraſſet omnia, me quoque numerare jubet. Numero & ego. Ille, jurare auſim, mi Guſmane, te tua pecunia bellaria iſta emiſſe, atque ita imponere nobis voluiſſe. Ego: Numerus quidem juſtus eſt: ſed lupus numeratas quoque oves devorat. Sed ut verum appareat, mittat, ſi placet, Illuſtriſſima Veſtra Dominatio unum aut duos è miniſtris, qui vas plenum inde apportent. Id quum factum, & inquiſitione facta, inter plena vaſa unum vacuum, vel potius ſcrutis & veteramentis meis plenum repertum eſſet, mirati omnes ſunt meam aſtutiam, ac nihil magis ſcire cupiebant, quam quibus artibus id effeciſſem. Sed ego ſedulo quidquid ejus rei erat celabam, hero tamen ſoli myſterium hoc indicavi: qui ut promiſſo ſatisfaceret, primum vaſculum non tantum mihi
reddi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

reddi, verum alterum quoque addi juſſit. Nec ego munus aſpernatus ſum; mox tamen omnia inter contubernales diſtribui, ut nobilem meum ac generoſum animum omnibus probarem, quem herus non minus quam aſtutiam meam demiratus eſt. & jam tum proculdubio me abegiſſet, niſi ætatis meæ rationem habendam ſibi duxiſſet. tum illud quoque verebatur, ne extruſus, alibi ad majora obhæreſcerem flagitia. Diffidentiam ergo omnem, quantum fieri poterat, diſſimulans, humaniſſime mecum & agebat & loquebatur: adeoque vix umquam delicatum aliquid deguſtabat, quin mihi quoque aliquid porrigeret, ſic inquiens: ſit mihi hæc arrha pacis tecum, mi Guſmane. non minus ego quam D. Nicolaus diſſidium mihi tecum eſſe nolo. Buccella hac jam contentus ſis: quam tibi velut tributum dando, vaſallum me tuum agnoſco. Et hæc quidem vultu læto admodum & exporrecta fronte, audientibus quibuſque non ſine ſuo & aliorum riſu ita dicebat, ut ex animo benevolo loquutum facile appareret. Erat enim vir placidiſſimo ingenio, moribus inculpatis, magis tamen ex læto quam triſti aliquid trahentibus. & ut ſuos amabat & fovebat,

Animus generoſus

Heri qua les eſſe debeant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

bat, ita viciſſim ab eis amabatur tamquam communis omnium pater, & ut numen aliquod colebatur. Et ſane deſipiunt, qui quum famulos deſpicatui habeant, magnifieri ab eis volunt: ut & illi qui male mercedem ſolvunt, interim familiam ad omnia obſequi obſtrictam & promtam volunt. Fieri non par eſt ut ei quis bene velit, à quo nihil ipſi bene fit.

Guſmanus deliciarum appetens.

Non multo poſt Genua ad herum meum perlata ſunt vaſcula aliquot condituris plena: Domo tum forte aberam: eoque ab hero & familiaribus conſultabatur, ubinam deliciis illis tutus à manibus meis locus quærendus: tanto magis quod ad exſiccandum quem in via contraxerant, nimium humorem, ſoli exponere eas oportebat. Erat qui diceret etiamſi in ipſam urnam qua C. Julii Cæſaris cineres olim incluſi, conderentur, non tamen à manibus meis carituras periculo. Auditis reliquorum ſententiis, herus conſilium cepit longe ab aliis diverſum: quia, inquiens, nullibi tutas exiſtimatis, præſtat ut ipſius cuſtodiæ hæc omnia committamus. Quare ad ſe vocatum ita alloquitur: Quid de condituris his tibi videtur, Guſmane? Vides madore fere corruptas eſſe: quid conſilii hic aut remedii? Ego, Mihi quidem, inquam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quam, optimum videtur, ut ſimul ac ſemel abſumantur: ne ſcilicet quid pereat. Ille, Quid cenſes? An putas poſſe te hæc omnia abſumere? Tam multa quidem hæc non ſunt, inquam, ſi multum ſit temporis; mihi tamen non eſt tanta ingluvies, ut rei huic parem me præ ceteris autumare auſim. Volo ergo, ajebat herus, ut hæc tu in tuam accipias cuſtodiam, & madida ſoli exponas quoties neceſſe eſt. Fraudem committere hic non potes. En aperta tibi omnía uti ſunt conſignantur. Per te quidem ſecuro mihi ab omni damno, hac quidem in re, eſſe licet. Neſcio quid futurum ſit, reſpondeo. hoc ſcio, ne à me ipſo quidem me ſecurum eſſe. Filius enim Evæ ſum. quam facile autem poteſt fieri ut in hortum hunc deliciarum poſitus, à ſerpente carnis meæ tenter, ac vincar! Subridens herus, ut, inquit, bene omnia habeant, & tu tentationem, ego damnum vitem, en hæc omnia uti ſunt tibi trado, tu vide ut omnia & ſingula ſic uti ſunt reddas. Verbum hic ſatis eſt. Reſpondeo ego, non illud ſed aliud quiddam animo meo obverſari. Roganti, quidnam? Ajo, Teneri animi ac imbecillis conſcium, illud me prævidere, ſi provinciam hanc in me ſuſcipiam, fore, ut bona pars fideicommiſſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

miſſi à dentibus meis contrucidetur, & per fauces in ſtomachum deſcendat, nec tamen ulla ſtrages appareat. Tum herus, Periclitari tibi hic omnes ingenii tui vires licet, & ad ſatietatem quæ maxime palato tuo arrident, ingerere, ita tamen ut poſtea quando mihi es redditurus, nullus palam ſit defectus: qui ſi appareat, tu quod deeſt de tuo ſuppleas duplum peculio. Accipio conditionem: & ſequenti die dum ad ſolem madida ſicco, odore frangrantiſſimo florum citriorum & limonum melle ac ſaccharoconditorum percuſſus, abſtinere non potui quin ſuperiori parte omnino illæſa, ſed inverſa, cultello fundum ſcrutatus, quantum ſatis mihi viſum fuerat, partim in ventrem congeſſerim, partim aſſervarim, ſuppletaque chartis laceris lacuna, ſuperiora ita reconcinnârim, ut ne veſtigum quidem aut ſuſpicio fraudis deprehendi poſſet. Ad cenam bellaria me inferentem herus rogat, quonam modo cuſtodia mihi procederet. Quod ſi cetera ita ſe haberent ut quæ jam apposueram, induſtriam & fidem meam laudare. ego ingenium meum oſtentaturus, apporto omnes capſulas, eaſque apertas hero omnes oſtento: quo nihil deſiderare ſe dicente, in patella pauxillum quid ejus

quam

quam dixi conditurę ſimul promo, & quærenti hero, quid rei hoc eſſet, reſpondeo, velle me Illuſt. S. D. de furto meo aliquid communicare. Replicanti permiſiſſe ſe non ut furarer, ſed ut ad ſatietatem ederem, reſpondi, & deguſtatum aliquid à me non leviter, & hoc tantum teſtimonii cauſſa ſervatum. Inſpectis diligenter omnibus capſulis, quæ multæ erant & variæ tam materiæ quam magnitudinis, quum fraudem herus deprehendere non poſſet, quærit, Quænam illa eſſet in qua furtum factum. Commonſtratam & apertam diligenter rimatus, multo magis quam antea ingenii mei ſubtilitatem mirari cœpit. Ego etiam (ô ſiniſtram mentem!) mihi ipſe applaudebam, non conſiderans, iſtam ingenii, ut interpretabar, laudem omnem mihi fidem apud herum abrogaturam. Ad id tamen mihi proderat, quod non facile quiſquam familiarium irritare me auderet: quum ego omnibus fere & ſingulis, meis præſertim æqualibus quotidie fere ludos facerem & negocii quid exhiberem. Obdormierat aliquis: ilicet de calceis ipſius & tibialibus actum erat, vario ſtrategemate, dum è ſomno illos excitare ſtudio, à me vexatis. Quotidie duabus horis ante meridiem, & totidem po-

Exercitia puerorum, &c.

pomeridianis magiſtrum ad animos noſtros tam bonis moribus quam artibus imbuendos, nobis appoſitum audiebamus: cui, etſi nequam, valde charus eram, ob ſummam ingenii agilitatem, qua nullo fere labore intra breve tempus non mediocrem Latinæ & Græcæ linguarum, nec non aliarum artium ac ſcientiarum cognitionem eram conſequutus. Reliquum temporis quod ab heri ſervitio immune erat, ridiculis hiſtoriis & fabulis legendis, cantando, ludendo, aliaque talia faciendo conſumebamus. Quod ſi domo prodiremus, id eo tantum fiebat, ut cauponibus inſidias ſtrueremus. Noctu per plateas diſcurrendo, feminarum meritoriarum ædibus laſcivo ac turpi cantu, vel etiam pulſu, aut ſaxorum jactu illudebamus. Forſan tu ô adoleſcens, vitam hanc ſuavem exiſtimas? At ita vivam valeamque, ut mihi ſordebant ac diſplicebant omnia. Suſpirabam ac gemebam dies noctéſque, & præſentis mei ſtatus pertæſus, incertis & quarum capax non eram rebus inhiabam, præſertim quum prima lanugo malas mihi inveſtire, immò obtegere inciperet. Minime omnium dubito, ſi frugi fuiſſem, ab hero non defuturas mihi fuiſſe promotiones. Ego vero tantum abeſt ut honeſtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

neſtis ſtudiis & obſequiis heri aliorumque benevolentiam mereri ſtuduerim, ut pleroſque imprudentia mea & licentioſis facinoribus offenderim. Sed vix quidquam magis me tenuit ac perdidit quam ludendi cacoethes & inſanabile vulnus. Huic uni ſtudio ita eram deditus, ut omne tempus mihi perditum, immò acerbum exiſtimârim, quod ei non impendiſſem. nec domi tantum cum contubernalibus, ſed foris etiam deſignatas obibam ſtationes. Et ut in ceteris meis actionibus, ita hic quoque ſumma utebar libertate, nec ulla erat fraus cujus nôn eſſem peritus, præſertim in Primeræ, ut vocant, luſu. Quæris forte, cur nôn earum impoſturârum aliquas recenſeam? Equidem facerem iſthoc non quidem eum in finem ut uſurpare, ſed ut ab aliis uſurpatas notare queas: niſi mihi ita videretur, ab omni luſu (tali quidem ubi pecunia periclitatur) juventuti abſtinendum eſſe. O perverſos homnes, qui re animo recreando inventa ad ejus carnificinam abutuntur! O quantos angores & mœrores ſæpe ſenſi, quum numis omnibus perditis, à victoribus inſuper ludibrio haberer! Alia taceo tam damna quam pericula, quæ profuſa illa ludendi parit lubido. Licet autem omnibus

Ludendi lubido.

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

bus noxia ſit & indecora, in nemine tamen minus ferri poteſt quam in famulo aut miniſtro. nec ſcio ego cur panem meum ei homini præbere velim, qui neglecto miniſterio, nihil aliud cogitet ac ſomniet, quam luſum. qui abſumto peculio, mox ex ipſius patroni facultatibus ludendi quæſiturus ſit materiam. Vitium hoc in me herus cane & angue pejus oderat, & tam benignis admonitionibus quam acerbis increpationibus emendare ſtudebat. Sed quum nihil ſe proficere cerneret, dimittere me ſtatuit, ita tamen ut ſi vel tenue aliquod emendationis ſignum animadvertiſſet, me lubenter fuerit retenturus. Accidit vero ut perditis die quodam omnibus quos habueram numis, tandem etiam ipſa veſtimenta mea depoſuerim, eaque itidem fere omnia perdiderim. O bone Deus, qui tum fuêre mei angores! inter quos domum reverſus, clam cubiculo me includo, certus non exire donec ipſa fames me expelleret. Sed quo prætextu? Morbum ſimulare non audebam, quod ſcirem Medicos ſtatim ab hero, pro valetudine ſuorum nimis quam ſollicito, ad me ſummiſſum iri. Sed nec diſſimulare aut negare poteram factum quod jam in ore omnium erat. Interea herus abſentiam meam miratus, rogare ubi eſſem:

Guſmanus veſtes luſu perdit.

eſſem: an forte mihi mali quid accidiſſet, aut litigium cum aliis intercederet. Quum muſſarent omnes (nôrant enim delationes ac delatores ipſi inviſos) tandem rem ipſam ipſe expiſcatus eſt: ac deprehenſa veritate, veſtiri me, ac deinde dimitti juſſit: quod quidem tam indignis ego tuli modis, ut ſine ulla deprecatione, cum ira diſceſſerim: non ſecus ac ſi herus alere me ocioſum & ad omnia mea flagitia connivere cogeretur. nec poſtea umquam, licet humaniſſime invitatus, in ædes ipſius redire volui: licet intellexerim eum in finem omnia facta, ut cognitis meis erroribus, ipſa admonente neceſſitate, ad frugem redirem. Ego verò abſentia (ô ſummam dementiam!) injuriam, ut interpretabar, mihi factam vindicare volens, pertinaciter me umquam in Cardinalis, tam liberalis, ac benefici patroni mei, conſpectum venturum negavi. Sed unum ſcilicet reſtabat, ut quum nec bonis nec malis verbis, atque etiam verberibus corrigi poſſem, tandem ab ipſa egeſtate & multiplici miſeria delictorum meorum admonerer. Ah quam male tum & præſentibus me accommodare, & melioribus rebus, quarum certa mihi ſpes erat, ſervare poteram! quàm ingratus erga eum, qui tanta chari-

Iuventutis mores.

charitate me complexus fuerat! quam negligens earum rerum quæ ad ſalutem meam pertinebant! quam ſuperbus & arrogans erga herum manſuetiſſimum! quam ſurdus, quam obſtinatus ad omnes & admonitiones & increpationes! quam brutus ad omnes rationes, quibus vitæ mihi ſuadebatur emendatio! Fateor, ſi uterque meorum parentum, quarum operâ lucem hanc aſpexi, adhuc fuiſſent ſuperſtites, aut ad vivos rediiſſent, & ſumma fortunæ proſperitate uſi eſſent, tantum mei cauſſa numquam facturos fuiſſe, quantum optimus ille herus meus fecit. neque enim ego cum illo ut hero, neq; ut cum patre ſed quaſi cum æquali vivebam & agebam. non indignabatur, non iraſcebatur; ſed peccantem ita admonebat ut ſumma in eo eluceret humanitas & charitas. O animum rege dignum! Non diem unum, non ſeptimanam, non annũ, ſed multos annos pœnitentiam meam exſpectabat. Sed ego mei ſequebar ductum genii; carnis indulgebam ſuggeſtionibus & illecebris, quæ vitia mea foventes, ad omnem virtutis ſenſum animum meum ſtupidum fecerant. Nec eſt ut ingenium meum aut naturam incuſem: quam ad malum pronam quidem ſed tamen ad bonum quoque habilem fuiſſe, teſtis mihi

Malitia ſpontanea.

mihi ipſe ſum. Mea culpa fuit quod bonum averſatus, malum ſequutus ſum. Faciebat illa officium ſuum, veritatem mihi repræſentans; ſed illa victa tandem aſſidua peccandi conſuetudine, ſuccubuit. Quid multa? Faber ego ipſe meæ fortunæ fui.

In eo quod herus domo ſua me ejecit, non poſſum dicere injuriam mihi factam; at quod non multo poſt per internuncios revocatus, quaſi poſtliminio reditum mihi aperuit, quantæ quamque incredibilis fuit humanitatis? Quid ego? Quaſi rex eſſem, aut ad minimum ſatrapes aliquis, non modo non parebam revocanti, ſed etiam animo meo neſcio quam vindictam volvebam. Peſſimum illud erat, quod ut ante bona, ita nunc mala mea non intelligebam. Vagabar per urbem quò pedes me portabant, ſeu ut ille dicit, Ibam quò poteram; quò non poteram, ibi ſtabam: & quia proſperis meis rebus amicos habueram, non deerant quoque qui me invitabant, tantiſper ſcilicet, dum in loculis aliquid mihi eſſe ſcirent. Atque utinam argento tantum converſatio illa mihi conſtitiſſet! ſed ita eſt profecto: qui cum malis edit ac bibit, corpus quidem nutrit, ſed animum deſtruit. nunquam buccellæ

iſtæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Noxium malorũ contubernium.

iſtæ quamvis delicatiſſimæ palato meo tam gratæ fuerunt, quam noxia rebus meis conſilia & mores, quæ ibi accepi, & quos ibi hauſi. Mihi ex omnibus nihil reliquum factum eſt quam pœnitentia, & quidem nimis ſera. Quaſi inſenſibiliter inſinuant ſe in animum vitia; & quam facile admittuntur, tam difficulter profligantur. Erat mihi domus Cardinalis adhuc aperta, atque ipſe Oeconomus, juſſu heri nunciabat mihi, ut quotieſcumque vellem, ad cibum ſumendum venirem, & ſi quid aliud mihi neceſſarium indicarem: ego autem facere id pertinaciter recuſabam, malebamque cum malis eſurire, quam cum bonis ſatur fieri, amicorum, uti falſo putabam, ſuaſu incitatus, inquientium: Quid tu iſta nobilitate, iſta ætate, iſto ingenio juvenis aut vir potius, an cuiquam ſupplicabis? an gratis te ali exprobrari tibi patieris? Oſtende potius tibi quoque bilem eſſe: & tuis dotibus ac virtutibus digniorem conditionem exſpecta. Hæc quidem ita illi mihi ſuadebant: ſed mox ut nihil mihi reliquum viderunt, non modo deſertum me paſſi ſunt, ſed etiam meam velut noxii alicujus ſideris vicinitatem ac conſuetudinem fugiebant. nemo jam erat qui invitaret aut domum deduceret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ceret. quinetiam domeſticis omnes mandarant, ut ſi venientem me viderent, januam clauderent, & licet domi eſſent, domi tamen eſſe negarent. Mirabilis certe res eſt Hoſpitalitas. Qui invitant, plerumque mel habent in ore, fel in pectore. promitttunt liberaliter, dant parce. cum hilaritate invitant, edunt cum afflictione. qui alterius hoſpitalitate utitur, ſi faſtidium ſui vitare velit, ſedile nec frequenti ſeſſione atterat, nec diuturna nimis calefaciat. Equidē hanc ego velut regulam ubique obſervandam tibi præſcribo, ut apud cognatum unam ſeptimanam, apud fratrem, unum menſem, apud amicum, unum annum, apud patrem, quam diu velis, divertas ac commoreris. Soli parentes liberalitatis ſuæ in liberos viſcera claudere non poſſunt. Si qui faciunt, pecudes ſunt, non homines. Quam liberales autem liberi ſint in parentes, nimis verum oſtendit proverbiū, quo pater unus decem filios, decem filii unum patrem alere non poſſe dicuntur. In univerſum de hoſpitibus illud dictum puta: *Quatriduanus eſt. fetet*. Quod ſi vel maxime ipſe paterfamilias tuo delectetur conſortio, téq; commenſali gaudeat: abhorrebit aut mater, aut uxor, aut ſoror, aut alius paraſitorum; ac cibum ita tibi benedicent, ut ſi vota eorum ſint

Hoſpitalitas ejuſque regulæ.

efficacia, ultimus ille tibi futurus ſit. Mihi quidem ſi focus ſit proprius, domi panem ſecundarium cum vili obſonio, quam foris aſſos pavones eſitare malim. Sic deſertus ab omnibus, ut filius ille prodigus optabam fieri ſicut unus mercenariorum in domo heri mei. tanto autem major mea erat calamitas, quod licet ſæpe ad frugem redire animum induxerim, fruſtra tamen laborârim. Scilicet qui non vult quando poteſt; quando non poterit, fruſtra volet. Pudorem bonum eſſe fateor: eſt tamen quidam non inutilis tantum, ſed & damnoſus.

Nihil ſane me magis abſterruit, quo minus ad Cardinalem redirem, quam quod & culpam apud herum deprecari, & in contubernalium meorum conſortium redire ſine rubore non poteram. Sic ego dum charybdim vito, in ſcyllam incidi. Nec Fortunam, quæ nihil eſt, nec malignum aliquod ſidus incuſare poteram. Aſtra, ait ille, inclinant, non cogunt. & *Sapiens dominabitur aſtris.* Audias quoſdam in miſeriis ita dicentes: Ah Domine! Hæc quidem voluntas tua eſt. Sic fieri quidem neceſſe fuit: & quod futurum eſt, quidquid fecerim, tandem tamen futurum eſt. Nolo hîc ego altum ſapere, aut ultra crepidam judicium profer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ferre. ſic tamen ſentio, ad peccatum neminem cogi nolentem. Quod male agis malum non foret, ſi tu malus non eſſes. Ego certe melius futurum me puto, ſi meipſum incuſem, non fatum meum. Malus fui. at multi quoque alii. Crates Thebanus ajebat, neminem inveniri qui lapſus non ſit. Locus nullus eſt in quo omnes aut improbi gignantur, aut probi: Et privatim, nemo noſtrum eſte qui non peccat. Recte Horatius:

Nam vitiis nemo ſine naſcitur. optimus
ille eſt,
Qui minimis urgetur. *Lib. 1. ſat. 3.*

Etiam ii qui propter virtutem in admiratione ſunt, non abſtinuerunt ab omnibus quæ vitare debebant. huic enim hoc, iſtis illud, omnibus autem omnino aliquid accidit, ut univerſi agnoſcerent ſe homines eſſe. Peccavimus omnes, alii graviora, alii leviora; alii ex deſtinato, alii forte impulſi, aut alienâ nequitia ablati; alii in bonis conſiliis parum fortiter ſtetimus, & innocentiam inviti ac renitentes perdidimus. nec delinquimus tantum, ſed uſque ad extremum ævum delinquimus. Etiamſi quis bene purgavit animum ut nihil obturbare eum amplius poſſit ac fallere; ad innocentiam tamen peccando pervenit. Quotuſquiſque ex quæſitoribus eſt, qui

Seneca 1 de Clem. c. 6.

non ea ipſa lege teneatur qua quærit? quotuſquiſque accuſator vacat culpa? Et neſcio an nemo ad dandam veniam difficilior ſit quam qui illam petere ſæpius meruit. Quamobrem præſtaret in noſtra nos mala potius quam proximorum intentos eſſe. Sed fit humani ingenii vitio, ut quæ in aliis exima ſunt plerumque non agnoſcamus; at multa à quibus abſumus, nobis ipſi vindicemus. Sapienter ut multa alia, Cicero, quoniam vivitur non cum perfectis hominibus plenéque ſapientibus, ſed in quibus præclare agitur, ſi inſunt ſimulacra virtutis, neminem omnino negligendum eſſe monet, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat. In primis autem Juventutis errata ad vivum reſecanda non ſunt, de qua veriſſimum illud eſt de anguilla manu compreſſa ſymbolum: *ſi ſtringas, erumpit; ſi laxes, erepit.*

Man. Imp. or. 6

Eſt naturâ homo vino ſimillimus
Quodammodo. nam vinum ſicuti novum
Neceſſe deſervere eſt: ſic prorſus & hominem.
Ac primum quidem velut floreſcentem aliis eſſe injurium,
Poſt durum fieri. hæc autem quæ dico omnia
Vigere quum deſierint, atque ille exhauſerit
Stultitiam amentem quæ ſuperne innatat,

Alexis Comicus

Velut potui ſit idoneus, ætatem nactus bonam,
Ac in reliquum tempus degit gratus omnibus.

Ipſa nimirum natura ſic profundit adoleſcentiæ cupiditates; quæ ſi ita erumpunt ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent, quoniam includi ex toto non patiuntur. Hinc etiam boni pædagogi non omnibus puerorum cupiditatibus adverſantur, ſed ſæpe connivent. At ſumma hic cautione opus eſt, ne nimia ſit aut intempeſtiva illa indulgentia. Nam *Deteriores omnes ſumus licentiâ.*

Quem non corrumpit effræna, novæque Sat. 5. Syl. 2.
Libertas properata togæ? ceu neſcia falcis
Sylva comas tollit, fructumque exſpirat in umbras.

Unde lacteus ille Chriſtianæ eloquentiæ fons: *Arctiore diſciplina minor ætas ad probitatem juſtitiamque formetur: quæ niſi in metu cohibeatur, licentia pariet audaciam quæ ad omne flagitium & facinus evadet.* Cap.19. Et præcare magni Imperatoris magnus magiſter: *Quemadmodum agriculturæ inexpertus regionem quam denſis cernit obſitam virgultis plantiſque ſylveſtribus incultam, feris refertam, fluminibus ac fontibus variis irriguam, cœnoque plurimo quaqua-* Plutarchus.

verſum inviam, floccipendit, rei vero ruſticæ gnarus hæc omnia fertilitatis indicia eſſe cognoſcit, terreque ubertatem hinc æſtimat: ita & abſurda, prava ac importuna magnæ aliquando producunt naturæ, quæ nos confeſtim, quandoquidem aſperitatem ac ſtimulos haud ferre poſſumus, præcidi penituſque eradicari oportere arbitramur. at optimus judex utile ac generoſum ex his diſcernens, ætatem horamque rationis & virtutis cooperatricem, quâ natura fructum debitum & opportunum ferat, benigne præſtolatur. Apage vero illam Phœdræ Lenam, cujus hæc ad Hippolytum verba ſunt:

Senec. Hipp.

Quæcumque lætis tenera luxuriat ſatis,
Arborque celſo vertice evincit nemus,
Quam non maligna cædit aut reſecat manus.
Ingenia melius recta ſe in laudes ferunt,
Sed nobilem animum vegeta libertas alit.

Apage, inquam, talia monita, quæ ætati alioqui pronæ ad peccandum feneſtras aperiunt. Tanto ego magis poſtea mihi ſuccenſui, quod optima diſciplina male uſus eſſem, & cum Phrygibus ſero admodum ſapere cœperim. Felices qui mature ad frugem ſe recipiunt. Nullum ingenium ſine vitio naſcitur. Tum, *Vix quiſpiam tranſit in bonum niſi ex malo.* Expertus Seneca, *Da mihi*, inquit,


Publ. Syrus.

inquit, *quemcumque magni nominis virum, dicam quid illi ætas ſua ignoverit, quid in illo ſciens diſſimulaverit. multos dabo, quibus vitia non nocuerint, quoſdam quibus profuerint.* Adeo *nulla res conſummata eſt, dum incipit, & in omni alio negotio longe à perfecto abſuere principia.* In eamdem ſententiam ille non eloquentiæ modo, ſed & morum optimus formator Fabius: *Nulla eſt diſciplina, in qua non peccando diſcatur. Quamobrem de nullo omnino deſperandum, niſi qui magna quadam inſania de ſeipſis deſperârunt.* Neque tamen, ut idem monet. *differendum eſt tyrocinium in ſenectutem.* Quanto minus ſtudium virtutis. Sed ita eſt. Optimam partem ætatis vitiis perdimus, extremam virtuti & Deo reſervamus. Mihi quidem ita accidit: ut in Cataſtrophe hujus meæ Fabulæ, ſi vitam DEUS ſuppeditaverit, audies.

Habes, Lector, Infantiæ, Pueritiæ, & Adoleſcentiæ meæ hiſtoriam, & velut HUMANÆ VITÆ PROSCENIUM. Secunda parte robuſtioris ætatis robuſtiores nequitias in ipſam Scenam cum Deo volente, producam: non ut imiteris, ſed ut fugias, & ne decipiare caveas.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

PROSCENII VITÆ HUMANÆ,

Pars Secunda.

IN QUA

SUB PERSONA
GUSMANI ALFARACII
miræ fraudes, quibus tam ipſe alios
decepit quam ab aliis deceptus eſt;
tum varii in vita hominum Even-
tus repræſentantur.

Opera & ſtudio

GASPARIS ENS L.



DANTISCI
Sumptibus GEORGII FORSTERI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

LECTORIS.

REdit ad te Guſmanus, ſed robuſtior, cum robuſtioribus nequitiis non ut imitari, ſed cavere diſcas: ſimul vanitatem rerum humanarum cognoſcas. Quod ſi gratum hunc meum laborem Lectoribus fore intellexero: Deo vitam & valetudinem ſuppeditante, Tertiam partem addam, non minus jucundis & notatu dignis eventibus ac hiſtoriis inſignem. Severæ nimis frontis illos Catones non valde moror. qui paullo æquiores fuerint, inſtitutum noſtrum ſi non magnopere laudabunt, ſaltim non reprehendent. Vale Lector & fruere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

INDEX CAPITUM.

PROOEMIUM *in quo ſcopus Autoris declaratur.* fol. 1

CAP. I. *Guſmannus Oratori Gallico operam præſtat, quæque in eo miniſterio ſibi acciderint narrat.* 5

CAP. II. *Narrat Guſmanus quibus in rebus Oratori hero ſuo operam præſtiterit. Diſſerit de ſcurris & aliis voluptatum miniſtris.* 36

CAP. III. *Guſmanus fabula vulgo factus, Roma relicta, Florentiam ſe confert. Ab impoſtore magna peculii parte ſpoliatur.* 48

CAP. IV. *Guſmanus amiſſo peculio Florentiam proficiſcens, Sajavedram impoſtorem obvium habet, & miniſtri loco ſuſcipit.* 67

CAP. V. *Florentiæ deſcriptio.* 72

CAP. VI. *Florentia diſcedit Guſmanus. Alexandro dicam impingens, in vincula conjicitur.* 89

CAP. VII. *Carcere liberatus Guſmanus de injuſtitia, quæ hodie multis in tribunalibus dominatur, diſſerit.* 95

CAP. VIII. *Guſmanus chartarum luſu damnum reſarcit. Bononia Mediolanum ſe confert.* 103

CAP. IX. *Sajavedra in itinere vitæ ſuæ hiſtoriam Guſmano narrat.* 112

CAP. X. *Sajavedra Mediolani in popularem quemdam ſuum incidit, mercatoris miniſtrum. ejus ductu & ſuggeſtu Guſmanus aſtutiſſimum furtum committit.* 129

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAP. XI. *Guſmano belle ſuccedit furtum. Aquileræ promiſſa data portione, cum Sajavedra Genuam abit.* 144
CAP. XII. *Genuam profectus, aſtutiſſimæ malitiæ telam orditur.* 155
CAP. XIII. *Opimis onuſtus ſpoliis Guſmanus cum Sajavedra in Hiſpaniam navigat.* 169
CAP. XIV. *In Hiſpaniam navigans adverſa tempeſtate jactatur: cujus vi alienatis ſenſibus Sajavedra in mare ſe præcipitat.* 193
CAP. XV. *Barcinone Guſmanus Salamancam proficiſcitur.* 197
CAP. XVI. *Statuta Societatis ſeu Confraternitatis Moropoliticæ.* 207
CAP. XVII. *Guſmanus ſtultæ procationis pœnas dat aureis aliquot numis emunctus.* 214
CAP. XVIII. *Narrat Guſmanus quid Madriti ſibi acciderit, à femina turpiter iterum deluſo.* 223
CAP. XIX. *Ædificata ſibi domo uxorem ducit.* 229
CAP. XX. *Narrat porro quæ ſibi marito evenerint: deque malis mulieribus pauca diſſerit.* 235
CAP. XXII. *Quid ſibi Compluti acciderit narrat Guſmanus.* 249
CAP. XXIII. *De Amore pauca diſſerit Guſmanus. Cum uxore Compluto Madritum migrat.* 260

Finis Indicis.

IN

IN SECUNDAM *Partem* PROOEMIUM:

In quo ſcopus Autoris proponitur.

NON dubito multos fore, quibus conſilium hoc vitam deſcribendi meam diſpliceat. Quid enim attinet, inquient, ut tua ipſius vineta cædas; ut teipſum ludibrio omnibus proſtituas, & tamquam perfectæ nequitiæ exemplum deteſtandum proponas? Sed audi, mi Lector. Quid ſi Horatianum illud tibi occinam: *Mutato nomine de te Fabula narratur*. Scio quæ ſit humani natura ingenii. Pauci certè ſunt qui videant id manticæ quod in tergo eſt; quiq; ſuo ſe pede metiantur: Lynces ſumus in alienis, talpæ in noſtris quiſque perviden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dis vitiis. Interim nemo de ſe id ſentit quod de ipſo alii. Quod tu tibi de te perſuades, id ego mihi de me. at forte alii non. Suffenus ſibi quiſque eſt: & ſibi quiſque aſſentatur. unde infiniti in vita hominum naſcuntur errores. Siquidem uno dato inconvenienti (ſic vulgo loquuntur) plurima ſequuntur. Quocirca ne quis fine ſuo aberret aut fruſtretur, vera principia ante omnia quærat & examinet neceſſe eſt: quibus inventis & conſtitutis, facilis erit quavis in re progreſſus. Et quamvis illa ſæpe contemta ac frivola videantur, lumen nihilominus ad magnas res proſpiciendas præferunt. In omnibus certe rebus mature deliberandum; at ubi deliberaveris, mature facto opus eſt. Ignavi eſt numquam incipere; ſtulti, numquam finire. Finis quippe opus coronat. Quorſum hæc, inquis? Audi. Conſilium & ſcopum in hoc opuſculo mihi propoſitum ſupra tibi indicavi: qui alius non eſt, quam ut aliorum exemplo cautior fias & prudentior: quod genus diſcendi commodiſſimum eſt & maxime ſecurum, per Mundi hujus periculoſum pelagus naviganti. Tuum eſt meis plagis emendari; ex mea negligentia & imprudentia tuam formare induſtriam & ſolertiam; ex meis contumeliis hono-

ris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ris tibi & laudis quærere materiam. Scis primum ſapientiæ gradum eſſe à ſeipſo ſapere; alterum ſapienti obtemperare. qui nec hoc nec illud facere ſciat, nullo in numero habendum.

Sed, ais, Quanto melius fuerat, mi Guſmane, te numquam ita vixiſſe; & quanto hoc ipſo melius vitam tam malam, tam longe ab omni virtute alienam potius æterna oblivione ſepelire, quam litteris conſignatam poſteris relinquere? Sed erras, mi homo, & quod dicis à ratione alienum eſt. Sed nec ſcopum qui te movet, num eſſe puto. quin etiam tamquam ſorex teipſum tuo indicio prodere mihi videris. Numquid enim per Guſmani latus tuum peti ſuſpicaris? numquid tibi exprobrari quæ de illo ficta, à te forte facta? Mendacia ergò ſcribis? inquis. Nequàquam. Facta enim omnia quæ hic narrantur, & fiunt, & fient. Guſmanum modò aliaſque circumſtantias ſepone. vera omnia deprehendes. Et quid ſi mendacia? numquid hæc multorum auribus gratiſſima? Sed ut propoſiti mei ratio melius tibi conſtet: ſic habe.

Quod in uno quaſi ſpeculo totius humanæ vitæ imaginem contemplandam tibi propono, non eò fit malum ut imiteris,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

teris, ſed ut fugias, bonumque facias. Si Guſmanum videas turpiter prolapſum; tu lapidem vita ad quem ille impegit. Illud ſemper memineris, Hominem te, nec quidquam humani à te alienum eſſe. Excute omnia animi tui cubilia ac penetralia: ubi ſi quid ſordidum (neque vero aliter fieri poteſt) deprehenderis, tuam ipſius domum diligenter prius purga quam ſcopas ad alios feras: ne illud audias, *Medice cura teipſum*: aut illud Salvatoris noſtri: *Hypocrita, trabem educ prius ex tuo, deinde feſtucam è proximi eculo.* Sed quid? numquid ineptus ſit qui ad ægrotantem Medicum adducat? Quodnam remedium in viperæ dente, aut morſu ſcorpionis eſſe poteſt? Quis in veneno quærat antidotum? Ita tamen eſt. nonne vides ut in Theriacam ipſa venena ingrediantur; ut res plurimæ natura ſua mortiferæ ad ſalutem præparentnr? ſit Guſmani vita generalis quædam theriaca humanæ vitæ; ſit eius exemplum contra maxime domeſtica nobis vitia antidotum. Guſmano interim id uſu venit, quod dapium apud Principes ſtructoribus. His unica cura eſt ut ſtantes fercula ſcite partiantur: pavones, anſeres, gallinas & quævis edulia diligenter ſcindant, & convivis apponant: qui omnes alacri-

alacriter comedunt ac ventrem ſaturant; ſolus ille labore feſſus & famelicus circa menſam diſcurſat, alienæ voluptatis miniſter. Sic Guſmanus noſter ſuis faſtidiis, ſuis periculis, ſuis laboribus enavigata ſibi maria, & in eis ad quos impegit ſcopulos, & in quibus naufragium fecit vada tibi oſtendit: eóque gratiam potius à te quam cenſuram exſpectat. Sed ad rem.

CAPUT I.

GUSMANUS ORATORI Gallico miniſterium præſtat: quæque in eo miniſterio ſibi acciderint narrat.

A Cardinali, uti priori libro oſtendi, dimiſſus, quum aliquamdiu amicorum limina triviſſem, jamque omnibus gravem me eſſe ſentirem; tandem ad Galliarum Regis Oratorem Romæ degentem, me applicui: qui tanto facilius me in familiam ſuam recepit, quod apud priorem herum non ſemel me vidiſſet, meaque alacritate (nequitiam verius dixero) multum delectatus eſſet.

Erat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Diverſa herorum ingenia. Erat is homo ſane perliberalis, meque ſatis benigne ac laute tractabat: non tamen eo fine aut animo quo prior meus herus. Hic enim meam in omnibus rebus ſalutem; ille ſuas voluptates ſpectabat; quarum ego artifex eram non vulgaris. Nam & multa jocoſe ac ridicule quotidie & dicebam & faciebam: & omnes urbis regiones & ubi unumquodque hominum genus habitaret, nôram: eoque opera mea in perferendis hinc inde mandatis multum utebatur. Menſam præcipue heri & miniſterio meo ornare, & facetiis oblectare ſtudebam. Ventitabant domum noſtram ſæpe ſæpius paraſiti, *Cenipetarum ingenia.* homines inſulſi, arrogantes, prandendi aut cenandi tempus captantes: quibus ego omnibus modis illudere ſatagebam, hero non invito. Quoſdam ut hortulani melones, ſic eos ſedere patiebar; aliis pocula minuta valde, aliis vinum aqua nimis dilutum præbebam: ſi quem cibum palato ipſorum arridere animadverterem, præripiebam patinam, aliquid aliud minus ſapidum reponens. Quid multis? tam ego quàm contubernales mei id unice agebamus, ut convivas ejuſmodi, vel mures potius, qui ſemper alienum panem rodunt, ab heri menſa amoliremur. Accidit aliquando ut quidam

dam Anglus natione in amicitiam heri ſeſe inſinuarit, adfinitate ſibi conjunctũ ferens, quum tamen nihil ipſo eſſet inſulſius, nihil ad civilem converſationem ineptius, nihil vanius. Ventitabat hic ad nos ferè quotidie. ego parum hero gratum hoſpitem animadvertens, illudendi occaſionem captabam: quæ paucos poſt dies ſeſe obtulit. Quum enim inter cenandum multa per ſummam vanitatem mentiens, aures omnium obtudiſſet, tum etiam in me multa jocatus eſſet, exiguæ meæ ſtaturæ illudens, inter alia dicens, Conſtitutum eſſe Pontifici edicere ut milites pyxidum loco quibus nitratus pulvis aſſervari ſolet, poſthac puſillæ ſtaturæ virunculis utantur: tanto magis indignatus, quod herum quoque nugis ipſius commotum ſenſeram, clam ſellæ in qua ſedebat ſubrepo, & lento nodo pedem jus alterum menſæ alligo. Jam contubernalibus meis quid fieri vellem edixeram: quorum unus in cenaculum irrumpens, magna voce exclamat, *Ad ignem, ad ignem.* Omnibus (hero excepto, qui monitus fuerat) trepide ſurgentibus, exſilit Anglus quoque, vehementi cum impetu (ut erat prævalidus) menſam cum omni apparatu evertit, & parum abeſt, quin caſu crus ſibi fregerit; certe

Paraſiti inſulſi.

quomodo tractandi.

certe faciem totam ita vulneravit, ut ſanguinem undique ſtillaret. Tanto magis facinus hoc erat ridiculum, quod è contubernio noſtro deformis admodum æthiops cum æruginoſa accurrens bipenni, jacenti, & volutanti ſe ictum quaſi intentabat: quem ille diabolum exiſtimans, uti erat jam vino totus madens & quaſi extra ſe poſitus, Parce, exclamat, parce domine diabole, & propitius eſto mihi, Sic irriſus ultrò è domo ſe proripuit.

Et hoc quidem ſtrategemate muſca hæc cenipeta ex heri mei ædibus exacta fuit: cui quidem ipſe herus, clam tamen, mirifice applauſit. Equidem jam neminem qui malitia mecum certaret, invenirri poſſe rebar: verumtamen non multo poſt victum me ſenſi. Venerat ad herum miles Hiſpanus, habitu quidem ſimplici & non valde precioſo, ſed animo, uti ex ejus moribus ac geſtibus apparebat, elato, Ajebat, patriam ſibi eſſe Cordubam, nobiliſſimam Hiſpaniæ urbem, genus in primis ibi nobile, multorum ſtipendiorum militem. ceterum adverſa fortuna jam ita conflictari, ut aliena ope nunc plane indigeat. Hîc ſtatim herus numos aliquot aureos è pera depromtos, nec inſpectos aut numeratos, mendicanti

Milites glorioſi.

lar-

largitur. quibus ille acceptis, herum ſequi & incredibilibus nugis detinere non ceſſavit, dum prandii tempus adeſſet. Hero ergo in cenaculum ſe recipiente, menſæ & ipſe cum reliquis convivis aſſidet. Ego interim ad cibos inferendos egreſſus, duos alios ex eadem gente video. ceu harpyias herilibus dapibus inhiantes: verum ubi popularem illum ſuum conſpexiſſent, pedes continuo referunt. Quid hoc rei eſt, inquientes, quod nugator ille tanquam muſca omnes menſas circumvolitat? Accedo, & num nôſſent hominẽ rogo. Quid ni, inquiunt: cujus patris Cordubæ ſutoriam exercentis opera in veteribus noſtris calceis reſarciendis non ſemel uſi ſumus. O rem indignam! Ecce tibi, ſi viginti nobilis proſapiæ Equites ex Hiſpania in Italiam proficiſcantur, ſequuntur ſtatim centum, qui quamvis ex infima fæce plebis ſint, nihilominus nobis æquales eſſe volunt, adeoque à Gothis genus repetunt; ad Nobilitatem iis præſertim locis ubi nemo novit ſatis eſſe myſtacem intorquere, & pileum plumis opertum geſtare: licet ipſis leporibus ſint timidiores, & hoſtem numquam aſpexerint. His dictis, abierunt illi: ego vero tres iſtos unius & ejuſdem commatis eſſe animadverti.

Non hi muli mutuum ſcabentes?

Duos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Duos illos non poteram non tam levitatis quam iniquitatis damnare. Inhumanum facinus mihi videbatur infamare eum, qui honorem, ſine cujuſquam damno aut præjudicio venabatur: nec dubitabam quin æquè eſſent atque ille ignobiles. neque enim quiſquam generi ſuo ex alterius obſcuritate lucem fenerari poteſt. Alterius qui ad menſam ſedebat ſumma diſplicebat mihi impudentia: qui non contentus tam liberali dono, eum qui paucis aliis communicari ſolet honorem ſibiipſe ultrò arrogabat. Quare lubido me inceſſit ludibrio ipſum ductandi. Sed grus vulpem invitaverat: & qui deludere alium volebam, deluſum me ſenſi. Potum poſcebat non ſemel (ſic enim fert tam Hiſpanorum & Italorum, quam Gallorum mos, ut calices ſeu cyathi, non menſis, ſed abacis imponantur, & nonniſi poſcentibus præbeantur) ego vero averſis oculis nutum ejus negligebam, ut & reliqui minſtri à me edocti. Ille ubi ductari ſe animadvertiſſet, herum ita alloquutus eſt: Noli, quæſo, Domine, putare, temere à me aut arroganter factum, quod ad menſam tuam acceſſerim non vocatus. multa certe me excuſant. Primo perſonæ meæ conditio & generis nobilitas. deinde vitæ genus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quod ſequor, Militia ſc. quæ alumnos ſuos, præſertim non gregarios, ſed factis celebres, cujus vis Principis menſa dignos facit. Præſens denique ſtatus meus, & quæ jam me premit neceſſitas veniam meretur, cui quidem omnia ſunt communia: & ego ſane exiſtimem mihi meique ſimilibus hoſpitalitatem magnatum in primis paratam eſſe debere, eaque ultrò utendum. Rogo autem ut pocillatori illi tuo potum mihi præbere mandes: quem fruſtra non ſemel petii, ob linguæ & nationis peregrinitatem forte non intellectûs.

En confidentiam militarem.

Hic herus cum levi objurgatione juſſit ut homini potum miniſtrarē. imperium defugere non poteram. appono ergo cyathum, ſed parum admodum, & vino diluto: ut loro videretur plenū: ſed quia Hiſpanis etiam parum ſufficit, ad finem uſque prandii ſiccus ferè permanſit, cibis interim ventrem ſuburrans. Tandem ultimis allatis ferculis, ad Oratorem converſus, Cum tua, inquit, venia vado ut bibam. cum dicto ſurgens, abacum accedit, & arreptum quod ibi erat maximum poculum, vino mero implet, ac totum uno tractu exhaurit, inde multis verbis, ſed ſolitis tantum ceremoniis Oratori valedicens, abit. Hic herus meus riſu pænè emoriens, & nequitiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

meam, & hominis confidentiam miratus, Tui, inquit, Guſmane, miles hic ſimilis tuaque patria plane dignus eſt, ubi omnia fere cum oſtentatione quadam, confidentia & arrogantia fiunt.

Quum inde non de Hiſpanorum tantum, ſed aliarum quoque nationum moribus ſermo ortus eſſet, ejuſque jam convivas tæderet: nobilis quidam qui nuper è Galliis venerat, ad Oratorem converſus, Quia, inquit, cœlum pluvium domi nos detinet, ſi tibi grave non ſit, admirabilem hiſtoriam quæ paullo ante meum diſceſſum contigit, narrare vobis inſtitui. Quum & Orator & reliqui omnes annuiſſent, ita exorſus eſt.

Hiſtoriæ veræ ſub fictis perſonis narartio.

Cleon illuſtri inter Galliæ proceres loco ortus, tum omnibus tanto genere dignis ornatus virtutibus, bello in primis tam præclara virtutis ſuæ ſpecimina, ipſo Principe oculari teſte, ediderat, ut perfecti Equitis nomen quaſi peculiare ſibi acquiſiverit. Huic è Cleonice filius natus fuit, Floridanus nomine, omnibus tali fortuna dignis virtutibus nullo ſuæ conditionis inferior. Jam ante pater, ætatis beneficio rudem emeritus, conjugem amiſerat. Domum quæ ad Ligerim erat, reverſus, illam curam præcipuam habuit, ut filio

filio cum vicini, æqualis ſui, filia nuptias conciliaret. Is Lutetiæ tum erat, aulam ſectans, magnæ apud omnes exiſtimationis. Forte evenerat, ut quodam die dum in atrio Parlamenti (quod vocant) quo quotidie Nobilis juventus non tam agendarum cauſſarum quam ſpectandarum formarum gratia confluere ſolet, cum æqualibus ſermonem miſcet, inter alias virginem quandam velato vultu, ut ſolet in Galliis, prætereuntem conſpicaretur: cujus decorum inceſſum & habitum miratus, ô pulcram, inquit apud ſe, creaturam! quod ſi vultus ceteris reſpondeat lineamentis, equidem beatum illum dixerim, cui talis Charis obtigerit. Hanc equidem dignam putem cui Juno & Jupiter omnes ſuas opes tribuant. Defixis eam oculis proſequutus, ubi ad inſtitoris cujuſdam tabernam conſtitiſſe, & neſcio quid mercimonii licitari vidit; accedit, comiter & urbane ſalutatam, de patria, familia, domicilio, negocio denique quod in Curia haberet, percontatur. Illa detracto velo quo faciem texerat, ut erat & ipſa naturâ & diſciplinâ ad omnem elegantiam & leporem mirifice efformata, ad ſingula ita reſpondet, ut cujus animum prius rara vultus forma non leviter affecerat, jam modeſtia ac

decentiſſimi mores planè ceperint ac ſubjugârint. Quia vero dixerat, cauſſam ſe non levem habere quæ in Curia coram judicibus agitaretur, ejuſque ſollicitandæ ergo ad urbem veniſſe. Floridanus (id ei nomen erat) non ſuam tantum ſed & amicorum operam liberaliter promittit: quam etiam fideliter præſtitit, & favorabilem, ut loquuntur, ſententiam impetravit. Quum voti compotem puellam jam ad diſceſſum ſeſe accingere animadverteret Floridanus, accedit, ardentiſſimum ſuum amorem exponit, denique niſi morbo huic ipſa medicinam afferret, vivere diutius ſe velle aut poſſe negat. Lydia (id enim nomen puellæ eſſe volumus) ut erat non honeſta tantum & pudica, ſed prudens etiam, ipſi quidem præ omnibus aliis hominibus non modo ob beneficium præſtitum, verum multo magis ſingularem quem oſtenderet, quemque ipſa non mereretur amorem, obnoxiam ſe fatetur: tanti tamen honorem ac pudicitiam ſuam facere, ut vitæ quàm ejus jacturam facere malit: eoque rogare etiam, ut rationem ducem ſequutus amorem ab ea abſtraheret, quam, utpote nec genere, nec opibus parem, tali modo amare ipſi non liceret. Tu, inquit, è magnatum ortus es proſapia, & ma-

magnas opes poſſides, mihi nobile quidem, ſed ſimplex genus, nec divitiæ valde magnæ. Equidem pluſquam ingrata ſim, ſi præ cæteris omnibus hominibus te non in corde atque oculis feram, tibique gratificari cupiam: numquam tamen pudor meus (cujus omnes virgines præcipuam rationem habere debent) permittat, ut tam meo quam tuo ſatisfaciam deſiderio. Patere ergo, quæſo, ut te amem tanquam benefactorem. amplius aliquid à me petere aut exſpectare noli. Facile enim ipſe intelligis, amplius aliquid gratificari tibi me non poſſe, niſi honorem meum meq; ipſam velim perdere. Hac tam prudenti ac caſta oratione magis accenſus Floridanus, in hanc ſententiam reſpondit: Abſit, mea animula, ut tibi id velim eripere, pro quo mille periculis caput hoc objicere paratus ſum. Amo te, fateor, & amore tuo potiri cupio, ſed non niſi legitimo. Quē ſi mihi promittis, ecce me tibi ſponſum. Ad hæc Lydia pæne obſtupeſcens; Equidem, ait, hoc quomodo fieri poſſit non video. neq; enim pater tuus umquā aſſentietur. quod ſi clā matrimoniū contrahamus, juſtam tam de me quam de te conquerendi cauſam præbebimus. At Floridanus, ut ſecuro eſſet animo, reſpondit. Sibi curam hanc relinqueret, cui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

jam ſatis idonea proviſa ſint remedia. Præfectum habebat Floridanus Gardam nomine, quem amor hic non latebat: ſed tantum abeſt, ut ei ſe oppoſuerit, ut etiam faverit. in quo utilitatis reſpectu vinci ſe paſſus eſt. Videbat enim herilem filium jam in juvenili ætate conſtitutum, quæ diſciplinam fere aſpernatur. tum amoris vehementiam non ignorabat, cujus ignis facile quidem concipitur, ſed difficillime extinguitur. Quid ergo faceret? Repugnaretne? At veritus, ne malam apud juvenem iniret gratiam, & inſuper tam diuturni quo apud eum functus fuerat miniſterii fructum ſimul ac ſemel perderet; connivendum ſibi duxit. Male profecto. Si namque patri juvenis rem omnem indicâſſet, procul dubio ea fuiſſent adhibita remedia quibus iis quæ poſtea evenerunt, calamitatibus obviam iri, aut aditus præcludi potuiſſet.

Non multo poſt domum revertitur Lydia: quam Floridanus ad domicilium uſque comitatur: inde nemini notus, Lutetiam revertitur, Gardæo vero negocium dat puellæ in arcem ſuam quam in Arvernis à patre donatam habebat deducendæ. Illa convaſatis domi rebus ſibi chariſſimis, inſciis parentibus omnibuſque aliis, ad condictum locum

adeſt.

adeſt, & à Gardæo duobuſque miniſtris ad deſtinatum locum deportatur. Hoc nuncio accepto, Floridanus, qui interea Lutetiæ multas pretioſas veſtes, & quidquid ad muliebrem ornatum pertinet coëmerat, propere & ipſe in Arvernos proficiſcitur, & vocato Sacerdote, Lydiam ſibi deſponſat: quæ interim à parentibus & cognatis, quid eâ factum eſſet ignorantibus, anxie admodum quærebatur. Quid ego primos illos amores memorem! quorum fructus utrique tam dulces erant, ut vix horam alter ſine altero vivere poſſet: nec quidquam utrumque tam cruciabat quam quod Floridanus nonnumquam ad patrem excurrere cogeretur: quod tamen rarò admodum faciebat. Vix annus abierat, quum ecce è Lydia pulcrum Pamphilo noſtro natum filium, quem Gentianum appellabimus. Dum illi amoribus remiſſis habenis, indulgent, ecce Fortunam tantæ felicitati invidentem. Mel hactenus utrique pro cibo fuit, nunc nil niſi fel erit.

Magnum tum bellum rex contra vicinum Principem parabat; ad eamque expeditionem pleraque Nobilitas certatim confluebat. Quocirca Floridanus quoque maxime probroſum ſibi fore ratus, ſi Rege bellum foris gerente, domi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ipſe deſideret; & myrtum ſeu amorem lauro præferret. Id ejus conſilium quum intellexiſſet Lydia, dici non poteſt quanto mœrore correpta fuerit, quantam lachrymarum vim effuderit, quæ ſuſpiria, quot gemitus ediderit, ut cui tam dulcis amoris diſtractio ipſa morte acerbior futura videretur. ſed quum fruſtra repugnaturam ſe iis quas Floridanus afferebat rationibus animadverteret, acquieſcit & ipſa. Mox ergo Floridanus ad expeditionem ſeſe accingit, Lydiæ vero omnibus de rebus quibus opus eſſet, largiſſime proſpicit, ejuſque curam Gardæ quam diligentiſſime commendat, promittit liberaliter, Garda viciſſim fideliter mandata obiturum ſacramento ſeſe obſtringit. Profecto Floridano, Garda ad Cleonem iter ſuſcipit; quæ opiniones, quæ ſuſpiciones aut ſermones de heri eſſent amoribus, expiſcaturus. Rem quidem ipſam uti erat ignorabat Cleon, rumuſculis tamen nonnullorum intellexerat, filium ſuum in Arvernis neſcio quam amicam habere. quominus vero ea quæ oportebat adhiberet remedia, quum loci natura, tum filiæ omnes aditus cuſtodia firmantis diligentia prohibebatur. Sed nec filiũ, qui unicus ipſi erat, irritare volebat. Ubi ad Cleonem venit Garda, ille ſic infit: *Numquam ego putavi, Garda,*

te com-

te commiſſam tibi præfecturam ita uti feciſti & adhuc facis, adminiſtraturum. E multis te filio meo moderatorem elegi; quem non prudentem modo, ſed & honeſtatis atque virtutis ita amantem arbitrabar, ut ne tranſverſum quidem unguem ab eis abripi te paſſurus eſſes. Sed intelligo te, qui reniti debebas, ſtultis ejus cupiditatibus ſubſcribere atque ancillari. hiccine fructus eſt quem de tua mihi diſciplina atque educatione filii promiſi? qui parum abeſt, quin ex magiſtro ſeu Præfecto lenonem te feceris. quam quidem notam fronti tuæ inuſtam nulla umquam oblitterabit dies.

His verbis ad vivum uſque animum pungi ſibi ſentiens Garda, ſic contrà reſpondit: *Magnam profecto injuriam mihi facis here, qui de me ita ut dicis ſentias. Verba illa ſi quis alius meæ conditionis protuliſſet, vitam centies perdere malim quam ultionem negligere. Filium tuum ad omnem virtutem ut informarem nihil prius habui. Et ſane res ipſa teſtatur: ut in quo omnes eæ dotes excellant quæ genere ipſius & conditione dignæ ſunt. Quod ſi amore abreptus eſt, cauſſa mihi certe adſcribi nullo modo poteſt aut debet. Te quidem quum ea eſſes ætate non ambigo ipſum quoque affectus hujus vim expertum eſſe. Id equidem pro vero tibi affirmo, Floridani amorem non prius mihi cognitum, quam ille me velut teſtem accivit, meque præſente honeſtam filiam per Sacerdotis manum ſibi deſponſavit;*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quam etiamnum amat quam ardentiſſime, pulcerrimi ex ea ſibi nati pueri matrem. An lenoniam tu appellas id quod legitimo, ab Eccleſia præſcripto modo, ſummo utriuſque conſenſu factum eſt? an meum erat ſeparare quod DEUS *conjunxerat?* Multa alia excuſare volentis orationem, ad matrimonii nomen obſtupeſcens, interrupit Cleon, *Ergo*, inquiens, *filius meus neſcio me matrimonium contraxit? & quidem cum diſſoluta & vilis conditionis filia? O cœlum, ô terra! Audion' hæc ego, & vivo! Huccine ſpes meæ de filio in ampliſsimas opes & familiam noſtro genere dignam elocando redierunt! Ah, Garda, Garda, tantam rem me celare non oportebat.* Tum Garda, facere id ſine vitæ periculo non potuiſſe, dicens, ſubjecit, ſi gratũ Cleon id habiturus & dignè remuneraturus eſſet, velle ſe mulierem illam amoliri & eò ablegare ut nomen ejus numquam poſthac ad ullius notitiam eſſet perventurum. Hic Cleon aureos montes pollicitus, Gardam maximopere obteſtatus eſt ut effectum hoc ſibi daret: de miſera quid fieret ſuſque deque habens. Hoc cum propoſito perfidus ille diſcedens, poſtquam ad conſuetum pervenit domicilium, pullo amictu indutus Lydiam acceſſit, & non ſine lachrymis, *Hei, hei,* inquit, *ô hera, quantam jacturam uterque*
feci-

ſecimus, tu marito, ego hero incomparabili ſpolitaus! O caſum lamentabilem! Floridani in prœlio interemti mors utriuſque noſtrûm ſpem omnem ſecum abripuit. Hoc nuncio conſternata Lydia, totiſq; ſenſibus alienata, ubi paullum ad ſe rediit, ea verba protulit quibus etiam ipſas, ut ita dicam, rupes ad commiſerationem commovere potuiſſet. *Ah, ah,* inquit, *me miſeram ac ter miſeram! ſiccine à fortuna ad tam altum dignitatis gradum elevata ſum, ut tam cito inde in deſperationem atque ipſum exitium deturbarer! Quid enim uſpiam mihi ſalvi reſtat, amiſſo unico ſalutis meæ fulcimento? Ad cognatoſne redeam? quos tam indigne reliqui? Erit qui præ indignatione aſpicere me non ſuſtinebit: alii mihi meæque fortunæ illudent. Ibon' ad Floridani patrem? Is vero non aliter me quam pro impudica habebit; nec ut filii uxorem tractabit, ſed ut ſcortum perſequetur.*

Inter hæc lamenta rurſum animi paſſam deliquium Garda cubiculo inferri lectoque imponi curavit, ubi illa ploratu & lamentis omnia implevit. Atque muliebres hi erant ejulatus: quem ſexum neſcio quis uno oculo flere, altero ridere ait. nec abſurde ille, qui mulierum tam dolorem quam amorem animalculis illis comparat, quæ Ephemera vocantur, quod unum tantum diem vi-

vant, Lydiam poſt multas lacrymas nequicquam effuſas, & mortem, omnium miſerorum aſylum, ſæpe fruſtra invocatam, Garda accedit, & variis ultro citroque habitis ſermonibus, nefarius proditor ſic eam alloquitur: *Scis, hera, quæ à morte abripiuntur omnia ad nos numquam reverti. Quocirca nequaquam mihi jam tempus videtur, ut communem calamitatem commiſerando, ſuſpiriis & luctu medullas ipſoſque ſpiritus conſumamus, ſed potius ut rebus noſtris quam poterimus optime conſulamus. Floridanus in vivis amplius non eſt, qui antehac neceſſitatibus noſtris proſpicere ſolebat. Ego hero optimo, tu marito, & inſuper omni ſolatio ſubſidioque deſtituti. Falleris ſi Floridani nuptias honori tibi fore putaveris, quarum veritati nemo fidem habebit: immò hæ ipſæ præſentiſſimum tibi apud Floridani patrem & totam cognationem periculum creabunt. Quid ergo aliud reliquum erit quam ut à tuis & à mariti cognatis indigniſſime tracteris? Quod ſi me audire velis, conſilium tibi dabo quo reliquum vitæ ſi non tam ſplendide, at ſaltim tranquille poſſis exigere. Virtutes ego tuas tanti facio, ut ſi me ſponſum non dedigneris, non maritum me modo, ſed & miniſtrum habiturus ſis, priſtini quem tibi ut heræ meæ libentiſsime ſemper præſtiti honoris memorem. Nec tam abſurda hæc mea tibi peti-*

petitio videbitur, ſi præſentem ad quem jam redacta es ſtatum cum mea conditione compararis. Nobili ſum ortus proſapia, reditusque mihi ſunt annui bina florenorum millia. Hinc ſi nobis deſcedendum ſit, in Pictonibus, quæ mea patria eſt, quod utrique reliquum eſt vitæ tam jucunde exigemus quam miſere nunc vivimus. Ad hanc perfidi hominis orationem non inveniebat quod reſponderet Lydia. Hinc menti obverſabatur tam recens, ut illa putabat amantiſſimi ſimul & ſplendidiſſimi mariti jactura: cujus ſi tam cito oblita, alteri amorem tranſcriberet, ſummæ levitatis notam effugere ſe non poſſe videbat. Filii inprimis, quem marito genuerat, & ad quem patri ſuperſtitem, divino & humano jure octogenûm florenorum millium annuorum hæreditas pertinebat, reſpectus ab ejuſmodi nuptiis avocabat. Econtra miſerrima in quam delapſam ſe ſentiebat fortuna, illud maxime quod vix ullas, aut certe contra tam potentes adverſarios debiles admodum rationes legitimi probandi matrimonii haberet, infeliciſſimam feminam ad deſperationem redigebat. Quum ergo ſpei aliquantulum in homine fido, uti putabat, & ſui amante reliquum animadverteret, ei ſeſe applicuit, & nuptiis conſenſit:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quæ mox accito proximi pagi parocho, & uno è domeſticis, cui Garda multum fidebat, celebratæ ſunt. Quid fit? Inſcendit heri ſui thorum miniſter, & fruſtra hactenus ſæpe optato tam eximiæ formæ amore potitur. Poſt dies aliquot, reſtincta jam aliquo modo libidine, perfidus homo Lydiæ narrat, intellexiſſe ſe, immò certò ſcire, Floridani patrem in eo totum eſſe, ut filii ſui concubinam, uti ipſe appellaret, captivam ſiſtat, quam præter domeſticum probrum, etiam neſcio quæ cimelia aliaſque res precioſas ſurripuiſſe criminatur. Quapropter ad evitandum tam præſens periculum nihil conſultius, immò neceſſarium ſibi videre, ut è loco qui poſt mortem filii in patris rediiſſet poteſtatem, aliò demigrarent. Eſſe ſibi, uti antea oſtenderat, in Pictonibus domicilium. eò ſequeretur. Quid faceret mulier, omni auxilio deſtituta? Annuit: & à marito, vel potius herilis lecti inſeſſore ad fratris domum deducitur. Exactis ibi diebus aliquot, Garda Lydiæ dicit, velle ſe ad Floridani patrem proficiſci, à quo non parum adhuc filii nomine ſibi deberetur: ſperare etiam non ſine inſigni dono, ob tam diuturnam præſtitam operam, ſe dimiſſum iri. ſimul Lydiam audientem fratri ejuſque uxori

com-

commendat, unice obſecrans, ut quam optime tractetur. At jam ante nequiſſimus homo fratri rem omnem, & quid fieri vellet, oſtenderat. Diſcedit Garda; abeuntem lacrymis proſequitur Lydia. Ille ubi ad Cleonem venit, rei præclare, ſcilicet, à ſe geſtæ, ſeriem exponit: quem complexus Cleon, magnaque lætitia perfuſus, liberaliſſime remuneratum à ſe poſtea dimiſit. Paullo poſt Gardæ diſceſſum frater quaſi totus attonitus prima nocte in cubiculum Lydiæ irrumpit. Ait certis indiciis ſibi compertum, lictores regios in proximo eſſe pago, à Floridani patre ut eam comprehenderent ſummiſſos. Quid triſtius, inquit, mea ſoror, accidere mihi poſſit, quam ſi te in tanta pericula tam turpiter captivam abduci videam! Contra vim, & quidem legitimi magiſtratus, tueri te non poſſum. Neceſſe ergo eſt ut tibi ipſa proſpicias. Quibus verbis tantum non exanimata Lydia, è lecto propere exſurgit, adfinis & hoſpitis fidem obteſtatur, ut conſilio & ope ſua miſeræ ſuccurreret; quid optimum factu exquirit. Ille actutum abeundum clamat: niſi hoc faceret, ſe illamque perditam. Multa cauſſantem, ignaram viæ locorumque, ſeminudam multa jam nocte extrudit homo immiſericors, conſilio

prius

prius dato ut in proximam ſylvam ſe reciperet: atque inde quò tutiſſimum putaret, iter meditaretur. Sic illa reliquum quod erat noctis extra omnem viam ac ſemitam, cæco pergebat itinere, jam crinibus auro certantibus, inter dumos & rubos adhæreſcens, jam niveos pedes ad ſaxa & quidquid obvium erat impingens, ut facie, ſuris, manibus fœdum in modum laceratis, vix quidquam priſtinæ formæ præ ſe ferret, & mortem vero voto centies ſibi exoptaret. Hoc modo Lydia non noctem illam modo, ſed & ſequentem diem per avia progrediens, ingruente jam nocte, è canum latratu non procul à villa quadam ruſtica abeſſe ſe ſenſit: ad eamque accedens, feminam videt oves ovili includentem. Adit, petit hauſtum aquæ. Ruſtica non ſine admiratione tam bellam formam è vultu quamvis lacero elucentem contemplata, Lydiam ſecum in caſam ducit, & eo cibo potuque qui in promtu erat, reficit. Pernoctat ibi Lydia, inter curas pænè ineffabiles, ſuſpira, lachrymas. Mane quum ne numulum quidem haberet, è veſte neſcio quid argentei ornamenti abſcindit, pro cena liberale pignus. Inde veſtitum quoque reliquum, qui à vulgari differebat, cum vili commutat

cen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

centunculo: eoque habitu ſtipem paſſim oſtiatim emendicabat. O ſtupendam fortunæ inconſtantiam! En quæ paullo ante principi viro nupta, in ſummis vivebat diliciis, jam nuda, famelica, anxia, etiam ruſticorum fores pulſat, vel tenuiſſimum miſerrimæ vitæ quærens ſubſidiolum! Quis tam ferreus eſt, quem tam indigni cauſus non miſereſcat? Credibilene eſt, tam teneram feminam tanta mala perferre potuiſſe? Sed vicit Dei metus & æternæ ſalutis reſpectus: ſine quo tam acerbam vitam vel millies ultrò projectura fuiſſet. Ite nunc qui præſentibus rebus fiditis: & quid brevi vobis fieri poſſit conſiderate.

Sic iterum in viam ſe dans, & jam huc jam illuc, quaſi inſequentibus à tergo lictoribus deflectens, poſt varios errores ad Lavallum arcem venit, & reliquæ mendicantium turbæ immiſta ante portam ſtipem exſpectat. Forte fortuna ipſa arcis domina à deambulatiuncula rediens, quum Lydiam vidiſſet, alloquitur, percunctatur, quæ & cujas eſſet. Reſpondit illa, Picardiam ſibi eſſe patriam. Religionis ergo peregrinationem cum marito ſuſcepiſſe: quo in via amiſſo, ad eum in quo jam miſera verſaretur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſtatum redacta eſſet. Domina feminam hanc multo diligentius contemplata, & neſcio quid occulti decoris & moris in ea deprehendens, rogat, num mediaſtinæ operam præſtare vellet. Accipit conditionem Lydia, & in arcem recepta, viliſſimis obeundis miniſteriis fidem ac diligentiam ſuam, honeſtis moribus decoratam ita omnibus probat, ut à nemine non meliori fortunâ digna judicaretur. Erat inter Heroinæ miniſtros ſenex quidam, viduus, cui quod pro fortuna ſatis amplum haberet, peculium, argenti ſervandi cura erat credita. Etſi vero Lydia formam ſuam non ornare, ſed datâ operâ negligere atque adeo deturpare ſolebat: vitare tamen non poterat, quin radios quoſdam priſtinæ venuſtatis è vultu ſpargeret; quibus percuſſus ſenex ille, miro in eam amore exarſit, nec prius deſtitit quam hera Comitiſſa permittente, Lydiam uxorem duxit. Ecce tibi unam feminam, jam tribus adhuc inter vivos agentibus (de Floridano ſecus exiſtimabat Lydia) nuptam. O inconſtantem & in horas mutabilem ſexum! Poſſunt ſecundæ illæ cum Garda nuptiæ excuſari quodammodo, ut pote ex falſa perſuaſione de Floridani morte, adeoque ab ipſa quaſi neceſſitate contractæ: at tertiæ

nullo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nullo modo poſſunt. Paucos poſt dies Lydia ex animi mœrore (ut cui tam ſuperioris vitæ recordatio, quam præſentis tædium ipſum pectus effodiebant; tum inprimis pericula quæ ipſi à Floridani patre imminerent, ob oculos continuo obverſabantur) in morbum incidit, eoque cibum fere omnem potumque reſpuens, tandem confecta exſpiravit. Ubi vero morti vicinam ſe ſenſit, maritum rogavit ut Heram accerſeret. habere ſe magnum aliquod ſecretum quod in ſinum ejus lubenter vellet deponere. Promte obſequitur nobiliſſima ſimul & humaniſſima Heroina: cui remotis omnibus arbitris, Lydia genus ſuum, parentes, Floridani amorem, matrimonium, omnemque ſuperius deſcriptæ hiſtoriæ ſeriem exponit, magnam vim lachrymarum ex commiſeratione & humanorum caſuum conſideratione effundenti. Lydiæ mortem Comitiſſa moleſte admodum tulit; at ſenex ille tantum inde mœrorem concepit, ut paucis diebus ipſi ſuperſtes fuerit.

Dum hæc fiunt, Floridanus è bello ſummâ cum gloriâ revertitur. atqui Laurus hæc mox in Cypreſſum mutabitur. Arcem ingredienti quum ſolus Garda cum paucis domeſticis occurreret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ret, ſtupefactus, rogat de uxore & filio. Garda compoſito ad triſtitiam vultu, Filium ait bene valere (is alibi educabatur) ſed uxorem ultimum Naturæ tributum perſolviſſe. Tam inopinato ictu attonitus Floridanus, parum abfuit quin ipſo in veſtigio animam efflârit: certè aliquamdiu velut ſtatua immobilis conſtitit: mox paullum recepto animo, oculis in lachrymas ſolutis, acerbiſſimum ſuum dolorem miſerabilibus verbis & gemitibus teſtatus eſt. Verum conſiderans ut mortis imperium inevitabile, ita querelas omnes fruſtraneas eſſe, defunctæ exſequias rite celebrari juſſit, totique domui luctum indixit; quem Garda præ cæteris nequiter oſtentabat. Sed veritus ne perfidia ſua deprehenderetur, ſimulans ſe aulicæ vitæ pertæſum, miſſionem petiit & impetravit, præter ſalarium, luculento accepto dono. Gardâ ad Pictonas profecto, è Floridani miniſtris unus, cui totam rem Gardæ pediſequus aperuerat, herum ſeorſim nactus, abſurdum eſſe ait vivos tamquam mortuos lugeri: ſimul quæ ab illo didicerat, inprimis quæ inter Floridani patrem & Gardam acta eſſent, exponit. Nihil magis mirabile Floridano viſum, adeo ut initio fidem habere vix poſſet. Perpenſis omnibus,

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

cum quinque aut ſex miniſtris bene armatis in viam Pictonas verſus ſe dat, miſeram illam, qua tamen nihil in Mundo charius habebat, velut alter Orpheus etiam apud inferos inveſtigaturus. Poſt dierum aliquot iter, eò ubi Gardæ frater habitabat, venit. percontatur, ubi frater, & quid ea muliere quam frater ante menſes aliquot eò deduxiſſet, factum eſſet. Reſpondet ille, neſcire ſe quonam locorum frater eſſet profectus. mulierem quandam ad ſe à fratre adductam; verum illam, ſe maxime invito, poſt fratris diſceſſum, & ipſam diſceſſiſſe, nec poſtea quidquam de ea reſciviſſe. Tum Floridanus, O peſſime proditor! Mori peſſimo me letho malim quam ut à te ac fratre ſupplicium non ſumam. Inde vicina omnia loca obequitans atque adeo angulos fere omnes excutiens, tandem ad eam caſam delatus eſt in qua Lydia profuga pernoctarat. ex anu ruſtica non dubiis ſignis miſerrimam chariſſimæ ſuæ uxoris fortunam cognoſcit. unde tanto magis incenſus, inquirendi nullum finem ſibi facere ſtatuit, donec eam vel inveniſſet, vel quid ea factum eſſet comperiſſet. Sic ad Lavallum arcem (cujus dominum cognatione ſeu affinitate attingebat) delatus, quantum poterat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

terat, ſe genusque ſuum, ut antea ubique celans, dum commune jam ingreſſurus eſſet diverſorium, Comitem obvium habet, qui è primaria Nobilitate aliquem eſſe facile conjiciens, quaſi invitum ſecum in arcem deduxit. poſt cenam, dum varii ultro citroque habentur ſermones, Comitiſſa tandem quid nuper in ſua arce acciderit,ſicque totam Lydiæ hiſtoriam non ſine lachrymis narrat. Floridanus audiens hæc, hancque illam ipſam quam quæreret Lydiam ſuam eſſe nihil dubitans, tanto mœrore fuit correptus, ut ſenſu ferè omni fuerit defectus. Accurrunt omnes, neſcii quid homini accidiſſet:refocillatum erigunt. Ad ſe paullum reverſus, ex imis præcordiis ducto gemitu, voce triſti & ſubmiſſa ſic murmuart potius quam loquitur: *Ah crudelis mors, quæ mihi eripuiſti id quod in terris habui chariſsimum, & quod tanto cum labore & dolore quæſivi! ades, inquam, ô mors, quidquid reliquum habes crudelitatis in me exerce.* Ex quibus verbis Comes Lavallius ejuſque conjux demum intellexerunt, Floridanum ipſum eſſe hunc ſuum hoſpitem: eoque nihil quod ad eum conſolandum ullo modo pertineret, omiſerunt. Sed profundius hoc erat vulnus, quam ut tam facile coiret. Et facile cogitari poteſt quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quam diverſis affectibus animus ejus fuerit diſtractus : dum ſceleratam Gardæ perfidiam & proditionem, dum Lydiæ tam facile aliis conſentientis nuptiis credulitatem atq; etiam levitatem, dum patris inhumanitatem, dum miſerrimam chariſſimæ uxoris fortunam in qua paullo ante diſceſſerat, animo revolvit. Quare à loco ipſo tamquam peſtilenti abhorrens, actutum equum inſcendit, nec ullis Comitis & Comitiſſæ precibus exorari potuit ut vel noctem illam ibi maneret. Tota nocte facto inter ſuſpiria, gemitus & lachrymas itinere, albeſcente cœlo in diverſorio paullum quieſcit : inde Lutetiam, & vetus quod habeat hoſpitium ingreſſus, totum ſe dat luctui, omnes eos averſans qui mœrentem conſolari vellent; identidem exclamans : *O crudelis pater! An putaſti bene te mihi facturum, ſi mihi id quod meipſo mihi erat charius eriperes? Voluiſti ſcilicet familiam nuptiis meis ut putas, digniorem quærere : ſed illud non conſideraſti quantas vires habeat Amor, qui quidem animum meum ita occupavit, ut vita mihi citius eripi poſſit. Quid jam hæc ſollicitudo tibi proderit? Id ſcilicet ut poſthac numquam videas eum pro quo tot tantaſque per omnem vitam curas exantlaſti. Tu vero* (inquit, ad Gardam converſa oratione,) *nequiſſime*

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

& perfidiſſime, qui thalamum meum inſcendere, & chariſsimam mihi conjugem quam obſervare, colere, revereri debebas extremis calamitatibus, & miſeriis proſtituiſti, quid tibi nunc animi eſt? hoc quidem uno nomine mors mihi acerba eſt, quod ante vitæ meæ finem non licet in te ſtatuere ejuſmodi juſtæ ultionis exemplum quod ad poſteros quoque ſit memorabile. Sed eſt Deus qui meas partes aget, qui meritas tibi pœnas infliget. Mox Lydiæ nomen inclamans, *O te*, inquit, *miſerabilem! ô nimis credulam! An tu amorem tuum aliis tam cito tranſcribere potuiſti? ſed ô quondam chariſſimum mihi caput! te quidem ego excuſatam habeo. Tantæ erant illæ quibus oppreſſa fuiſti miſeriæ, ut vel conſtantiſsimum virum ad deſperationem redigere potuiſſent, nedum eam feminam cui in toto Mundo ne umbra quidem ſpei aut ſolatii reſtabat.*

Dum ita mœrori ſuo indulget Floridanus, nec ullam admittit conſolationem, brevi tempore tantam corporis maciem atque imbecillitatem contraxit, ut vix ulla longioris vitæ ſpesupereſſet. Medici quidem corpori reficiendo adhibent remedia; ſed interno animi dolore omnem medicinam reſpuente, triſtis anima è corpore evolavit. Patre Floridani, ad quem mors filii citius quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quam morbus perlatus erat, tantum & ipſe mœrorem concepit, ut minime diu filio fuerit ſuperſtes. Garda Floridani morte lætus (ſupplicium namque ſi ille ſupervixeſſet, evadere non poterat) totam hiſtoriam ſcripto conſignatam paullo ante vitæ finem filio ad Floridani filium (optimis artibus eruditum, & Tarbenſem poſtea Epiſcopum) jam morti vicinus perferendam dedit: qui morte in proximo diverſorio interceptus, hoſpitem ſubdelegavit. Quæ res poſtea ad probandam Nalium ingenuitatem Floridani filio unicè profuit.

Super hac non ficta ſed vera hiſtoria variis ortis judiciis, convivæ tandem diſceſſerunt: ego vero ſingula ita notabam, ut ex hoc uno rerum humanarum varios caſus & viciſſitudines animo quaſi inſculptas haberem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT II.

Narrat Guſmanus quibus in rebus Oratori hero ſuo operam præſtiterit. Diſſerit de ſcurris & aliis voluptatum miniſtris.

SIc eſt. Potentiæ & divitiarum tumor, Virtutiſque in pleriſque hominibus defectus faciunt ut bene & utiliter præſtitis operis gratia non referatur; blandis & dulcibus verbis, quamvis falſis ac ſæpe pernicioſis referatur. Quid cauſſæ? Prius illud deberi ſibi beatuli noſtri exiſtimant; in altero gratiam ſibi fieri ſciunt. quia enim ea ſibi tribui audiunt, quorum minime ſibi ſunt conſcii (virtutes puta, & quidquid aliud eſt laudabile) facile ea in acceptum referunt, adeoque præſenti pecunia remunerantur. Hîc mihi in mentem venit optimi Imperatoris M. Aurelii (vel potius, ut ego judico Antonii Guevaræ) querela, Eò, inquientis, *Mundi dementia & corruptela progreſſa eſt, ut quemadmodum viri graves cordatique dedecori ſibi vanorum hominum converſationem ducunt; ſic Principes ac Magnates magnificum ſibi putent, ſi in aulis ſuis Sannionem nugatorem habeant. At ſanè ſi hic ſubſiſteretur, ferendum*

dum ut cumque eſſet. Sed quid dicemus, quod nonnunquam tam vani domini, & tam ingenioſi Sanniones ſunt, ut magis ſolliciti domini ſint quomodo illis ſatisfaciant, quam illi quomodo dominis ſerviant. Fit etiam hoc quod minime omnium oportebat, nimirum ut ex illo hominum genere aliquis novitius majorem in aula licentiam habeat quam aulicorum ullus aut miniſter pervetus. Non credis hoc? Perluſtra omnes fere aulas: & veriſſimum deprehendes. ubi nihil uſitatius quam artes paraſiticæ. quarum ſi ignarus ſis, apage. tibi hic nec ſeritur, nec metitur. Placentinis locus eſt, non Veronenſibus. Fit hoc humani vitio ingenii, ut ſicut nobis ipſi adulamur, ſic adulatores libenter audiamus. Adulatores verò appello hic non eos qui pravis conſiliis Principes ad ſcelera & vitia impellunt; ſed qui vel linguâ, vel aliâ operâ dominorum voluptatibus ancillantur. Equidem tam agreſtis non ſum, ut hoc genus omnes procul à Magnatibus habendos putem. quin etjam aliquando neceſſarium eſt & utile hoc hominum genus: adeo ut facetus aliquis Sannio pluris ſit quam gravis ac tetricus Conſiliarius. Per jocum ille nonnumquam dicit quæ alter cogitare vix auderet. Et altius fere in animum deſcendunt quæ jocularitur quam quæ

Moriones ad quid utiles.

ſeriò dicuntur. Nec vero exiſtimare debes, difficilius eſſe hujus quam illius munus. Mihi crede, minor eſt, omnis corporis labor eo qui in inveniendis verbis aliiſque modis Principes ac Magnates oblectandi collocatur. ſed & utcumque quis artificio hic contendat, fruſtra erit niſi ab ipsâ naturâ & genio adjuvetur. Non verborum tantum cura habenda eſt; ſed & attemperanda vox, vultus, omnes denique mores & geſtus.

Qui ſales grati.

Adeò verum hîc illud eſt: *Duo quum dicunt idem, non eſt idem.* Dicet unus aliquid: riſu crepabunt omnes. dicet alius: frigebunt, immò nauſeabunt. *Tu nihil invita dices facieſve Minerva.* Sed maxime omnium ſunt inſipidi & infaceti diu ante excogitati ſales. Qui aures animoſq; audientium lepido aliquo dicto aut facto oblectare volet, tamquam gladiator in arena conſilium capiat neceſſe eſt. Qua de re famoſi hominis audi verbum. Toleti duo erant hiſtriones ſeu Mimi, mira agendi dexteritate pænè pares. Uni Manzano, alteri Ciſnero nomen. Hic illi, Vides, inquit, Manzane, cujuſmodi artifices habeamur. Quid ſi Rex fama noſtra excitatus, ad ſe nos vocet? id ſi fiat, & uterque noſtrûm ad Regem fuerit introductus, iſque interrogârit, Tune Manzanus es, an Ciſnerus?

tuque

tuque Te eſſe reſponderis (ego enim ne verbum quidem dixero) idem procul dubio ſubjiciet: Ergo lepidum aliquod dictum depromite. Quid tum, quæſo, nobis dicendum aut faciendum putas? Egon' inquit Mazanus. nihil quidem aliud ille ex me audiet, quam ova nondum cocta ſeu frixa eſſe. illud ſcilicet innuere voluit, omni carere lepore ac gratia quæ intempeſtive dicuntur aut fiunt. Tanto vero major mihi adhibenda cura ac ſollicitudo erat, quod etſi ingenio eram promto & verſatili, litteris tamen & eruditione vix leviter tinctus, nec ullo fere rerum uſu imbutus eſſem. Latinam quidem linguam ut in Cardinalis prioris heri mei domo brevi tempore & facile didiceram, ita multo breviori tẽpore & facilius poſtea ſum oblitus. Illud caput meorum erat malorum, quod florentem ætatem in tam vili & nihil olim profuturo miniſterio conſumebam. Sed præſentibus capiebar, futurorum ſecurus. In veſtitu, victu laute habebar. ex omnibus domeſticis apud herũ nemo plus poterat. Portæ inſtar erã, per quam quaſi ſolam ad heri amicitiam patebat aditus. Unde tibi, quæris, tantus favor, præſertim nullis fere bonis inſtructo artibus? Quaſi vero bonis tantum artibus dominorum favor colligatur! ni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Quibus Magnates faveant.

hil vidi minus. Quid melius, quid honeſtius veritate? Atqui *Veritas odium, obſequium amicos parit.* Famulabar ego heri cupiditatibus, ſimul & meis. Celebs ille erat, firmæ & robuſtæ ætatis, in omni rerum abundantia ad omnem hilaritatem pronus. nihil mirum ſi amoribus paullo licentius indulſerit: ad quos conciliandos me uno proxeneta utebatur. Verum quidem eſt nonnumquam apud honeſtas feminas virgineſque, quarum amores ſollicitabam, ejuſmodi repulſas paſſum, ut exiſtimationis ſuæ memorem à tam turpi miniſterio avocare merito debuerint; quò etiam ipſa me incitabat conſcientia: ſed vicerunt neſcio quomodo gratificandi hero ſtudium, & prædæ, in quam nonnumquam veniebam, ſocietas. Deperibat herus meus amore nobilis cujuſdam feminæ, Fabiæ nomine: quem ſuum affectum quum mihi aperuiſſet, rationes mecum inire cœpi quibus eum voti ſui compotem facerem. Commodiſſimum viſum eſt, ſi ad ancillam Fabiæ animum ego adjicerem, eamque in partem curæ & laboris aſſumerem. Quod quum ex voto ſucceſſiſſet (neque enim ad ſæpius ante captum opidum validus aries admovendus erat, quod ultrò quaſi in meã venit ditionem) incredibile eſt quanto ſtudio,

Modi expugnandæ pudicitiæ.

quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quanta aſtutia peſſima puella heri mei cauſſam egerit. Jam ipſa Fabia, etſi nec verbo, immò ne nutu quidem ullam turpis obſequii ſignificationem dederat, eo tamẽ male audiebat, & fere digitis oſtendebatur, quod vicini quotidie me ædes ipſius quaſi obſidentem viderent, meque lenoniam apud herum agere non ignorarent. Tanto vero facilius locum inveniebat ſuſpicio, quod virum provectæ jam ætatis nec facultatibus admodum abundantem, eoq; parcum & reſtrictum haberet. Indignabatur quidem illa, ſiniſtris pudicitiam ſuam, qua nihil charius ac precioſius habebat, differri rumoribus ſentiens; nec famam jurgiis, conviciis, vociferationibus aut aliis ſimilibus modis, refutare, ſed aſtu potius ſimul & me amoliri & innocentiam ſuam oſtendere ſatagebat. Victam ſe ſimulat. Nicolettam (id ancillæ nomen) monet ut hanc ſuam mentem mihi aperiat. Quid utroque noſtrûm lætius? Scutatis aliquammultis oneratam à ſe Nicolettam dimittit herus: mihi benignè promittit. Condixerat mihi Fabia certum locum & tempus, quibus mecum de modis obſequii hero præſtandi ageret. at ter ad minimum vadimonium deſeruerat, me fruſtra præſtolantem ludificata. ſed quum illa ſemper neſcio quid præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

texeret, fraudem non ſentiebam: quam tamen iis quæ alibi mihi acciderant monitus, merito olfacere debebam. Sed ſerò ſapiunt Phryges. Die maxime pluvio ad colloquium invitârat me Fabia. Nox erat illunis, viæ cæno ita oppletæ ut vel ocreatus eluctari vix poſſet. Nihil tamen impedire me poterat quominus vadimonium obirem. Sic ergo totus madens in denſiſſimis tenebris manu explorans iter, & caput parietibus hic ibi impactum, tuberibus plenum referens, ad condictum venio locum. Experiundo tum didici, nullam rem tam difficilem eſſe, quin facilis fiat, ſi lubens eam facias. Sed humani vide perverſitatem ingenii. Egone in re laudabili tantum laboris ac tædii exhauſiſſem? Vix profecto. nunc quum male faciendum fuit, omnis mihi levis viſus fuit labos. Ad datum à me ſignum, quum ſtillicidio inſuper, ſub quo ſtandum mihi erat, veſtes omnes perpluerent, tandem Nicoletta occurrit: cujus vocis flatu totus jam ſiccatus mihi videbar. Non multo poſt adeſt quoque Fabia, ancillam diſcedere, & domum, herum inprimis, dum ipſa mecum loqueretur, obſervare jubet. Uſitatis in ejuſmodi congreſſibus, ſalutandi & percontandi formulis defuncti ego illi meam

Vide primã partem.

Prava ſuavia.

meam benevolentiam, heri amorem expono; illa, gratis humaniſſime actis, totam ſe in ipſius poteſtate fore promittit: Ego quum præmeditata oratione magis ipſam incitare exorſus eſſem, illa loquentem interfata. Quam vereor, inquit, mi Guſmane, ne quis domeſticorum aut vicinorum ſermoni noſtro ſit arbiter. Tu, quæſo, interim dum ego mihi ab inſidiatoribus caveo, & domum exploro, rectà hinc perge, & in conclavi quod invenies me exſpecta, brevi reverſuram. Cave vero ſi me amas, ne vel minimum excites ſtrepitum. Eo quò me juſſerat; ſed quum vix unum & alterum paſſum eſſem progreſſus, in montes velut quoſdam quiſquiliarum pedes lapſabundus, caput in haræ (hæc enim conclave illud erat) parietes impingo. Fetore offenſus, non diu ibi moror. egreſſus, illam ipſam portam per quam intraveram adhuc apertam video. Circumſpiciens omnia quantum in tam denſis tenebris fieri potuit, dubitare cœpi, num forte per tenebras à conclavi illo aberrâſſem: eoque denuo locum obire omneſque angulos explorare volui. regredior ergo; ſed aliâ viâ in angiportum quemdam delatus, pergulam ruinoſam invenio, in eaque locum alvo purgandæ deſtinatũ. Quid mihi tum animi

Aſtutiæ laudabilis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Timet omnia malus ſibi conſcius.

fuerit, facile quivis cogitabit. Celeriter mè inde proripio, per portam illam domum reverſurus. Sed clauſa jam erat. quare nihil aliud cogitatione mihi fingere poteram, quam ab aſtutiſſima femina inſidias mihi ſtructas; & mox maritum adfore qui me Venereum nepotulum & turpis amoris conciliatorem vel interficiat, vel probe depexum, ſemivivum dimittat. Inter has curas & anxietates (jam enim pluviarum, fetoris, aliaſque moleſtias vix ſentiebam) nocte illa exacta, mane apertæ ſtrepitum portæ audio. Stultus adhuc Fabiam ad me venire mihi imaginabar. Procedo inter ſpem metumque, dextra gladium, ſiniſtra pugionem tenens : ſed quum neminem vidiſſem obvium, recondito in vaginam gladio per portam erumpo: domumque reverſus, uvidis depoſitis veſtibus, in lectum me compono, madore & gelu confecta ac pæne emortua membra quiete & lecti calore refocillaturus. Jam illa me unicè torquebat ſollicitudo, quid hero proculdubio effeciſſem, & quo in ſtatu amores ſuí eſſent ſciſcitaturo reſpondere vellem. Verum ſi dicerem, paratas mihi videbam omnium voculas & vexationes. Negaremne? atqui jam Nicoletta ſcutatos aliquot, ut ſupra dixi, accepe-

Negotioſa res malitia.

ceperat: & verendum erat, ne herus meus id tantum à me actum putaret, ut argento ipſum emungerem. Sed res meaipſius opinione melius cecidit. Poſtquam enim ille me rogavit, cur quid à me cum Fabia actum, non indicaſſem: reſpondi, hinc inde commeantium tota nocte in platea illa tantam fuiſſe multitudinem, ut ante mediam noctem ad ædes Fabiæ propius accedere auſus non fuerim. tandem pulſanti mihi dictum, fieri nullo modo poſſe ut illa nocte ad heræ colloquium admitterer. Juſſit ille me urgere negocium, eique ſequentem noctem inſumere. ſed ego per valetúdinem me excuſabam: quam excuſationem ipſe vultus mei pallor probabilem faciebat. quare monitum ut valetudinem inprimis curarem, & quæcunque neceſſaria à ſuis peterem, cubitum me diſcedere juſſit. Tantam egó humanitatem verbis & geſtibus decenter remuneratus, priorum laborum, quod beneficium bene collocatum viderem, tanto facilius ſum oblitus. Vix alter dies illuxerat, quum ecce à Nicoletta adeſt puella, litterulas, ferens quibus ſcire cupiebat, quid cum hera ſua actum, quid impetratum eſſet. Erant in iiſdem verba quædam, quibus animus mihi non minus confundebatur quam pun-

Vis humanitatis & munificentiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

gebatur. Reſcripſi, venturum me illo ipſo die: obſervaret me eo quem deſignabam loco. Erat is ad poſticam ædium, in quibus Fabia habitabat, partem, angiportus, pervius ille quidem, ſed tam anguſtus ut alter alteri ſi forte occurrerent, vix poſſent cedere: tum ita cœnoſus, ſtercoribus, aliiſque ſordibus oppletus, ut vix à quoquam tereretur. acceſſerat prioris diei ac noctis pluvia; ut mihi quoque ad deſtinatum locum, unde cum Nicoletta commode poteram colloqui, pervenire difficile fuerit. Ubi illa me vidit, eadem quæ prius per litteras expoſtulans, cum ingenti admiratione quæ priori nocte accidiſſent ex me audit. Dum ſic tam de præteritis quam futuris verba ſerimus: ecce porcus grandis & craſſiſſimus, quem è vicino ſtabulo ſolum roſtro fodientem equiſo multis ictibus abegerat, tam repente in me NICOLETTÆ ſermoni intentam incurrit, ut non dato declinandi ſpatio (eſt enim animalis hujus ingenium ut non minus quam Terminus, Nulli cedat, ſed viam ſuam rectà pergat) divaricatis cruribus me inſidentem, & cadendi metu caudam tenaciter amplexum, multos paſſus abſtulerit priuſquam à tali equitatione expedire me poſſem.

Ridiculus caſus Guſmani.

Sic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Sic inſidens in ſordidiſſimum fimetum deferor, in quo ne dejicerer aut deciderem ſumma mihi cura fuit. equum ergo meum non calcaribus ſed pugnis quantum poſſum incito; ille roſtro mihi obverſo grunniens, Pegaſo velocior, nullibi conſiſtens, quacunque apertum videbat iter, pervolat. Quum interim plurima turba ad tale ſpectaculum occurriſſet, melius facturum me putavi, ſi deſultoriam facerem, & vel in medium cœnum me præcipitarem. Quod utinam initio ſtatim feciſſem, & quadrupedi me potius quam invidis & malevolis conculcandum ac differendum præbuiſſem! Metui ſcilicet ne veſtes commacularem; dum interim omnem de me exiſtimationem maculo, & toti civitati deridendum me propino. Sic è fimo ac cœno ægrè erepo, totus quantus quantus eram, ſordibus oppletus, ut modo è balenæ quaſi ventre in terram ejectus viderer. non oculi, non os, non frons apparebant. nihil vero tam moleſtum mihi erat, quam quod ab ingenti hominum multitudine, puerorum inprimis, cinctum me viderem, qui clamore ſuo me quacunque ibam proſequebantur, & ad inſaniam pæne redigebant. Certe parum abfuit quin tanquam alter Ajax

Infelicibus ludibria ſunt parata.

ſtricto gladio in pecora & in homines fuerim irruiturus. Sed continuit me ratio, qua monſtrante, ſubitò in domum quamdam irrumpo, & occluſis foribus, populi ludibrio me ſubduco.

CAPUT III.

Guſmanus fabula vulgo factus, Româ relictâ, Florentiam ſe confert. Ab impoſtore, cum quo in via amicitiam contraxerat, magna peculii parte ſpoliatur.

JAM dies abierat. Quum ergo ædium dominus, qui me hactenus ſub interiore porticu latentem, tulerat, adhuc morantem & de abitu nihil cogitantem videret; jurgio & conviciis domo me exegit: ne ſitulam quidem aquæ, abluendo vultui, à ſuis mihi porrigi paſſus. Plena adhuc erat platea caſum meum commemorantium, eique illudentium. Inter centum vix unus erat qui mei commiſeratione tangeretur. quin plerique ædium dominum inclamabant ut purum hominem quantocyus ejiceret: adeoque nonnulli lapidibus

Jacenti homines plerumque inſultant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

bus fores impetebant. Ego interim cultro de veſtibus quod poteram cœni ac luti abradebam. ſed nihil hoc erat. Fimi enim loquor non interiorem tantum veſtem, ſed & ipſam cutem mihi irrigarat. illud tamen lucri feceram, quod interea humor è veſtibus aliquantum exſtillarat. alioqui enim per plateas incedens ſimilis futurus eram illis linteis quæ ad ſolem ſiccanda, jam jam ex ipſo aquali depromta exportantur. Hoc modo egreſſus, caput pallio involvo, & celerrimo gradu aufugio. nec tamen illudentium mihi dicteria effugere poteram. nec pueri tantum clamoribus ſed & canes, parvorum illud inprimis peſſimum genus latratibus adeoque morſicationibus me perſequebantur.

Inter omnes unus prodierat juvenis, robuſtus, toto corporis habitu militari: qui non modo tam acerbe mihi inſultantes increpabat, ſed & inſectantes abigebat: cujus præcipue operâ domum tandem veni. Sed ecce aliam calamitatem. Dum clavem quærens, caligarum ſacculos omnes excutio, nec quidquam invenio, dici non poteſt quantopere fuerim conſternatus. Videbam enim clanculum, uti ſperaram, in ædes meumque cubiculum ſurrepere me non poſſe: nec dubitabam quin ſi

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

vel uni domeſticorum viſus eſſem, ſtatim res omnis ad heri notitiam eſſet perventura. Sultum me, qui rem lippis & tonſoribus natam clam habere cupiebam! ſimilis in eo neſcio cui feminæ, cui quum tota facies cultro tranſverſim ducto eſſet convulnerata, illaque chirurgum & circumſtantes unice rogaret, ne marito quod acciderat patefacerent, chirurgus, Vulnus, inquit, hoc celari forte poterat, ſi natibus tuis eſſet inflictum: nunc quum tam conſpicuum locum occupet, ut omnes celent, tu ipſa numquam celaberis. Sic ego mecum: Quid miſer! tune vis ut quod omnes ſciunt, neſciant? An ſoli manum oppones, ne luceat? Quin tu quod factum eſt æquo fer animo, nec hominum voculas & judicia morare. Amicum ergo maxime tutum in rebus adverſis perfugium exiſtimans; unius è domeſticis miniſtris cubiculum pulſo: qui ubi me vidit, tamquam ad ſpectri accurſum cohorruit. Rogo, quoniam clavem cubiculi mei amiſiſſem, ut fabrum accerſeret qui illud aperiret. Quod ubi factum, veſtes abjicio, recentes induo. Vix hoc feceram, quum herus de infortunio meo jam certior factus, venire me ad ſe jubet. Scribendo tum erat valde occupatus herus. non verbum ille ad

Animo bono in re mala opus.

me

me priuſquam familiares omnes cubitum conceſſiſſent. Tum quid mihi acciderit rogat. Narro non hoc, ſed quod ego finxeram, quodque credi vellem. ſed & herus credebat quod ipſe vellet. Tandem, Video, inquit, Guſmane, te quidquid hujus machinatus es, die Martis auſpicatum eſſe. Ergo, inquam, here, in eadem tu ſuperſtitione es qua Hiſpani mei, qui diem hunc inauſpicatum plane arbitrantur? Sed licet omnia fortunæ tela in me dirigantur, nihil tamen erit quod animum hunc valde poſſit lædere, dummodo gratum tibi obſequium præſtare queam. At ille talem quidam affectum exoſculari, ſed non tam voluptatis quam exiſtimationis curam habendam ſibi dixit. Etiam minimos nævos in publica perſona notari. Domeſticorum culpam dominis plerumque imputari, & ſæpe luendam eſſe. Nobili prognatam eſſe genere FABIAM: tantoque majorem ſibi curam adhibendam ne mihi illatum ludibrium in ſe quoqoe redundet. Fateri, FABIÆ amore ſe fuiſſe percuſſum: atqui jam inſtar generoſi falconis, ſi vel ultro ſeſe offerat, gratiam ei facturum. Deſinerem poſt hac iſtarum rerum. Quò verba illa tenderent,

faci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

facile intelligebam. Et ut verum fatear, quia toti urbi eram fabula, ipſe quamprimum cupiebam diſcedere. Amantium vero cæcitatem tacitus mecum admirabar. Quid? tantumne & in omnium poſitum oculis virum ſuum exiſtimationem quaſi manibus meis & fidei committere! illud vero multo magis mihi mirum videbatur, quî fieri potuerit ut homo tam mendax ad intimam tanti viri familiaritatem penetrârit: ut ille mihi ſecreta ſua, aurum, argentum, veſtes crẽdiderit. Sed profectò ipſa mendacia, tempeſtive tamen & cum colore adhibita ad hæc mihi profuerunt. Sed & poſtea res meas omnes everterunt. Adeò nihil ſtabile mendaciis inædificari poteſt.

Quod vero diſceſſum meum maturavit, illud fuit, quod jam pueris quoque ex infortunio meo notus, vix in publicum prodire auderem; & ſi quando prodirem, ab obviis digito demonſtrarer. Vere quidam dixiſſe mihi videtur, qui rogatus, quanto tempore opus eſſet ad trãnſeundum de ſapientia in ſtultitiam, reſpondit, Prout, quis, celeriter vel lente, à pueris incitaretur. Me quidem quum die quodam in publico nacti eſſent pueri quibus caſus meus notus erat, tantis ſibilis, tantis clamoribus & lu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

& ludibriis inſectati ſunt, ut tantam injuriam (ſic rebar) etiam morte aliquorum vindicare ſtatuerim. Dum inſana ejuſmodi agito conſilia, ecce idem ille juvenis quem auxilium mihi tuliſſe ſupra dixi, cum uno & altero amicorum ſupervenit; & tam verbis quam factis mei ſuſcipiens defenſionem, dum ſocii inconditam turbam ſermonibus ſuis detinent ac deliniunt, domum me ſua manu deducit. ago gratias quam humaniſſime, nomen quæro, ut ex occaſione pro beneficio gratus eſſe poſſem. ſed nihil ille aliud, quam quidquid fecerit, id ſe animo benevolente feciſſe; & in majori re, pro virium ſuarum tenuitate, gratificari mihi paratum. Rogo ut in poſterum viſitare me velit: ſicque hominem multis promiſſis oneratum dimitto. Etſi autem vultum maxime ad hilaritatem fingere conabar, herus tamen facile primo aſpectu ſiniſtri aliquid mihi accidiſſe deprehendit. Tacuit tamen, quidquam ſe ſcire diſſimulans. at miniſtri, quibus immiſtus ſtabam, alius mappa os ſibi obturare, alius faciem manu tegere, omnes avertere ſe, ac tandem ex ipſo cenaculo ſe proripere, riſu ilia pæne rumpente. Hic herus graviſſime indignari, inclamare omnes, increpare, adeoque in convicia ac mi-
nas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nas erumpere: quod numquam ante ab eo factum videram vel audieram. Totum ego me tum quaſi in alium hominem mutatum ſenſi. In hoc veluti ſpeculo ludibrii omnes maculas, omnes nævos ingenii & morum meorum intueri mihi videbar: & niſi herum ipſum habuiſſem ejus quod actũ fuerat conſcium, è veſtigio, nemine ſalutato, eram aufugiturus. Prandere me jubet herus, ipſe cubito menſæ incumbens & mentum manu ſuffulciens. quum paullulum adhuc ſediſſet, propere ſurgit, non ſine magna omnium domeſticorum perturbatione, qui ſibi iratum exiſtimantes intempeſtivũ illum riſum magno redemtum volebant. Ego quum dies aliquot cubiculo me incluſum tenuiſſem, lectioni & Muſicis exercitiis vacans, & cum amicis qui interdum ad me ventitabant colloquens, hero interim paſtum, & quidem ſolito lautiorem mihi præbere jubente; mox non tantum domeſticorum liberatum me ludibrio, ſed in majori quã antea exiſtimatione & honore eſſe ſenſi. Inter alios frequenter ad me veniebat ille qui bis mihi jam ſuccurrerat juvenis: cujus conſuetudine tanto magis delectabar quod ex eadem eſſet natione. Ajebat Romam ſe veniſſe, neſcio cujus diſpenſationis obtiendæ cauſſa: jamque diu

Ecce perfectum Lavernionem.

diu multos, fruſtra fere, ſumtus feciſſe. Is in ſermone aliquando jecerat, mirari ſe quomodo in cubiculo tamquam in monaſterio ſic deliteſcere poſſim. Quod ſi meo loco eſſet, ſe libertate rebus omnibus prælatâ, exteras regiones perluſtraturum. quæ quidem res. iis qui emergere cupiant, magno ſit emolumento. Ex omnibus vero regionibus nullam eſſe viſu digniorem Italia: cujus caput quum mihi melius forte quam ipſa mea patria cognitum ſit, rectè me facturum ſi nobiliſſima quoque ejus membra, & quæ paſſim monſtrantur tam Naturæ quam vetuſtæ Artis miracula ipſis oculis uſurparem. Digreſſus ille totum me unica ejus de qua dixerat rei cogitatione & cura occupatum reliquit. Aperio propoſitum meum Oratori: quod ille ſummopere probabat, adeoque magis me incitabat. Etſi enim opera mea non ingrata ipſi erat; veritus tamen ne mea infamia in ſe quoque redundaret, jamdudum abitum meum nequaquam ægre tuliſſet. Quod ſi in Galliam proficiſci mihi eſſet animus, litteris ſuis apud amicos effecturum ſe ajebat ut nihil mihi deeſſet eorum quibus peregrinantes ivuari amant. Ego quamvis non levi fforentiſſimi regni, ſed inprimis maximi Regis videndi tenerer

deſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

deſiderio: prius tamen Italiam in qua jam eram, obire conſtitui: ſicque ad iter me comparavi.

Quotidie interim veniebat ad me Hiſpanus ille juvenis, è Sajavedrarum (quæ nobiliſſima eſt apud Hiſpalenſes familia) gente ſe mentiens, quum Valentianus eſſet: ceteroqui ingenio perquam & celeri & eleganti, moribus geſtibuſque ad honeſtatem ac decentiam mire compoſitis, tantâ vero facundiâ ut alter quaſi Mercurius videretur. Is in ſarcinulis meis componendis tam voluntariam quam gratuitam mihi præſtabat operam. Roganti quò primum iter habiturus eſſem, reſpondi, Senis amicum me habere, Pompejum nomine; ad quem ſarcinulas meas eſſem præmiſſurus. inde me Florentiam iturum. Interim dum ille me reculas meas convaſantem non videt tantum ſed & adjuvat, facile notavit quid in quaque eſſet ſarcinula. Erat inter alias una, in qua torquem aureum, gemmas aliquot, nodos aureos, trecentos inſuper ſcutatos Caſtellanos incluſeram. Unde, tibi, inquis, tantæ divitiæ? Dicam: Subtrahebam hero quantum poteram, tam caute tamen ut fraus non pateret. Multa quoque dona ab iis qui ædes noſtras frequentabant accipiebam, ut quem

Aulicorum divitiæ unde.

plu-

plurimum apud herum poſſe non ignorabant. Sed nulla è re majorem quæſtum feci quam è luſu: non quidem ipſe ludens, ſed chartas aliorum obſervans. quod ſi herus lucrum feciſſet, ad me quoque adventitii pecoris pars redibat. ſin alii; nemo erat ex omnibus, qui primo chartas menſæ imponentem, deinde cujuſq; nutibus intentum omnibuſque miniſtrantem, immunem dimitteret. Alias artes quibus plerique meæ ſortis homines peculium ſibi acquirunt, taceo, ne docere videar. Sed ad Sajavedram redeo. Is ubi ſarcinulas meas & in iis multa quæ ſua eſſe vellet, vidit, in hoc unum omnes curas & cogitationes intentas habuit, ut ipſe potius quam ego iis frueretur. & ecce ſtatim Lavernam alumno ſuo faventem. Dum quadam die (ventitabat enim ad me quotidie) variis de rebus, ſed inprimis de meo itinere colloquimur, domeſtici me vocant, ajunt; Nobiles quoſdam adeſſe, qui me conventum cupiebant. Quia vero cubiculum meum ſordibus, ob convaſationem & propinquum meum diſceſſum, jamdiu purgatum non erat; deſcendo, amicos, quos adeſſe putabam, alloquuturus. Sajavedra interim, qui antea notârat quo loci claves mearum ſarcinularum

repo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

repoſuiſſem, earum formam ceræ, quam è candelarum reliquiis hinc inde per cubiculum ſparſis collegerat, aut forte ei rei paratam ſecum attulerat, imprimit: dum ego cum aurigis (hi ſcilicet erant illi Nobiles) de vectura tranſigo, diemque craſtinum conſtituo quo ſarcinas meas illis conſignarem. Reverſus rem omnem expono: nimirum velle me reculas meas præmittere, & poſt octiduum, quod amicis valedicendo inſumturus eſſem, ſequi. Poſt unum & alterum diem venit ad me Sajavedra ſub ipſum noctis confinium, vultu plane triſti, facie, ut mihi videbatur, ſubpallida. Rogo, ecquid valeret. ait, magis ſe vexari capitis doloribus. immò totum corpus ſibi dolere. Domum ſe ire velle. rogare ut ne boni & fidelis amici obliviſcerer. Infelicem ego me putabam quod meo in cubiculo occaſionem bene tractandi amici non haberem. Rogo ubi habitaret: ut & ad ipſum viſere, & ex iis quæ ægris gratæ & ſalubres ſunt rebus mittere aliquid poſſem. Reſpondet, ſe in contubernio vivere cujuſdam feminæ, quæ omnino agnoſci nollet. Ceterum ſi morbus non remitteret, miſſurum fidum hominem, deque ſuo ſtatu certiorem me facturum. Mane celeri conducto equo Senas con-

Initium fraudis à Sajavedra facta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tendit Sajavedra, quò paullo ante ſarcinulæ meæ delatæ erant. Præmiſerat vero ſuæ farinæ quoſdam, qui diligenter omnia obſervarent, ejuſque adventum præſtolarentur. Senas quum veniſſet Sajavedra, ad inſigne S. Marci, præcipuum ea in urbe hoſpitium divertit. Adſunt mox Laverniones ſocii. illum Nobilem Hiſpanum, ſe miniſtros fingunt. Perſonas utriq; ſuas egregie agunt. Eodem ſtatim die mittit è miniſtris unum Sajavedra ad Pompejum, quem ſupra dixi: adventum ſuum nunciare jubet. Quo intellecto, tanta inceſſit lætitia Pompejus, ut quid primum, quid poſtremum faceret, non ſatis ſciret. Injecto propere humeris pallio, ad hoſpitium advolat. Poſt mutuam ſalutationem & complexum, magnam ait ſibi factam injuriam, qui non potius in domum ipſius quam aliò diverterit. Se ſuaque omnia in ipſius eſſe poteſtate. uteretur pro libitu. Digreſſuro jam Pompejo, perſonatus ille Guſmanus, ipſo vidente & audiente, è miniſtris uni clavem dat, cum mandato ut è ſarcina, quam certis deſignabat notis, veſtem, cujus item formam deſcribebat, depromtam ſibi adferret. Ad cenam Pompejus vinum lectiſſimum & exquiſita amico, uti putabat, mittit bellaria, abſentiam

ſuam per negocia excuſans. Vix diluxerat, adeſt. Ajunt miniſtri, in lecto adhuc eſſe, quod noctem eam non ſatis commode habuerit. abeuntem nihilominus ſumma vi retinent, jurgia ab hero ſibi parata dicentes, ſi tanti amici adventum non ſignificaſſent. Accerſitur ſtatim in cubiculum Pompejus. Poſt varios ſermones Sajavedræ iterum domum ſuam pro hoſpitio amiciſſime offert. agit ille gratias: hoc tamen beneficio jam uti ſe velle negat, quod propediem dimiſſis miniſtris, longum iter ingredi conſtituiſſet. rogat ut ſarcinulas Pompejus per domeſticos ſibi mitteret. Paucos ſe fidos habere: qui quum propediem dimiſſum ſe iri non neſciant, tanto magis ab eis cavendum eſſe. Prudenter hoc excogitatum arbitrans Pompejus, quidquid erat apud ſe mearum ſarcinularum bajulorum humeris imponi, & uno è ſuis comitante ad Sajavedræ hoſpitium deferri curat; ſimul miſſis lautis quibuſdam ophaniis, una cenat, totuſque ſe, oblectando hoſpiti, ad letitiam componit. Poſt ejus abitum Sajavedra & ſocii ſtatim aliam in domum ſe conferunt: ſummo mane Florentiam proficiſcuntur: prædamque omnem in medio poſitam inter ſe dividunt. Habebat Sajavedra in comitatu ſuo homines aliquot.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

aliquot, ab ipſa, ut ſic dicam, natura ad omnem fraudem & nequitiam factos: inter quos familiam ducebat Alexander quidam, patria Bononienſis, cujus pater in ejus urbis territorio magni erat nominis Jureconſultus, & in magiſtratu quoque conſtitutus. Duo huic erant filii, tam diſparis ingenii ut magis diverſum vix quidquam cogitari poſſit. Major natu Vincentius nomine, ingenio erat aperto & hilari, ſed vano admodum & jactabundo, ut qui præter militaria exercitia (quibus ne ipſi quidem Marti cedere ſe ajebat) etiam Muſices, Poëtices, omniumque litterarum ſcientiam ſibi arrogabat, & in circulis paſſim vaniloquentia ſua mirificos riſus excitabat. Equidem quum recte cogito; ſic ſtatuo, etiam N. N. multoſque alios magnifice de ſe ſentientes, aliorum contemtores, ex hujus eſſe proſapia. ſed fruantur ſua inſania. Frater Vincentii hujus fuit Alexander ille quem diximus: homo taciturnus, triſtis, ingenio & manu ad quidvis promto, qui quum à puero malis hominibus familiariter aſſueviſſet, parentum indulgentiâ eò proceſſit ut nullum in eo facinus incredibile videretur. Hunc ipſe quoque Sajavedra tamquam ducem ſuum & caput verebatur, ejuſque decretis ſtare cogebatur.

Heroum filii noxæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Peculiolum vero meum hic ita partitus fuerat, ut inter Sajavedram ac ſocios veſtimenta aliquot detrita & non magni precii diſtribuerit, gemmas, aurum omne & argentum, præter ſcutatos aliquot, ſibi ſervârit. Diviſis ſpoliis, Alexander Florentia in Bononienſe territorium, ad declinandum periculum, alii aliò diſceſſerunt.

Sero ſapimus. Quum interea altero die Pompejus in hoſpitio me fruſtra quæſitum jam diſceſſiſſe, inſalutato ſe, intellexiſſet: ſtatim fraudem ſubeſſe ſuſpicatus, ad ſummam diligentiam nihil reliquum fecit ut quonam ille tam carus ſibi hoſpes ſeſe proripuiſſet, expiſcaretur. Ubi ergo cum miniſtris Florentiam celeribus equis profectum cognovit; magiſtratum adit, & lictorem quem cum publica auctoritate ad apprehendendos fures mitteret, dari ſibi petit, quod quidem non difficulter impetravit. Sed à perſonato Guſmano ad verum redeamus.

Lætamur malorum ignari. Dum hæc fiunt, ego mei ignarus infortunii tam domi quam foris hilariter admodum dies aliquot tranſigo, amicis valedicens: angebat me tamen Sajavedræ morbus; à quo quum fruſtra nuncium exſpectaſſem, ſummam adhibui diligentiam ut ipſe hoſpitium ejus indagarem. Sed explorare

certi-

certi nihil potui. & quamvis multa mihi in mentem venerint, illud tamen credebam, aut mortuum eſſe, aut hoſpitium ſuum eò celare me voluiſſe, ne paupertatem ſuam, quam honeſto habitu egregie diſſimulabat, coram arbitrarer. Ne tamen ille fruſtra me poſt diſceſſum meum quæreret; uni familiarum duos vel tres ſcutatos dedi, quos ipſi daret. Tandem decreta in ſequentem diem profectione, hero valedixi: qui auream catenulam quam aſſidue ante geſtaret, collo ſuo detractam meo injecit, Sit hoc, inquiens, amoris mei & benevolentiæ erga te monumentum, cui ego, Deum teſtor, ex animo ſemper bene volui, bene volo, & bene volam, quamdiu in virtutis ſemita permanſeris. Quam calidis inde exhortationibus ad virtutem me incitârit, quam ſalutaribus præceptis inſtruxerit, etiam nunc recordor, tum vero omnium ſtatim oblitus. Crumenam inſuper mihi dedit aureis ſcutatis plenam, tenue, ut ipſe ajebat, viaticum. Tanta liberalitas, mihi lachrymas quoque expreſſit, tum demum intelligenti qualem herum habuerim, & in quantis bonis vixerim, quibus mihi poſtea carendum eſſet. Equum inſuper è melioribus unum dari mihi juſſit, quo mul-

O rariſ herum!

tis deinde annis commode uſus ſum. E domeſticis nemo erat qui non magnam è diſceſſu meo caperet moleſtiam. Semper omnibus fueram amicus. etiam offenſus, injuriam, quoad ejus fieri potuit, diſſimulâram. Apud herum nihil in cujuſquam præjudicium vel odium loquebar. ſi quid animadverterem minus recte vel dici vel fieri, ipſos delinquentes amice admonebam. Ut omnibus opera mea parata erat; ſic viciſſim omnes meis utilitatibus unice ſtudebant. quod quam utile mihi fuerit, dici non poteſt. Et quamvis herus meus me præcipuum ſuis haberet rebus & conſiliis, non tamen ſupra ceteros me efferebam, ſed tamquam frater inter fratres verſabar; omnibus nihilominus me non tamquam æqualem ſed ſuperiorem obſervantibus. Verum quidem eſt, in illo meo infortunio neminem fere fuiſſe, qui riſum tenere potuerit: ſed profecto ita cum rebus hominum comparatum eſt, ut cum fortuna, non fides tantum, ſed etiam reſpectus cadat. Nec tam triſtis ille caſus meus erat quam ridiculus: licet inde, vel potius à Nicoletta mea, omnis mei mali origo profluxerit. Potuiſſet quidquid hujus factum erat, vel oblivione ſepeliri, vel variis modis excuſari: ſed

Sic vivitur ſine odio ſine invidia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ri : ſed peſſima puella ubi à me nihil amplius ſibi ſperandum vidit, omnibus ſuis amicis & amicabus quod mihi acciderat tam graphice enarrabat, ut riſu crepare omnes viderentur. Vides quam noxia ſit indomita malæ mulieris lingua; quæ ſine ullo ſuo commodo me quaſi peſſumdedit, domum heræ ſuæ infamavit, & herum meum fideli miniſtro privavit. Cato ſis. non modo non ſecretum, ſed vix quidquam quod alios ſcire nolis, feminæ committe. Tinniet olla quamprimum pulſata fuerit. parva ſcintilla magnum incendium excitabit.

Mulieris lingua, novacula.

Româ egreſſus, brevi Senas provolavi, multa animo volvens ac revolvens. Quæro Pompeii ædes. Excipit ille me promtus quidem & alacris, ſed perturbato, ut ſtatim mihi videbatur, animo; utpote ejus quod acciderat gnarus. In cubiculum deductus, circumſpicio, quum nihil mearum ſarcinularum viderem, & ipſe animo hæſitare cœpi. Cenamus unà laute, & in ſpeciem hilariter: quum utrique ne unicus quidem bolus uti debebat, ſaperet.

De ſarcinulis meis altum ſilentium, mihi vero incivile videbatur ubi eæ eſſent rogare, ne amico viderer diffidere. Sequenti die quum magnifice me

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

per omnes urbis plateas inferre ſtatuiſſem: rogo unam ex veſtibus meis melioribus mihi adferri. Quid faceret homo? venit ad me, narrat quod acciderat: Quid mihi tum animi fuiſſe putatis? Non ſuſpicabar, ſed ariolabar à Sajavedræ manu hoc eſſe. Sed quid facerem? ſolabatur me Pompejus. miſſos à ſe qui fures inquirerent. ſperare, rectè omnia ſucceſſura. O miſerum ſolatium! Diſſimulabam tamen omnem qui animo meo penitus infixus erat dolorem. Neque ſolum neceſſitas, ſed ipſa quoque raito id mihi ſuadebat. Quid enim? ob reculas quaſdam (neque enim omnem illam meam eſſe ſubſtantiam ſciebat Pompejus) amicum ego abdicarem? & quidem, ut facile colligere poteram, nullam ſuam ob culpam, niſi credulitatis: quam tamen mihi imputandam me mea ipſius convincebat conſcientia. Cur enim Sajavedræ ignoto homini tantum fidei habui? cur ſarcinas meas ipſo inſpectante colligavi? Sed fraudem non facile præſumit niſi fraudulentus. Tu quiſquis es, cave etiam ab eo à quo cavendum tibi minime arbitraris. O quam ſæpe ipſe cautor capitur! Superabundans cautela (Jureconſultorum phraſi loquor) non nocet quidem; ſed nec ſemper prodeſt.

Verum tandem dicendum.

Fide parum.

CA-

CAPUT V.

Guſmanus, amiſſo peculio, Florentiam proficiſcitur. in via Sajavedram obvium habet, & miniſtri loco ſuſcipit. Deſcribitur Florentia.

INter ſpem metumque Senis triduum commoratus, de eo quod mecum tuleram in Pompeji domo nihilo minus largos ſumtus feci: perinde ac ſi res meæ omnes adhuc eſſent in integro. Damnũ, etſi internecivum, verbis ac vultu aſpernabar: quo majores meæ divitiæ crederentur. illud unice male me habebat, quod nullam haberem veſtem qua in tam magnifica urbe & inter præſtantiſſimas formas oſtentare me poſsẽ. Commodum ad menſam aſſederamus, quum è domeſticis Pompeji aliquis in conclave irrumpens, Lictorem adeſſe, clamat, manifeſtum eſſe furtum, & præcipuum auctorem apprehenſum. Non hominis ego, ſed angeli vocem audire mihi viſus eram; nec dubitabam quin ad pulviſculum omnia quæ amiſeram in meam reditura eſſent poteſtatem. Jam ipſe animus lætitiam nõ capiebat, ſed in vul- *Sumtuoſe celatur paupertas.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tum, ita erumpebat ut vix apud me eſſem. Surgo propere, lictori non minus ac ſi theſaurum inveniſſet & ipſi lætanti obviam eo. rogo, quæ de rebus meis ſpes. Ait, brevi omnia in ſalvo fore. Pergo querere, quid comperîſſet. Reſpondet, unum de furibus comprehenſum, ceteros evaſiſſe. Sed ab illo omnia reſciri poſſe. Hîc mihi animus repente iterum concidit, omniſque mea lætitia in ſummam indignationē adeoque furorem converſa fuit: quem tamen, utpote nihil profuturum, quanto poteram ſtudio diſſimulabam. Pallium ſumit Pompejus, & ad Judicem currit, ut diligentiam ejus excitaret, & favorem nobis tam flagitioſe circumventis conciliaret. Sed nec hoc nec quidquam aliud nobis vel hilum profuit. Qui apprehenſus erat, negabat à ſe, ſed ab aliis furtum commiſſum. nihil inde ad ſe præter neſcio quem detritum centunculum rediiſſe, quem Florentiæ vendiderit, & precium perquam vile in victum ſuum impenderit. Quid fit? Condemnatur à Judice furunculus ut virgis publice cæſus è civitate ejiceretur. Quod ubi intellexit quidam è Pompeii domeſticis, lætus ad me accurrit, & ut ad jucundiſſimum ſpectaculum exirem hortatur. Jamjam enim rerum mearum de-

Tanto dignum hiatu ſcilicet.

Miſerum ſolatium.

pecu-

peculatorum publice pœnas daturum. Ego mecum: O te hominem inſulſiſſimum! quem quidem ego, ſi poteſtas mihi eſſet, probe depexum daturus ſim. Tune paupertati meæ hoc adfers ſolatium? Et profecto in jurgium erupiſſem, niſi in mentem mihi veniſſet id quod Hiſpali accidiſſe quondam audiveram. Convictus quidam quod falſam cudiſſet monetã, ſpeciali ſupremi Conſilii mandato ad furcam damnatus erat, poſthabitis omnibus quas rei Procurator interpoſuerat exceptionibus, illa inprimis qua ad Eccleſiaſticum Judicem (erat enim Clericus) provocabat. Re acriter diſceptata, quùm à rigido Judice nihil obtineri poſſet, Procurator reum ad ſupplicii uſq; locum comitatus quum implicitum laqueo collum jam haberet, furcæ adſtans, miſerum inclamat, proteſtatur ſe in cauſſa ipſius agenda nihil omnino prætermiſiſſe: Judicem nihilominus de facto procedere. Cui quum vi reſiſti nequeat, hortari ut patienter omnia ferat. Se quidem etiam porrò cauſſam ipſius ſtrenuè acturum, nec diſceſſurum quamdiu vivum viderit. O præclaram & efficacem conſolationem! Numquid Monetarius ille ad ſollicitatorem ſuum dicere poterat: Frater mi, melius mihi fuerit ut tu huc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

aſcendas, & gulam tuam meæ ſuccidaneam hoſtiam laqueo præbeas, ego vero cauſſam meam ipſe agam. Hanc ego hiſtoriam quum animo mecum reputarem, licet indignabundus, vix riſum tenere poteram. Quid enim mihi ſalatii adferre poterat publica furunculi ignominia? An propterea quiſquam damnum mihi erat compenſaturus? Illud quoque conſiderabam, quam ridiculum ſit ignominia à maleficiis velle deterrere eos qui jam dudum animum & frontem ad omnem ignominiam obfirmarunt? Mihi quidem Judices qui fures & ejuſmodi maſtigias virgis cæſos aut notis inuſtos civitatibus ejiciunt, dicere videntur: Homo nequam, ſatis tu hactenus apud nos furtis & facinoribus tuis graſſatus es. nunc tempus eſt ut ad alios te conferas, ibique artem tuam ſimiliter factites. Laqueus ejuſcemodi furciferis debebatur, non proſcriptio: quæ & olim & nunc etiam non modo in immerentes, ſed & virtute & gloria præſtantiſſimos viros cadere ſolet. Demoſthenis, Themiſtoclis, P. Rutilii, Scipionis Naſicæ, Ciceronis, aliorum exempla notiora ſunt quam ut commemoratione indigeant. Quid Athenienſium Oſtraciſmus? numquid bonis tantum & eximiis metuendus? Dolen-

De furum pœnis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

lendum ſane tervenificos, trifurciferos non alia fere pœna affici quam quæ bonis quoque viris ſæpius infligi ſolet. Memini in civitate quadam vidiſſe me non minus juſtum quam ridiculum fere pœnæ genus. Civis erat cujuſdam filius, tam furtificis manibus, tam ſingulari agilitate, ut ejus tanquam harpyjæ cujuſdam ungues vix quidquam poſſet effugere: Sed quia fere omnes ejus fraudes & facta in iis quæ ad victum pertinent verſabantur, inhumanum Judicibus viſum eſt hominem morte afficere; quamvis ſæpe ſæpius recurreret. Collũ ergo ejus ferreo incluſerunt circulo, in cujus alte prominente cuſpide ut manu attingere non poſſet, campanula appenſa erat, cujus ſono omnes ut furem caverent admonebantur. Hæc certe ad coërcendos fures utilior mihi pœna viſa eſt, quam qua ignoti ad ignotos, ubi multo facilius furari queant, mittuntur. Multo melius qui deſperatæ ſalutis homines ad remos damnant, aut ergaſtulis includunt: quorum unum quale viderim infra tibi narrabo. Nunc etiam manifeſtis factis alibi non deſunt patrocinia, ſi non deſit pecunia. Sic plures in prædæ veniunt ſocietatem. Novi equidem in urbe quadam lictorum magiſtrum, qui quoties argento opus haberet, (opus

Egregium genus.

Iuſtitiæ abuſus.

vero habebat perſæpe, ut qui aleæ valde eſſet deditus)ad forum ibat, ubi ſi quem notum furem vidiſſet, adibat, triſti vultu, caperata fronte. Roganti quid mali eſſet, ajebat opus ſibi eſſe pecunia. tum ille paullulum abſcedens, à ſui ſimilibus qui forum paſſim obſidebant, momento quaſi quadraginta aut quinquaginta colligebat ſcutatos; quos clanculum Cerbero huic tamquam offam objiciebat, ut graſſantibus conniveret, aut in deprehenſos vel omnino non vel leviter animadverteret. Sed ad meum redeo furem: qui factum confeſſus, ſed ejus in alium rejiciens culpam, per urbem virgis cæſus fuit & proſcriptus: dum ego interim cubiculo meo tamquam carceri incluſus, paupertatem meam, in quam tam repente præter omnem opinionem decideram, deploro.

CAPUT V.

Florentiam proficiſcens Guſmanus Sajavedram obvium in miniſterium recipit. Florentiæ Deſcriptio.

Hoſpes cito fetet.

DE hoſpitibus dici illud ſolet, *Quatriduanus eſt. fetet.* quod quidem ego

ego in Pompejo quoque meo animadverti. Etſi namque faſtidium egregiè diſſimulabat, paullatim tamen alienior à me factus, raro me adibat, adeoque à colloquio meo & conſuetudine abhorrere videbatur. Quod ſi quando neceſſitas vel officium viſere me cogeret, nihil niſi ceremonias & verba adferebat: quibus ego minime juvari poteram. Quod ſi non veritus eſſet ne actio ſibi à me intentaretur (majori n. diligentia in aſſervandis amici rebus uti debuerat) facile credo cum convicio ædibus me ejecturum fuiſſe. Sed ut ego omnem dolorem, quantum poteram, diſſimulabam, ne homo pauci precii viderer: ita illud quoque prævertendum mihi duxi, ne quaſi invitum ex ædibus proturbatum me exiſtimare quis poſſet. Quum ergo in cena dixiſſem; conſilium mihi eſſe Florentiam proficiſendi, miro gaudio exſultans, ea quæ ibi viderentur Naturæ & Artis miracula ita mihi deprædicavit, ut vel nolentem ad iter incitare potuiſſet. & ex illo quidem ad quævis officia promtiorem quam ante ſenſi. Sed & hic latebat hypocriſis. non multo poſt enim quum in familiari ſermone inter alia dixiſſem, non eſſe mihi animum unquam Romam revertendi, ex eo tam frigide me tractabat, ut di- *Amicitia cum ſpe utilitatis perit*

cere

cere mihi videretur: Quin abis actutum, homo importuniſſime. quem quidem & abſentem ego colui, quod opera ejus ad Oratoris Gallici favorem conciliandum meaque apud illum negocia promovenda eſſet utilis. Nunc egentem & nunquam eò loci ubi gratificari mihi poſſit reverſurum, quid attinet honore aut beneficio demereri? Hæc quum ego in fronte ejus quaſi legiſſem, equum conſcendo, homini valedico, non ſine lachrymis, quum ille oculos ſuos exorare non poſſet, ut vel unam guttulam exſpuerent: & quamvis neſcio quid triſte in vultu & ſermone vellet fingere, pellucebat tamen artificium. Sic ego ſolus viam ineo: niſi quod graviſſimæ cogitationes, quarum una aliam ut fluctus fluctum aſpellabat, me comitarentur. Vix pauca miliaria confeceram, ecce Sajavedram, qui Senis profligatus (is enim ipſe fuit qui ſolus furti, ut dixi, pœnas dederat) exſilium adibat. Quem ut vidi, ira in miſericordiam verſa, lacrymas vix tenui: non tam maleficii (quamvis tum mihi ſenſus eſſet ejus acerrimus) in me commiſſi, quam priſtinæ humanitatis & benevolentiæ qua me contra puerorum inſolentiam & inſultus tuendum ſuſceperat, memor. Nullum generoſi ac magni animi

Beneficiorum memoriã non debent obliterare injuriæ.

animi certius eſt indicium quam injurias cito, beneficia nunquam obliviſci. Adequito, alloquor humaniter, ille ubi me novit, ſolutis quaſi in lacrymas oculis, pedes meos amplectitur, per Deum & ſacra omnia rogat ut ignoſcam: ſimul gratias agens quod captivum non accuſarim. Se vitam, quam mihi deberet, ſervitiis & commodis meis impendere paratum: jamque nexu & mancipio totum ſe mihi dare. Ego qui ingenium ejus acerrimum & ad quævis habile côgnoram, ſciebam inſuper multarum regionum & urbium eſſe peritum: gratificari ipſi ſtatuo. Etſi enim nec illud ignorabam, furem eſſe aſtutiſſimum & omnibus in nequitiis exercitatum: commodior tamen rebus meis videbatur quam craſſum aliquod & ſimplex pecus. Huic enim hominum generi nihil quod loquantur vel faciant rectè credas. Et ego ſi ignoto res & ſpes meas crediđiſſem, futurum forte erat ut ab ipſo quoque deciperer. nunc quia Sajavedram nôram, neceſſitas mihi erat impoſita diligenter mihi proſpiciendi ac cavendi. Dum ſic iter unà facimus, & variis de rebus colloquimur, mirum eſt quanto ille me deſiderio tam præclaram urbem videndi ac perluſtrandi accenderit. Sole jam ad occaſum vergente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

gente hoſpitium ingredimur, in quo Sajavedra diligenter admodum mihi miniſtravit; ego nihilominus id operam dabam ut ne equum mihi ſurriperet, aut quid aliud mearum reliquiarum involaret. Altero die primus urbis adſpectus tanta admiratione me percuſſit ut via quamvis brevis, longa mihi videretur. Ubi in hoſpitium devenimus, neſciebam urbiſne pulchritudinem & magnificentiam, an incolarum elegantiam & comitatem magis admirarer. Certè noctem illam totam ſomno ſuaviſſimo ſine ulla cura exegi. quod quidem & bonæ cenæ & lecto perquam commodo acceptum refero. Hæc enim duo iter facientibus ſunt exoptatiſſima.

Deceptus ne nimium fide.

Ubi diluxit, ſurgo, veſtitum muto, & ad audiendum ſacrum in primarium templum cum Sajavedra me confero; qui deinde me per omnes urbis regiones circumduxit, & quidquid viſu dignum erat monſtravit; ut qui ante iſta in urbe anno & amplius habitârat. Sed quid ſi & ipſe te circumducam, & ſine tuo ſumtu tam præclaræ urbis oſtendam miracula?

Florentiæ deſcriptio.

De primis urbis hujus initiis poſt dicemus. Quantis verò difficultatibus avorum noſtrorum memoriâ, quam gravibus bellis implicita fuerit Florentiſſima

tiſſima hæc Reſpublica, ſuperiorum temporum, Guicciardini inprimis docent hiſtoriæ: donec Carôlo V. in Italia bellum gerente, Coſmo Mediceo in Principatum fuit tradita, qui à ſingulari prudentia & rarâ fortuna Magnus Dux Hetruriæ fuit appellatus: ut cujus imperium, præter Florentiam, Senas etiam & Piſus, nobiliſſimas urbes, amplecteretur. Tanta vero Ducum horum fuit & adhuc eſt potentia, ut ſola dignitate non uno Europæ rege inferiores eſſe videantur Quinetiam hanc ipſam dignitatem jam impetrârant, niſi quorumdam obſtitiſſet invidia: cui quidem illi cedendum pro tempore cenſuerunt. Cæterum tempus jam eſt ut ipſam urbem obeamus.

Florentia, vulgo Florenza, vel ob florentem fortunam, vel florida incolarum ingenia ſic appellata, ac quod eſſet præfluenti Arno appoſita, olim Fluentia dicta, civitas elegans, florens, potens, ampla, & pene regia, à Syllanis militibus X C. annis ante Chriſtum natum condita, Romanorum, ut contendunt nonnuli, colonia, à Triumviris deducta, à Totila Gothorum rege, ut ipſius Annales loquuntur, diruta, à Carolo Magno reparata, & amplificata, ex ruinis Feſularum. Florentia à Rudol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dolpho primo Imp. libertatem emit pecunia, & Reipub. adminiſtrandæ XII. viros creavit, cum artium Prætore, ut ipſi nominant, Juſtitiæ vexilli fero. Rurſus à Carolo Quinto, adjuvante Clemente ſeptimo Pont. Rom. ſubacta, & Alexandro Medices, cui filiam Margaretam elocavit, conceſſa, cum Ducis titulo. Mediam perlabitur Arnus, quatuor pontibus ſtratus, tamque rapide fluit, ut adverſo amne navigari haud poſſit. Hoſpitalia hic ſex majora, minora alia XXXII. Eccleſiæ Parochiales XLIV. Cœnobia tam virorum, quàm mulierum LXXVI. Collegia ſeu Fraternitates puerorum IX. totidem virorum vel etiã plura. Palatia hic infinita: Campi octo. Templum Cathedrale, cognomento S. Mariæ Floridæ magnificentiſſimum, & inter tria Hetruriæ nominatum, foris incruſtatum marmore, albi, nigri, ruſique coloris. Portæ à fronte tres ſunt, ex quibus media ſculpta, & cæteris ornatior eſt, ſupra tamen rudis: tum aliæ duæ ab utroque latere: quatuor lata Sacella habet, alterum alteri præeminens adeo ut in modum crucis facta videantur, in quibus miraculo ſimile, quod ſua diſpoſitione ſint ſtabilita: nullis enim pilis aut contignationibus ſuſtentantur. Turri templi glob. æneus deauratus, XVI. fortaſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

taſſe hominum capax, impoſitus eſt. Turris quadrata templo proxima, marmore tota incruſtata, alta eſt cubitos CCLXXX. adſcenſus in ſummum per gradus CCCCVI. in altitudinẽ educta. Sacellum S. Joannis Baptiſtæ, opus urbis antiquiſſimum: olim Marti dicatum, non omnino rotundum, ſed potius ſexangulare, ex nigro, albo viridique marmore. Pilas habet ſex, quibus ſingulis binæ columnæ interpoſitæ viridis marmoris; ubi Altare ſummum eſt, aliud eminet veluti Sacellum, quatuor laterum. Portæ tres æneæ deauratæ, præclari operis, cum ſacris hiſtoriis & imaginibus ſanctorum. Limina item ænea, tectum marmoreum, intus in orbe poſitæ columnæ XVI. totidemque pilæ, feneſtræ XX. Septa chori ex nigro alboq; marmore, teſſellata. Apud portam, quæ eſt è regione majoris Eccleſiæ ſunt binæ columnæ porphyreticæ, quas Piſani, parta de Saracenis victoria, honoris cauſa miſerunt Florentinis. La Citadella vulgo dicta, Arx eſt munitiſſima, in planitie ſita, *Palago della ſignoria* vulgo dictum, foris eam magnificentiam non habet quam interius, ubi ſtatuis & picturis artificioſiſſimis eſt ornatum. ejus Turris fundamento, quod videri poſſit, non innititur, ſiquidem ſub ea ex omni parte conclayia

cer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

cernuntur, & ob id in aëre pendere dicitur. Magnum Ducem tres habere Turres mirabiliter inſignes in proverbio eſt, unam in aëre, de qua jam dictum: alteram ſub terra: tertiam in mari. in hujus Palatii conclavi, vulgo Garderoba dicto, eſt theſaurus Principis, ex variis & innumerabilibus rebus precioſiſſimis conſtans, interque alia ſupellex menſaria ex puro auro. in eodem eſt horologium, in quo Sol annuo ſpacio, & reliqui Planetæ, quiſque ſuum curſum juſto tempore abſolvit: ibidem videntur Tabulæ Geographicæ omnium ferè provinciarum, itemque multæ virorum illuſtrium effigies. Ante Palatium locus eſt, La Donana vulgo dictus, ubi merces deponuntur, item Fontana antiqua, in cujus medio Gigas eſt, currui triumphali marmoreo inſidens, ejuſque quadrijuges marmorei aquas evomunt. Ante portam eſt regis Davidis ſtatua marmorea. In Foro (vulgo La piazza dicitur) eſt inſignis ſtatua equeſtris ænea Coſmi Ducis, inſignis magnitudinis & artificii. Ex jam dicto Palatio, per contigua conclavia iri poteſt in ædificium, quod intra ſua ſepta concludit aream. in hoc ædificio habent ſtationes omnium artificiorum magiſtratus, in inferiori contignatione, in ſuperiori verò

habet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

habet Princeps imagines omnium nationum Principumque, & in his ſtatuam Scipionis Africani : etiam Globum cœleſtem immenſæ molis & artis. hic quoque eſt Amphitheatrum inter media conclavia, ad imitationem veterum ſumtuoſiſſimè exſtructum: circumcirca ſunt multa conclavia, in quibus monſtrantur res, quoad formam, tanti artificii, quoad materiam, tanti precii ut nihil ſupra, & quo ad numerum, extremæ infinitatis. in eorum uno monſtratur clavus, cujus medietatem ex ferro, auream fecit arte Alchymiſtica neſcio quiſnã: in alio eſt effigies Magni Ducis Ferdinandi, ſupra quem eſt Speculũ, in quo cernitur effigies magnæ Duciſſæ. Haud longè hinc eſt Armamentarium Principis, ſuntque in tribus diſtinctis Cameris tanti artificii arma, ut vel ingenioſiſſimus hic videat quod admiretur. in altera hujus ædificii parte eſt Globus terreſtris, ſed adhuc imperfectus. Supra hoc ædificium hortus non contemnendus, inque ejus parte intrinſeca, miraculi inſtar, conſpicitur menſa Rudolphi ſecundi Imperat. quam artifices magno conducti, jam plurimis annis conficere cœperunt. Palatium vulgo de gli Pitti dictum, trans Arnum eſt. ejus fabrica numerari poteſt inter Italiæ magnificentiſſima. habet

enim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

enim conclavia ex marmore, aures incruſtationib. & laquearibus atque picturis exornata. in hujus Palatii contignationes omnes aſcenditur gradu cochlidis ſtructuræ, quæ moles ex marmore, nulli innititur columnæ, & vel ſubter vel deſuper intuenti apparent extremitates & circuli omnes æquiſſimi, quaſi in puteum deſpiceres. Opus hoc eſt magni artificii & impenſæ permagnæ, habetque à tergo hortum amœnum in colle, & juxta caſtellum ſive arcem novam omnium munitiſſimam. Belvedere dicitur. Tertia Arx, extra urbem in colle ſita eſt; Caſtello Vechio dicitur. in ea Templum eſt ſumptuoſiſſimum, cruſtis & ſcalis marmoreis; ſuggeſtum vario marmore artificioſiſſimè inteſſellatum eſt, feneſtræ marmoreæ. In Equilis principis atrio, ſunt aves Indicæ, Apric icures, Cameli, Leones, Urſi, Tigrides, Lupi, Aquilæ, ſervantur locis ad id deſtinatis. La Stinca dicitur carcer publicus; Lofficio del honeſtà autem, locus, ubi duo cives ſenes, perpetui judices, cauſas cognoſcunt publicorum ſcortorum, eorumque qui lupanaria frequentant. Colonna della Iuſtitia vulgo dicta, notabilis eſt craſſitudinis, marmorea: in ejus faſtigio eſt ſimulachrum juſtitiæ. La Caſſina pala-

palatium eſt novum, aſſervantur expoliunturque in eo omnis generis lapides precioſi. Ad mœnia urbis loco remoto aluntur complures Leopardi, omnes cicures, qui in ſylvam vicinam emittuntur, ut feras, lepores præſertim, pabuli ſui cauſa capiant, domumque revertuntur, ſed non ſine duce. Hortus Cardinalis Alexandri Medices ſpacioſus eſt, latus & elegans, in eo Linum Indicum complurium annorum ſpacio in eam excrevit altitudinem ut arborem proceram referat: juxta eam Sacellum eſt magnificæ ſtructuræ, itemque palatium: In templo S. Laurentii ſepultura eſt Coſmi Medicis cum hac inſcriptione: *Decreto Publico pater patriæ*. item Sepultura Petri Medices. Supra Sacellum eſt Bibliotheca excellens, ex manuſcriptis libris conſtans, inſtituta à Clemente ſeptimo Pontif. Rom. qui diris devovit illum, qui vel minimam ſchedulam exportare nititur. monſtrantur inter cæteros libros manuſcriptos Comœdiæ Terentii, quæ ipſiuſmet manu exaratæ affirmantur: Item Virgilii Opera, ab ipſo Poëta ſcripta.

Caſtellum Novum Viridarium eſt Magni Ducis Hetruriæ, cum Palatio, ubi æſtiva eſt ſtatio primogeniti ejus filii amœniſſima, conſtans ex Hortis mira *Caſtellū Novum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

induſtria excultus: ubi videre licet fructus & plantas raras, tum omnis generis arbores, ut Cypreſſum, Laurum, Myrtum, Amygdalum, Citrum, &c. eſt denique Aquæductus inſigniter artificioſus. nam primo Fons ibi eſt quaſi triplex, altiſſimus, in cujus ſummitate collocatum eſt Herculis ſimulachrum, dextera manu puerum comprimentis, ut aquam copioſe evomat. Circumcirca eſt area rotunda, aquarum aſpergine inſidioſa. Non procul ab hoc alius fons ſpectatur, cujus aqua ex capillis ſtatuæ feminam veterem referentis defluit, dum ipſamet femina capillos omnes manu utraque quaſi lotos ſiccandoſque comprimit. Ibidem eſt rupes cavernoſa, vulgo La grotta dicitur, in ea omnes omnis ferarum generis effigies, ut Cervorum, Leonum, Tigridum, Elephantorum, Volucrum, quæ item deſuper, & ab omni parte, aquas evomunt: certæ quoque venæ, ipſiuſque cavernæ meatus aquam profundunt tanta arte, ut imber naturalis exactiſſimè repræſentetur, cœlo ſereno, Sole radios in cavernam immittente. Iris artificioſa in eo conſpititur, antequam ad cavernam pervenitur, aſcendendi ſunt aliquot gradus, qui perturati accommodatique ſunt ad madefaciendos ex inſidiis ſcan-
den-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dentes. Collis quoque artificialis arboribus ſeptis, adſcenſus lapillis minutis ſtratus, inſidioſas habet aſpergines, quas nec in ipſo faſtigio licet effugere, volente hortulano, è menſæ quoque lapideæ medio aqua proſiliens, miſſis in canalem certis ad eam rem factis inſtrumentis repræſentat (ſucceſſione tamen) modò facem ardentem, modo rotundum, modo oblongum, inſigniſque magnitudinis vitrum, ſuam intrinſecus habens cavitatem. Sed de his ſatis. quæ quidem talia & tanta ſunt, ut quidquid animo conceperis, reipſa multo minus futurum ſit.

Unum non poſſum non addere, quod ſummopere mihi diſplicuit. Vulgatum eſt; Cuilibet perito in ſua arte credendum eſſe. Idem de me hic judica. Quum viderem eos qui ſub pauperum nomina eleemoſynas paſſim colligunt, tam incautos, tam inconſideratos & omnis fere artis (artem enim hic quoque locum habere prima Pars te docere poteſt) rudes, non poteram non indignari: adeoque continere me vix poteram quin Cenſuram mihi in hanc tribum ſumerem, & commodiora etiam non petentibus traderem præcepta. Quæ ratio eſt, mendicum tantum panis aliarumque rerum mendicando acquiſitarum *Mendicandi artis vitia.*

ſecum circumferre ut dici ei poſſit: Tibi in hanc diem ſatis eſt, cede egentioribus? aut ſcalpro dentis fodere, ut omnibus appareat tantum cibi ſumſiſſe ut pars dentibus adhæſerit? Hæc aliaque quum viderem, mirabar quemquam eſſe qui tam vecordibus mendicabulis quidquam largiretur. Quid abſurdius quam mendicum certum habere præſepe? aut peculium palam præ ſe ferre? Et tamen, uti ego ipſe meis vidi oculis, plerique omnes opulentas faciebant prædas. Inter omnes unum vidi, olim mihi notum, cujus pater, avus, credo etiam proavus, atavus, abavus eamdem artem factirârunt, cæteris multo inſtructiorem. Sed quia magiſtratuum metu publicam ibi quaſi ſcholam tam præclaræ artis nemini aperire aut habere licet: ineptias illorum mirari deſii. Hunc Sajavedræ monſtrans, Viden'tu illum? inquam. Huic quidem tantum pecuniæ ſupereſt ut divitem me facere poſſit. Ille: Cur ergo mendicat? Re-

Mendici divites. ſpondi: Poſtquam homines os vocemq; ad rogandum ſeu mendicandum aſſuefecerunt, frontem contra verecundiam obfirmarunt, manus à laboribus abſtraxerunt, pedes ad vagandum condocefecerunt, & ut verbo dicam, pudori nuncium remiſerunt, in iis ad frugem reducendis

cendis

cendis fruſtra pòſt omnis adhibebitur labos. Novi ego juvenculam quamdam, quæ quum paupertate, ſquallore, atque etiam morbo confecta Romam veniſſet, ad mendicantium tribum ſe adjunxit, non multo poſt morbo liberata, pugile habitior facta, quum nihilominus oſtiatim ſtipem petere ſoleret, ſæpe illud audivit, Ecquid puderet iſta ætate, iſta totius corporis firmitate mendicare? Rectius facturam ſi laborando aut ancillando, victum ſibi quæreret. Reſpondit illa, occulto cordis ſycopiſmo ſe laborare, quo correpta in terram proſterneretur, & terram manibus pedibuſque pulſans, & ſua ipſius membra & quidquid nacta eſſet, conquaſſaret. Quin etiam ea edebat morbi hujus ſpectacula, ut è largioribus eleemoſynis laute ac jucunde viveret. Forte fortuna vidit eam aliquis popularium, qui nuper è patria ipſius venerat. Quid tu, inquit, miſerrima ſic mendicando aliorum opem expoſcis? Cur non domum actutum proficiſceris? ubi in magnas divitias quas parentes fato functi tibi reliquerunt, ventura es. His auditis, abit illa in patriam, & tam amplam hereditatem adit ut multi primarii adoleſcentes eam in matrimoniũ expeterent. (neque enim ullum ferrum tam deforme,

Mira narratio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tam rubiginoſum eſt cui inaurato ſpecies aliqua conciliari nequeat. non genus tantum, ſed & formam donant divitiæ. auro omnia & animi & corporis vitia obteguntur.) Honorifico ad modum contracto matrimonio, poſt menſes aliquot tota fere contabuit; fruſtra morbi cauſſam venante Medicorum natione: quam ipſa melius ſciens, finxit, ad tanto facilius impetrandam peccatis ob quæ à Deo puniretur veniam, velle ſe inter extremæ conditionis homines eleemoſynas petere, iiſque vitam ſuſtentare. Quod ubi fecit, brevi corporis vires reſtauratas ſenſit, pleriſque miraculum tam humili pietati adſcribentibus. Quin tanta feminam hanc mendicandi lubido inceſſerat, ut ſola in cubiculum ſecedens ab eorum qui ad parietes depicti pendebant hominum imaginibus, cum ſolitis geſtibus & ceremoniis ſtipem poſceret, & accipere ſe fingens, mirificam caperet voluptatem. Tantum poteſt conſuetudo. Hoc quidem ut Sajavedræ tum mirum admodum ac pæne incredibile viſum fuit, ita non dubito quin apud alios quoque vix fidem ſit inventurum. Verum tamen eſſe nôrunt quibus femina illa nota fuit.

O abſurdam voluptatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT VI.

Florentiâ diſcedit Guſmanus. Alexandro dicam impingnes, in vincula conjicitur.

ANnon mira res! Non obſeſſa erat Florentia. quidquid ad victum pertinebat, abundanter in foro proſtabat. ego tamen equum ab hero mihi donatum totum, quantus quantus fuit, paucis diebus, atque etiam ipſas ſoleas ferreas uno jentaculo abſumſi. Quia enim vendere me cogebat neceſſitas, veteribus detractis ſoleis novas induci curavi. Dici profecto non poteſt quam ægre tam præclara ex urbe diſceſſerim: tanto magis quod jam cum non paucis meæ ætatis civium filiis familiaritatem contraxeram, à quibus ad circulos & conventus tam juvenum quam puellarū deducebar: quamvis melius certe ab ejuſmodi congreſſibus, utpote tam ſumptuoſis quam illecebroſis, abſtinuiſſem. Sed juvenis eram; & nihil juvenile à me alienum putabam. Viribus valet adoleſcentia, prudentiâ ſenectus. Repueraſcunt quidem ſenes plerique: at in paucis adoleſcentum videas ſenile aliquid. Nec ego me errare exiſtimabam, ſi

Ventri omnia cedunt.

Juventæ vitia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ætatis meæ ductum vel potius impetum ſequerer. Illud unum animo meo erat ægerrimum, quod tam charis heri mei donis propediem me privatum iri proſpiciebam. Sed quid facerem? Aliud ad manum non erat. Et caſus eſt in quo patri liberos nexui dare olim licuit. Roma digrediens illud unice animo meo propoſitum habui, velle me poſthac frugi eſſe & in virtutis perſtare ſemita. Sed quid profuit mihi tam bonas ſuſcipere cogitationes, quarum B. Auguſtinus plenum ait eſſe infernum? Ecce vix digreſſus, quem herum quærere, ipſa monente neceſſitate, oportebat, ſervum mihi adſciſco. Sed imperare hactenus ſuetus quomodo aliis parere poteram? Sic profecto mihi perſuaſeram, & forte perſuaſerunt, perſuadent, & perſuadebunt alii, nihil de priſtino ſplendore remittendum. omnia tentanda potius quam à generoſitate deſciſcendum. Sed ſero admodum errorem ſuum & inſipientiam deprehendunt. Ad rem. Quid tandem me futurum eſſe conſiderans, Sajavedræ paullatim animum meum aperio, eo potiſſimum fine ut neſi quid poſtea à me ſecus quam putârat agi videret, tamquam ad phantaſmatis occurſum cohorreſceret. Ait ille, quoniam mihi decretum eſſet diſcedere,

Jus ſuũ perſequi an ſemper utile.

utile

utile ſe mihi daturum conſilium, quo res furto amiſſas proculdubio eſſem recuperaturus. Non longè abeſſe celeberrimam urbem Bononiam, ubi domum & magnas facultates habeat Alexandri illius pater, ad quem præda fere omnis redierat. Et quia de ipſo facto ex ea quæ Senis & Florentiæ facta fuerat inquiſitione conſtet, facile me à magiſtratu impetraturum ut à patre Alexandri, ſi is abſens ſit, de damno mihi ſatisfiat: quinetiam tam honeſtam familiam minime paſſuram ut eo nomine querelæ ad magiſtratum deferantur; ſed clanculum mihi quidquid poſcerē contributuram, ne diſpaleſcat infamia. Non abſurde mihi loqui viſus Sajavedra: Imus Bononiam. Suggerit Sajavedra, diſpicerem num melius eſſet ut ipſe in hoſpitio lateret, dum ego Alexandrum, quem certis mihi deſcribebat notis, inveſtigarem. Conſilio hoc probato, ſolus domo exeo: jamque unam & alteram plateam emenſus, Alexandrum video, non tam ex iis quas Sajavadra mihi indicârat notis, quam meis ipſius, quibus indutus erat, veſtimentis agnitum. Stabat vero ante templi cujuſdam fores, multis aliis juvenibus immiſtus, qui (horribili ſane impietate) non ad audiendum ſacrum, ſed ad formas

Profana impietas.

ſpectandas & ſubſannandos tam ingredientes quam egredientes eò convenerant. Quid mihi tum fuiſſe putas animi? Geſtiebant pugni mihi ſcelerato homini non modo dentes excutere, ſed & ipſam vitam adimere. Sed mecum cogitabam, melius fore ut à vivo ſupplicium, aut ſaltim damni compenſationem expoſcerem, quam vitæ meæ ipſe periculum crearem. In hoſpitium reverſus narro Sajavedræ quid viderim. Pranſi, conſiliorum noſtrorum ordimur telam; in pleriſque titubârat antè Sajavedra, ut qui furti non conſcius modo ſed & primus quaſi auctor, periculum timeret. Tandem viſum utrique fuit, melius fore ſi cum tali præſertim homine amicè tranſigamus, quam rigida juris & juſtitiæ via procedamus. Utilior nempe paſſer eſt in manu, quam bos volans in aëre: & melior tolerabilis tranſactio quam lata à judice ſententia. Quod ergo primum erat, quæro idoneum aliquem qui Alexandri patri rem omnem enunciaret, & quidem eâ modeſtiâ, ut faciles aures præbiturum nihil dubitarem. Sed ille non modo non patienter hominem audire voluit, verum etiam magna ira exarſit, adeoque conviciis ac pæne verberibus hominem à ſe abegit. O quam crudelem ego tum

Timet male ſibi conſcius.

tum vindictam utrique, patri & filio, animo machinabar! Sed vana eſt ſine viribus ira. Adeo Juriſconſultum: & re totam ſincere enarrata, conſilium expeto. Reſpodet ille, Jam tota urbe notum eſſe Alexandrum. nec cuiquam hoc facinus in ipſo viſum iri incredibile. quamprimum in urbem rediiſſet, bene veſtitus ac numatus, omnes judicaſſe, exuvias has eſſe alterius. Ecquod certius argumentum, quam quo veſtes illas ſui corporis modulo adaptari curaſſet? Tum tota urbe certum rumorem pervagari, aliquam prædæ partem ab alio quodam lavernione Alexandro ſubtractam. Diſpicerem quid faciumdum. Se quidem omnibus artis ſuæ ſubſidiis mihi ſubvenire paratum. Rogo ut actionis libellum mihi conſcribat. quem præſentaneo redemtum precio judici ſtatim tradidi. Sed antequam hoc feciſſem, totius rei notitia ad patrem Alexandri ſive per cauſſidicum cujus conſilio, ſive per notarium cujus operâ utebar, dimanârat: qui è veſtigio apud judicem me ultrò accuſavit, ut qui totam ipſius familiam infamatum irem. O me miſerum! hoc uno ictu ſpes mea omnis non ſolum decollavit, ſed etiam in deſperationem & ærumnas verſa eſt. Plurimum? immo omnia poterat apud Judicem

Illecebræ ad Proceſſum.

pater Alexandri. peregrinus ego eram, non amicis modo, ſed etiam aliis præſidiis, ſine quibus raro quiſquam jus ſuum conſequitur, deſtitutus. Terminum mihi præfigit Judex, intra quem teſtes & argumenta producerem, breviſſimum: quamvis intellexiſſet, Senis furtum hoc factum eſſe, atque inde petendum quidquid ad probationem pertinebat. Sed ajebat ille, hunc uſitatum eſſe Juris proceſſum, quem mei cauſſa immutare nec velit nec poſſit. Sic ergo tamquam litis deſertor damnatus, & ex actore reus factus ſum. Pater namque Alexandri longiſſimo, intricato admodum & ambiguo, nec minus horribili libello me tamquam totius ſuæ familiæ infamatorem ad crudeliſſimnm ignis ſupplicium poſcebat, filium tamquam probæ vitæ non excuſans modo, ſed & laudans. Quæ quum legiſſem, facilè intellexi non injuſtas eſſe querelas tribunalia ſeu Judices ſummæ injuſtitiæ accuſantium. Nullum eſt telum calumniâ acutius: nec quidquam magis metuendum quam iniquitas & perfidia Judicis. Notorium quaſi erat Alexandri furtum, nec Judicem latebat: probationibus ego ſufficientibus eram inſtructus: ſed quia favor & pecunia deerant, omnia deerant. Quid multa? dum fortunam meam

Sic decet.

de-

deplorans per urbem oberro, à lictoribus comprehenſus in carcerem ducor. Scripto volebam cauſſam meam agere; Sed ſubduxerat ſe Advocatus. nuſpiam cumparebat Procurator. ſolus reſtabat mihi Notarius. Solabatur me quidem conſcientia: ſed quam miſerum ſit ejuſmodi ſolatium, optem ut omnes ejuſmodi Judices experiundo diſcant. Solabantur me quoq; alii, quibus cauſſæ meæ æquitas perſpecta erat; & ut patienter omnia ferrem hortabantur. Judicaturum olim Deum: & ejuſmodi tam Judices quam judiciorum corruptores æternis ſuppliciis affecturũ. Hæc taliaq; monita non aſpernabar quidem ego; animi nihilominus interea miſerum in modum diſcruciabar. Tandem ubi curis nihil me vidi proficere, contemtu potius quã indignatione de fortuna ulciſci me ſtatui.

Ita fierè ſolet.

CAPUT VII.

Carcere liberatus Guſmanus de injuſtitia, quæ hodie multis in tribunalibus dominatur, diſſerit.

QUid tu? inquis. Tam injuſtè ad carcerem damnatus numquid jus tuũ perſequutus es? numquid eouſq; in car-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

cere manſiſti donec tibi de injuria ſatisfieret? Ego vero Judicis ſententia liberatus, ſine ulla mora carcerem valere juſſi. Carcerem quum dico, ærumnarum omnium dico compendium: immò vivam inferni in hac terra imaginem. Quis inde non quamcelerrime ſe proripiat? quis boni aliquid ibi loci exſpectet? non libertatem ego obviis ulnis amplecterer, quæ tam injuſte mihi fuerat erepta? An non merito pejora metuerem cui tam juſta cauſſa tam male ſucceſſerat? Ad id tamen mihi carcer profuit, ut dum illic deſideo, varias res animo & cogitatione agitârim.

Carcer qualis locus.

Æſopus à Chilone interrogatus, quid Deus ageret, reſpondit, exaltare humiles, & deprimere ſuperbos. Tunc quidem temporis ego ſic mecum: O bone Deus! Cur nunc officium tuum (ignoſce impatientiæ) non facis? Cur iniquos & faſtuoſos tam Judices quam Judicum corruptores non ad ima mittis tartara? Pœna mihi erat impoſita. Culpam quomodo à me amolirer? Quis enim crederet, hominem in tanta dignitate conſtitutum, tanta virtute & ſcientia præditum, paſſurum ut aut amicitiâ, aut donis, aut timore à juſtitiæ abduceretur ſemita, & contra fas & æquum ſuamque ipſius conſcientiam judica-

Pœnæ culpa una imputatur.

dicaret? Factũ id in me ſenſi: & tam calida perfuſus aqua, etiam pluviam poſthac timere cœpi. nemo vel magna mercede me adegiſſet ut plateam in qua carcerem eſſe ſcirem, ingredeter, aut publicas præterirem cuſtodias. Etiam mulionum & agaſonum forte occurrentium virgas metuebam. Ex eo ſane tempore omne tribunal tamquam ſcopulum (atque utinam reorum modo, non etiam innocentium!) fugere, & vel ultro damnum pati quam jure experiri decrevi. Memini quum in carcere eſſem, adduci alium quemdam, accuſatum quod pallium furto ſurreptum emiſſet. is cujus pallium fuerat notus mihi erat & amicus. Ajebat, non ignorare ſe bonæ exiſtimationis eſſe hominem quem in cuſtodiam duci curaſſet: nec ſe quidquam ab illo petere quam ut venditoris nomen edat. non de pallio tantum, ſed multis quoque aliis rebus eodem furto à ſe amiſſis agi: quarum omnium recuperandarum ſpem inventum pallium ſibi faciat. Suadebam ego ut recepto pallio, cetera miſſa faceret, alioqui verendum eſſe ne & illud, & reliqua omnia in Judicis, Cauſſidici, Procuratorum, tabellionum venirent poteſtatem, ipſe tamquam corvus hians deluderetur. Quod conſilium aſpernatus

Offenſus etiã tuta timet.

Canis Æſopicus.

tus, quum litem eſſet perſequutus; emtor, probæ exiſtimationis, ut dixi, homo, judicis ſententia abſolutus; actori pallium quidem adjudicatum fuit, ſed tum quum precio ejus triplo majores feciſſet impenſas; præter curas, curſitationes, temporis, atque inde rei familiaris jacturam. Quod exemplum eò adfero, ut oſtendam non paucos eſſe qui voluntariè, leviculas ſæpe ob cauſſas, judiciorum labyrinthis ſeſe involvant. inde æquum eſt ut exedant quod ſibi intriverunt. Quod ſi potentem nactus ſis adverſarium, quid aliud facis quam ſi viribus cum leone, urſo aut tauro velis contendere? At jus tibi eſt. ſit quoque unde ſumtus facias. alioqui nihil ages; immò in damnum vigilabis. Hoc conſilii ego litiganti dederim, ut Judicis librum ſeu chartam inauret, ſcribæ pennam ex argento faciat. dein in utramque dormiat aurem, nullo Advocato aut Procuratore opus habiturus: quorum munere vidi ubi ipſi Judices fungerentur. O nequam homines! Quem illo in judicio veſtrum putatis fore Advocatum? Sed longum hoc eſt, inquitis. Longum forte: at certum. Non placet etiam quod & alibi & in pleriſque Italiæ civitatibus vidi fieri, ut ſcilicet nudæ ferantur ſententiæ, quum

Cum majore noli contendere.

præ-

præcipuas ſaltim cauſſas cur ita latæ ſint inſeri vel addi oporteret: quo & ipſis partibus & cuivis, maxime vero ad quem forte provocatur Judici de æquitate tanto facilius conſtet. Novi Judicem, qui accepta pecunia pro mercatore ſententiam tulerat admodum injuſtam, non alio fine quam ut pars adverſa à litgando abſterrita, cum adverſario quibus ipſe vellet conditionibus tranſigeret. Ab amico de ſententiæ iniquitate monitus, reſpondit, Parum referre. Provocatione enim interpoſita non defuturos ſuperiores Judices qui eam emendent: ſe quidem præſens ac certum lucrum ob incertum litis eventum minime neglecturum. Ecce errorem *in Præſenti Indicativi*, ut ita dicam, enormiter commiſſum, ſed nauci habitum: quamvis, pæne dixerim, furca dignum.

O augustam conſcientiam.

Sed jam ex ipſius Philoſophiæ decretis cum litium amatoribus agam. Numquid ſatius eſt unam perferre injuriam quam multas? Quando Adverſarius tibi facit injuriam, unus facit, & tu ab uno injuriam accipis. quam ſi velis ulciſci, multis multorum obnoxium te facis injuriis. Primo enim fieri poteſt ut in Commiſſariũ incidas qui omnem fronte pudorem, omnem animo conſcientiam excuſſerit: qui ex eorum ſit nume-

Perfer unam injuriã ne plures.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ro qui quum ad ejuſmodi munera promoventur, ad aureum meſſem ſe proficiſci exiſtimant. Jam quid ego de lictoribus lictorumque magiſtris dicam? Novi in urbe Granatenſi unum, qui duos dentes habebat exemtiles, quos ubi vellet, gingivæ inſerebat aut demebat, tum ungue digiti è gingiva ſanguinem exprimebat, ſi quem forte nactus erat cui male vellet, aut à quo prædam ſperaret, aſperiora ultro ciens verba, mox clamabat vim ſibi factam, dentes excuſſos: ſicque etiam innocentes, niſi in carcerem abduci vellent, paciſci ſecum cogebat. & quamvis fraus hæc pleriſque nota eſſet, fidem tamen inveniebat.

O nequam.

Quid de Advocatis ſeu Cauſſidicis dicam? quam difficilis ad hos acceſſus! quam moroſa alloquutio! quanta ſportularum frequentia! Ubi cauſſam eis narraveris, ajent ſtatim æquiſſimum eſſe quod petere intendis. Si cauſſa cadas, velle ſe libros ſuos comburere. Cadis. nec tamen illi libros comburunt, aut forum deſerunt, ſed jam hoc jam illud cauſſantur: etſi non raro ipſi vel ſua negligentia vel ſua ruditate reum perdiderunt. O quam multi cruda adhuc ingenia ad Juriſprudentiæ ſtudium propellunt! Quam multi Digeſtis inſudant qui vera Latinæ linguæ fundamenta nondum digeſta

Cauſſidici quales.

geſta habent! quam multi caudices Codicem volvunt & revolvunt! Sed doctiſſimo Thuldenio materiam hanc relinquo, cujus libellus ſeu Diſputatio *De cauſsis corruptorum Iudiciorum & Remediis* ſub prelo jam gemit. Sed quid juvat bonum habere Advocatum, niſi faventem quoque habeas Judicem? At faventem vix umquam habebis, niſi donis & muneribus aggerendis adverſarium vincas. Quod ſi ab ordinario ad ſuperiorem provoces, cui (ut in Hiſpania, & alibi) nihil omnino à quoquam accipere licet, periculum tamen tibi erit ab affectibus, quibus tranſverſi plerique rapiuntur. Et vero quid ipſorum intereſt, ſive tu vincas ſive vincaris? ſive virgis cædaris, aut in furcam agaris? Pœnam quam tu, ipſi non ſentiunt. dolor tuus nihil ad illos pertinet. Putant ſe deos eſſe in terris. domi agunt quod volunt. publice coluntur, timentur, & tantum non adorantur. Tene illi curent? in ipſorum manibus ſalus & perditio tua ſita eſt. Abſolvent te aut damnabunt prout affectus aut amicus eis perſuaſerit. Hiſpali memini fuiſſe Judicem qui reo mulctam pecuniariam impoſuerat, è qua ducenti ſcutati in fiſcum inferrentur: quam quum ſolvere non poſſet, miſerum ad remos damnavit, hac conditione, ut

Quales Judices.

Hem ſententiam.

ne, ut exacto in tam miſerabili ſervitute decennio, in eumdem unde eductus fuerat carcerem reductus ad patibulum publice ſuſpenderetur. Ad me quod attinet, exiſtimem rectius facturum fuiſſe Judicem, ſi prius ſuſpenſum, inde ad remos damnaſſet: eodem modo quo inepto pictori, velle ſe domum ſuam dealbare, & poſtea depingere dicenti, quidam ſuaſit, ut prius eam depingeret, inde dealbaret. Sunt Judices qui etiam quum de fortunis & capite aliorum agitur, quæcumque in buccam venit ſententiam pronunciant. Quod ſi vel collega vel alius quis ſuam interponat auctoritatem, & mitius cum reo agendum ſtatuat; in convicia etiam & blaſphemias, tamquam graviſſime læſi erumpunt. Jam tu tecum ipſe diſpice, ſatiuſne ſit injuriam condonare, quam tantis cum laboribus, ſumtibus & periculis jus tuum perſequi. Sed dices: egone patiar ut injuria affectus, ludibrio me quoque exponam, & ut nullius animi homo etiam ab ipſoiderear adverſario? Equidem novi quam difficile ſit tolerare injurias. tu vero tecum cogita an ab uno vel à multis derideri malis. Si injuriam diſſimules, ridebit forte qui fecit. Si velis ulciſci, ridebit quiſquis tot tantiſque ſumtibus fumum (quid enim

Contemtus optimum ultionis genus.

aliud

aliud ſunt Juriſconſultorum promiſſa?) à te emtum viderit. Si ergo me audis, in pace vive. melius quippe eſt ut prudens ac patiens, quam vindictæ cupidus & ſtultus habearis. Quid tibi dictum aut factum quod tam indigne fers?. Si verum tibi quis dixerit, tibi imputa. Si mentiatur, ſine illum mentiri. Tanto tu cum periculo mendacium ulciſceris? Crede mihi, nulla re injuriæ ejuſmodi melius quam contemtu vindicantur.

CAPUT VIII.

Guſmanus chartarum luſu damnum ſuum reſarcit. Bononia Mediolanum proficiſcitur.

CArcere, ut dixi, egreſſus, tamquam è naufragio enatâſſem, non nauſeavi tantum, ſed & velut mediis in fluctibus multos dies poſtea ſimul tremui ac timui. Tandem recollecto animo, Sajavedræ, Quid, inquam, tibi videtur? nonne pulcre admodum nobis ſucceſſit noſtra negociatio? numquid in hoc mercatu præclarum fecimus lucrũ? viden' tu quid iis fiat qui ſua repetunt! Ille, Video, inquit, domine. Sed quid agamus ubi his moribus vivitur? Unum illud animo meo ægre facit quod hujus mali

Conſilia non ex eventu æſtimanda.

mali cauſſa & origo ego fuerim, qui conſilium de rebus furto ablatis repetundis dedi. Sed homo proponit, Deus diſponit. Mihi quidem tam ſiniſtri eventûs culpam nemo imputaverit. Non tuli diutius deprecantem, ſed, Noli, inquam, mi Sajavedra me rerum humanarum tam imperitum exiſtimare, ut omnia eventa nobis luenda exiſtimem. Bonus erat conſilii tui ſcopus: at ſiniſtrum eventum nos & Alexandri patris malitiæ & Judicis iniquitati, vel potius ipſi fato ſeu fortunæ adſcribemus. Quid enim? ſi quis lapide ſtulti manu ex improviſo projecto occidatur, an tu illum imprudentiæ damnabis quod ictum non providerit quem providere non potuit? Hæc dum loquimur, diverſorium noſtrum ingrediuntur exteri duo, cive quodam comitati, qui ad chartarum luſum, ut ſtatim apparuit, ſeſe provocârant. Proximum meo cubiculo conclave erat, ejuſmodi exercitiis accommodatum. in quod quum illi ſe recepiſſent & menſæ appoſitæ aſſediſſent, ego paullulum ſpacitatus, ſimiliter ſeſſum me recipio, tamquam ocioſus ſpectator. Et ex illo quidem certamine, pares fere ſuam quiſque ſortem ſervabant. Ego interim quamvis nulla omnino mea res ageretur, non ſine cruciabili ſol-

Nihil fere ſine affectu à mortalibus agitur.

ſollicitudine ludentes ſpectabam. inprimis vero uni bene volebam, ac ſi quando ille lucraretur, non minus quam proprio meo lucro lætabar. En miram humani ingenii naturam! Ego tam illum quam reliquos ante neque videram neq; noram: & tamen ad hunc illius pecuniam derivari cupiebam. Æquius ſane & rationi magis conforme futurum fuerat, omnibus ex æquo favere. ſed in hominum ingeniis occulta ſunt quædam ſemina, quæ ad ſimilia ſui facile ſe applicant: contraria fugiunt & aſpernantur. Et jam quidem non poſſum non meam quoque damnare curioſitatem. Quid enim mihi in aliorum chartas inſpectio fuit? aut ſi inſpicere volui, cur non ſine ulla perturbatione adſpexi? Nimirum & hoc à primæ noſtræ labis contagione eſt, quod non contenti propriis, aliena quoque onera humeris noſtris imponimus. Videas unum è feneſtra aut alia parte vicini ædes diu noctuque obſervantem, ut ſcire queat quinam egrediantur qui ingrediantur, quid importetur quid exportetur. Et hoc dum faciunt, nec frigoris, nec caloris, nec inſomniæ moleſtias ſentiunt. Sed tu, mi homo, mea tu, quid aliena curas, tuorum oblitus? Apage te ex hoc loco. cuique ſua parata ſunt adverſaria. Quid obſervas?

Curioſitas ſibi ipſi noxia.

quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quod tu imaginaris ibi fieri, forte fit, forte non fit. peccatur forte, forte non peccatur, & forte illi quos obſervas non peccant, ſed tu. Quid ad te ex omnibus illis moleſtiis quas tota nocte corycæus in ſpecula ſtans percipis, lucri redit? Quid ſi id ipſum videas quod nequaquam videre cupis? Quid honoris ex ipſius tu accipies infamia? Quod ſi tam in commodum & honorem alterius quam damnum & ignominiam tibi vigilandum eſſet, ſcio te minime facturum. Quod ſi ipſe ille vicinus tuus te maximopere orâſſet ut nocturnos fures ædibus ipſius inſidias facturos obſervares: quid quæſo ſis reſponſurus? Nimirum illud, Cuſtodiendam (ut puerilis monet Cato) ſuam cuique rem. nolle te valetudini tuæ alterius cauſſa periculum creare. nec forte abſurde. Quid ergo in damnum & injuriam alterius vigilare ſuſtines? Quanto melius fuerat, te dum quæ foris geruntur obſervas, domi tuæ circuire, & quid ibi ageretur explorare? Ipſos ego qui ludunt quam qui luſum aſpectant minus ſæpe peccare exiſtimo. Qui ludit lucri cauſſa ludit: ad quod arripiendum duo aut bini inter ſe, omnibus ingenii viribus confligunt. & quamvis tuam rem periculo exponas, non minus tamen ei conſervandæ invigilas. Inprimis

In malum proxi.

primis vero id tibi perſuade (certe perſuadere debes) poſſe tam facile fieri ut tua tu perdas quam aliena tua facias. Sed ad rem. Malicia hactenus fuerat in luſorio noſtro mari. At mox intumeſcere cœperunt fluctus, & jam hujus jam illius navem ad brevia & ſcopulos deferre. Quem adverſantis fortunæ ictum quum is cui ego favebam perferre non poſſet, tanta indignatione exarſit ut nihil omnino recte atq; ex diſciplina faceret, aut fortunam arte corrigeret, ſed quotieſcunq; res male ſucceſſiſſet, oculis irâ ſcintillantibus infortunatiſſimum ſe exclamaret, ac miris geſtibus animi proderet impotentiam. ex quo factum eſt, ut parvo temporis momento tamquam naufragus, nudus ad litus fuerit ejectus. De luſibus, quinam liciti ſint, qui illiciti, anne & qui viris gravibus conveniant, diſputare hic nolo. hoc tantum moneo, ut ſi ludis, ludas, id eſt, animum ita componas ut etiam adverſanti fortunæ poſſis illudere. quod fiet, ſi plus non perdas quam perditurum exiſtimaris: quidquid vero lucri acceſſerit mutuo tibi datum putes. At bono illi, ut poſtea intellexi, vix alterum tantum quantum perdiderat, ex omnibus facultatibus reliquum erat. & hujus quidem inopia tum luſui finem fecit: ita tamen ut alter

De luſibus.

alterum rurſus in eandem arenam provocârint, condicta poſt cenam hora. Interea bonus ille quum fruſtra pecuniam foris ab amicis & notis quæſiſſet, domum redit, non tam colluſoribus penes quos numos ſúos videbat, quam iis qui alienos ei credere nolebant iratus. quin etiam ipſam civitatem tamquam infelicem, & cives omnes tamquam latrones ac proditores infamabat, dejerans nec ſe cuiquam poſthac vel obulum velle credere. Hæc quum ille manibus tabulæ ſæpius illiſis detonuiſſet, (quæ ego facile audiebam, quod cubiculum meum ipſius eſſet proximum) in lectum ſeſe provolvit: in quo tamen, identidem ſurgens, ne momento quidem quievit. Ego ad Sajavedram: Scis quo loco res noſtræ ſint. Quod reliquum nobis eſt, vix paucorum dierum ſumtibus ſufficit. Quid ſi ſemel omnem jaciamus aleam, ut vel Cæſares ſimus, aut nihil? Neſcio quæ me lubido inceſſit cum illis qui poſt cenam in luſoriam rurſus arenam deſcenſuri ſunt, confligendi. Et quamvis ipſe animus bonū mihi ſpondeat eventum; multum tamen è re noſtra fuerit ſi fortunam arte adjuvemus. Hoc conſilium miris modis laudans Sajavedra, ait, quidquid conſtiuterim facere, ſive bonum illud ſeu malum ſit, ſe mihi

Non-ſunt domi aut dormiunt.

Vilitas animi non prodenda

mihi præſtò futurum. inde ultro ſuggerit, ſe tamquam aſtutum exploratorem hoſtiles copias pervagaturum, earum vires, numerum, & quidquid ad victoriam ſcire expediret, mihi ſignificaturum. Hæc audiens, præ lætitia vix apud me eram. Gratum erat quod ipſe ultrò ad ſervitium parum honeſtum ſeſe obtuliſſet, quod ego ſine exiſtimationis jactura ab ipſo petere non potuiſſem. Satius mihi erat ut ipſe animi ſui vilitatem proderet, quam ego. Inde inter nos diſceptatum quibus ſignis ad noſcendas hoſtium vires (chartarum puncta) uteremur. Tandem placuerunt nodi thoracis, & digitorum articuli, quomodo doceri ſolet Muſica: facto etiam bis, ter, quater periculo, ut ſigna illa mihi certiora eſſent quam quæ ipſa voce fiunt. Interea venerant colluſores illi, appoſitæque menſæ aſſederant, quum ego roſarium tamquam Eremita quidam religioſus manu ferens, per conclave obambularem, Sajavedra vero in cubiculo lectum mihi curaret. Quum ludendi faciendum eſſet initium, quæritur tertius ille omni argento ſuo paullo ante emunctus, ex omnibus notis & amicis ne unũ quidem à ſe inventum qui vel pauxillam pecuniæ ſummam ſibi vellet credere. Quod ſi verbis ſuis fidem habere vel-

Lavernionum artes.

lent, paratum ſe nomen facere, & fide optima exſolvere. Ibi alter conditionem detrectare dicere, ſemper ſe dum ſic luderet, infeliciter luſiſſe. Jam jam illis diſceſſuris, accedo ego, &, Quamvis, inquam, luſibus hujuſmodi non valde dequam, luſibus hujuſmodi non valde delecter, nec valde multum ſit unde id faciam: ne tamen tam bonus cœtus re infecta ſolvatur, ego ſi veſtrum utrique placet, in tertii illius locum ſuccedam. Jam illi me tamquam recentem turdum laqueis ſuis irretitum tenebant, jam prædam inter ſe partiebantur. Hæc ego tacitus animadvertens, tunicam nodis reſolvo, ut catena aurea quam collo appenſam geſtabam, conſpici poſſet. Unde illi magis fuere accenſi. Argumentabantur enim, me utpote juvenili ſanguine adhuc præfervidum, amiſſis numis, etiã quidquid haberem pigneris depoſiturum. Accepta conditione, Sajavedram inclamo, ut ſi quos à me haberet numos adferret. allatis, Sajavedra in cubiculum ſecedit. Procedente luſu, iterum Sajavedram inclamo. quum veniſſet, Ergo, inquam, nos ipſi candelas emungemus? An tibi in cubiculo tantum eſt negocii, aut dormitionis, ut tam bonæ ſocietatis miniſteriõ vacare non poſſis? Ille humili admodum geſtu, tacitus, candelam emungere, & tam ad meum quam alio-

Aſtutiæ luſoriæ.

rum

rum nutum ſeſe ſiſtere. Et ſane impoſſibile erat ullam fraudem in eo deprehendere, ut qui ne ſemel quidem oculis me adſpiceret, nec manum umquam à pectore moveret. Licet vero digitorum ipſius quaſi vocem optime intelligerem: non tam̃en ſemper occaſione utebar, ſed ultro ſæpe è manibus mihi elabi patiebar eouſque etiam ut ex meo pecore aliquod nonnumquam ad illorum tranſiret ſtabulum: quod tamen mox retrahebam, ne damnum meum ludibrio quoq; augeretur. Ubi vero animadverti luſum ad finem jam decurrere, remis veliſque contendi ut quantum poſſem ad me converterem. Et tum quidem puto alterum tantum me lucratum quantum illi antea lucrati fuerant. Id ægre ferentes, in ſequentem diem me ad eundem provocant luſum. Veniunt, ludimus, quum triginta circiter ſcutatos perdidiſſem, alter eorum, Finem faciamus, inquit. Et ipſe lætus quaſi aſſentiens, Placet, inquam. Quod ſi placebit, cras aliquanto temporius incipere poterimus. Sic boni illi turdi ineſcati, ſequenti die ad eamdẽ aream devolant: marſupia aureis numis plena in menſam effundunt, & ad me, Ecce, ajunt, domine miles, hos omnes ad ſerviendum tibi promtos. Reſpondeo, quamvis tantas divitias nunc quidem in

arca mea forte non haberem ; quidquid tamen eſſet, non minus viciſſim ipſis paratum. Incipimus ludere varia, ut fieri ſolet, fortuna. tandem omni mea arte & tacitis Sajavedræ uſus monitis, brevi ambos quingentis circiter ſcutatis emunxi. Sed nihil mihi erat gratius, quam quod uterque ludendi captus tædio ultro miſſionem in præſens flagitabat: ſic tamen ut craſtino die fortunæ quiſque ſuæ rurſus faceret periculum. Digreſſis omnibus, Sajavedræ, Minime conſultum mihi videri ajo craſtini diei fortunam rurſus experiri: quam etiamſi quaſi certam haberemus, verendum tamen eſſe, ne mulctati illi tam opimo bolo fraudem nobis alia via ſtruerent. quapropter recte facturos ſi ſummo mane in viam nos demus.

CAPUT IX.

Sajavedra in itinere Vitæ ſuæ hiſtoriam Guſmano narrat.

BOnonia digreſſi, Mediolanum magna celeritate contendimus. nec quieſcere poterat animus meus, quamdiu Bononia oculis meis apparebat: ſive quod periculum quod mihi licet innocenti paullo ante ibi creatum fuerat, ſeu

Offenſi etiam tuta timent.

ſeu aliorum facinorum conſcientia me terreret. Sic ergo uterque piſce magis muti iter facimus, cogitationibus quiſque ſuis occupati. Mihi hoc unum erat in votis, ut myopaxonem meum ſatis opulenta præda onuſtum in tutum aliquem portum deductum viderem. at Sajavedræ animum, ut mihi ipſe poſtea narravit, illæ cogitationes torquebant, Quid de meo ingenio & moribus ſentiendum: quid &, quantum de lucro ad ſe rediturum eſſet. Tandem ubi aliquanto longius jam progreſſi eramus, Sajavedræ dico, non minus ſtulte videri mihi eos facere qui in via ſeu itinere nihil, quam qui in foro multa garriunt. Quin tu ergo, inquam, mi Sajavedra, narras aliquid quo viæ tædium fallamus, & præteritorum laborum obliviſcamur. Ille oblatam ſibi occaſionem gaudens, Equidem lubentiſſime, inquit, facturus ſim quod petis, ſi prius ſcire poſſim, an lucri illius tuis quidem auſpiciis, ſed non ſine opera mea acquiſiti particeps aliquo modo futurus ſim. Nam etſi eam maxime ob cauſſam, ut flagitium meum utili aliqua opera expiarem, me tibi quaſi nexui mancipioque dedi, de te tamen illud mihi promitto, nequaquam te opera mea plane gratuita uſurum. Ego,

Comes facundus in via pro vehiculo eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

mi frater Sajavedra, inquam, quod factum eſt, infectum fieri non poteſt. Nemo hominum eſt quin aliquando impingat & labatur. unus hic, alius alibi. non tu ſolum, ſed ego quoque erravi. Quis fuerim novi; non quid me futurum ſit. illud ego experior, Neceſſitatem aſperam quidem, certiſſimam tamen eſſe vitæ noſtræ magiſtram. O quam durum eſt illud: *Si non ut volumus, ſaltim ut poſſumus*! Scis quò redactæ fuerint res noſtræ. Quod nos fecimus, crede mihi, feciſſet quivis alius. non nego, à furti infamia fraudem hanc parum abeſſe. Sed ego, ut quidem tum res meæ ſe habebant, nulli marſupio, etiam patre & màtre orbato, ſi vel mille habuiſſet ſcutatos, peperciſſem. Quia ergo facile intelligis nullas mihi ex India argento aut præcioſis mercibus onuſtas redire naves, nec Fucarorum mihi opes eſſe, non mirum tibi videri debet ſi videas me artibus parum forte apud ſeverioris notæ homines laudatis utentem. Suadet hoc non venter modo, ſed & ipſe honor. ego enim vel peſſimo letho perire malim quam quidquam de ſtatus mei decore remittere. Gallico quidem Oratori à puero fere ſervii: non tamen quod parentibus meis non eſſet unde me alerent; ſed ut in rebus maximi momenti

Paupertas male ſuada.

exer-

exercitatus, ipſe quoque dein Principum alicui utilem poſſem præſtare operam. quò magis mihi enitendum eſt, ne quidquam meo genere & ſtatu indignum committam. Suo quiſque lucro, ſuis quiſque commodis augendis intentus eſt. in quo multa ſæpe incidunt quæ à Juſtitiæ ſemita aliquantum aberrent. Capit qui poteſt capere. ſoli infelices peccati pœnam ferunt. Si tu luculentioris commatis fur eſſes, ex eorum puta numero qui multa aureorum millia una vice depeculantur: & favorem tibi comparare, & ipſum jus emere tibi poſſes, ab omni tutus periculo. at quorum omnis nequitia circa minutias conſumitur, parvi, inquam, illi furunculi ad remos damnantur, aut etiam in furcas aguntur: non quod furati ſint, ſed quod arte ſua parum ſcienter uſi ſint. Et quot tu putas malefici alicujus ſpectare ſupplicium qui illo longè ſint digniores? Quid quod ipſi Judices ſententiam mortis in eum ferunt quem malitia & flagitiis ſeu latenter ſeu ſpecioſo ſub prætextu perpetratis longè antecedunt. Ad me quod attinet, mihi animus eſt nihil mirari, nullam ob rem indignari. ut alter mihi ſonuerit, ita ego ſaltabo. Quod ais, velle te firmiter in mea hærere amicitia; ſic tibi perſuade, eam tibi nec faſti-

Fures inæquales.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dio nec damno fore. eo ſum ingenio ut merita recte æſtimare, atque etiam pro re nata remunerari poſſim. Ut vero mentem meam intelligas, ſic habe. E re utriuſque noſtrûm mihi videtur ut quidquid vel acquiſitum eſt vel in poſterum acquiretur tres in partes dividatur, quarum una tibi, altera mihi cedat. tertia vero utriuſque uſibus & neceſſitatibus ſerviat; atque inſtar ſanctioris ſit ærarii. Id quidem tibi promittere auſim, ſi ut hactenus ita porrò operam mihi impenſurus ſis, intra paucos annos tantum prædæ te confecturum ut honorifice Valentiam in patriam tuam proficiſci queas. nec operam tuam circa neſcio quas quiſquilias, in quibus comparandis hactenus deſudaſti, occupabo. Lucroſiorem nos exercebimus negociationem, & minus periculoſam. En paratam tibi tertiam partem: quam è veſtigio tuis conſignabo manibus. Deus faxit ut bene ac feliciter ea utamur: & reliquum navis noſtræ curſum ita moderetur, ne vel in ſcopulos impingamus, vel in piratarum manus incidamus. Dici vix poteſt quam alacrem tum Sajavedra ſe exhibuerit. & quamvis par mihi eſſet, famulus tamen meus eſſe gaudebat. nec ſane ego hominem conſiliis meis aptiorem invenire potuiſſem. Jam ergo

Pactum inter Guſmanum & Sajavedram.

go omni poſita diffidentia, Quia, inquit, ſpero æternam hanc inter nos fore amicitiam, totius vitæ meæ curſum aperte ac ſimpliciter tibi narrabo. Vulgatum eſt, tribus tantum veritatem dicendam, Confeſſario ſcilicet, Advocato & Medico: ego vero multo magis æquum eſſe puto ne amicum aut contubernalem quidquam celemus.

Quibus dicendum verum.

Patria mihi eſt civitas Valentia. Parentes habui inter Patricios non poſtremæ nobilitatis, mediocriter opulentos: quarum nomen forte in Hiſpania audiviſti, Frater mihi fuit major natu æque infortunatus. Sed quid ego fortunam accuſo? Imprudentia fuit & juvenilis ferocia, qua uterque abrepti, poſt parentum mortem res noſtras male adminiſtravimus. Quum ergo paucis annis magnas opes dilapidaſſemus, utrumque deſiderium invaſit exteras regiones perluſtrandi, & honoris ac commodorum materiam alibi quærendi. Quia vero peregrinantibus facile aliquid ſiniſtri poterat accidere; nequid in familiæ noſtræ redundaret ignominiam, uterque nomen mutavimus. Frater quidem meus Latinæ linguæ apprime peritus, initio Joannes Martinez dici voluit: mox Joannem in Lugianum: & Martinum in Matthæum mutavit, Matt-

Sajavedræ vita.

Iuvenilis imprudentia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

thæus Lugianus appellatus. Quid illo tandem factum ſit, neſcio; niſi hoc tantum, Pererrata Caſtilia & Andaluſia, ubi male fuerat tractatus, in Indiam navigaſſe, nec ego quidquam poſtea de ipſo inaudivi. Ego diverſam inſiſtens viam, Barcinone in Italiam navigavi, & brevi tempore quidquid domo meum tuleram, in victum impendi. Tandem Neapolim ire cogito: cujus urbis ſplendor & amœnitas adeo mihi fuit deprædicata, ut quoad poſſem morari ibi conſtituerim. Brevi tempore in Lavernæ ſchola ita profeceram, ut paucos haberem pares. Quibus tamen omnibus artibus tantum acquirere non potui ut olus mihi eſſet unctiuſculum, aut honeſtior paullo veſtitus. Et quamvis, ut dixi, habilitate ad quævis furta & facinora nemini cederem; quia tamen adhuc eram juvenculus, moleſtiſſima aliorum qui inter hoc hominum genus regnum affectant imperia tolerare ſum coactus. Horum omnis opera circa hæc conſumebatur, quod dum regnum pervagamur, oſtiatim circuibant, quærentes: Hicne habitat Titius? Hicne Mævius? An opus habet veſtra Dominatio famulo quodam? An emere vultis aliquid mercimonii? Et quidem ad prætextum hunc commode uſurpandum ſem-

Cave Canem.

ſemper aliquid à nobis ante aliis ſurreptum & ita reconcinnatum ut agnoſci non poſſet ſecum circumferebant, & pro novo vendebant. Nonnunquam in ſtabula irrepebamus, ubi fere ſemper aliquid erat quod onuſtiores diſcedentes faceret. atque adeo ne habenæ quidem, ſi equiſonis aut aliquod aliud pallium non compareret, aut capiſtra aut lora, aut ſtrigiles noſtras effugiebant manus. Quod ſi forte ante rem confectam ſuperveniret quis, ſolutis ligulis in angulo aliquo tamquam ventris, onus dejecturi in talos conſidebamus: nec conviciantes deprecabamur, ſed neceſſitatem excuſantes, inclementiam miſeros homines tam immerito excipientibus exprobrabamus. Etiam ipſas ædes nonnunquã ingrediebamur, obvium quodcumque involatur. deprehenſi ante furtum, lachrymabundi ſtipẽ poſtulabamus. Eccleſias, Conciones, Proceſſiones ſingulari cum devotionis ſpecie frequentabamus; ubi quanto major erat populi concurſus tanto certior nobis & copioſior erat meſſis. Quin ſi integrum quid, quantumcumq; vile, auferre non poteramus, dependens aliqua à veſte lacinia, aut è ſinuoſo volumine acutiſſimo reſectum cultro fruſtum in prædam cedebat. nec quidquam erat

Aſtutiæ Picaricæ.

O hypocritæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quod non eſſet uſui. Si quando ad mercatum, aut aliam aliquam ſolemnem panegyrim proficiſceremur, tanto licentius per ruſticorum caſas vagabamur quanto minor erat aliis operibus occupatorum cura! In primis mirabili arte gallos, gallinas, capones in ipſa terra piſcandi artem tenebam, & non minus ſcite quam ſedulo exercebam. ea ſi non ſucceſſiſſet, carnario inſidias ſtruebam: quæ raro admodum fuerunt irritæ. Tandem quum illo ipſo tempore novus Prorex Neapolim veniſſet, nobis quoque eò properandum exiſtimavimus. Quid multa? ipſius primi diei negociatio ita mihi ſucceſſit, ut honeſto me amiciverim veſtitu. quod quidem poſtea ad multas res fuit perutile. Socius mihi erat, qui famulus quondam fuerat Regentis de Conſilio Callaterali (ſic vocant) qui ut in urbem venimus, ſtatim ad priſtinum herum & patronum ſe contulit; quem agnitum ille non humaniter ſolum excepit (fideliter enim ſervierat) verumetiam quidquid ipſius cauſſa faceret, facturum ſe promiſit. nec promiſit tantum, ſed & reipſa præſtitit. Neque enim fieri poteſt quin ſi menſæ ſæpius aſſideas & è catino ſumas, labra unctiuſcula referas. nec fieri poteſt, quin ſi malitiarum hoc tranſeas pela-

Panegyres furibus lucroſæ.

En degenerem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

pelagus, Chriſtophoro aliquo indigeas qui labra tibi abſtergat. Sodali meo patronus ſtatim negocia quædam, in quibus paullo honeſtior occupare ſe poterat, demandavit: ſub cujus comitatu & protectione nos tanquam ſub alis latebamus, nec quiſquam erat qui contra nos vel hiſcere auderet. Ejus nos monitis omni in re utebamur: quæ inprimis ad id proderant ut ſciremus ubi timore, ubi confidentia opus eſſet. Die quodam quum nullum feciſſem operæprecium, & puderet me tamquam fucum ad præſepe inanem reverti, ædes primarii cujuſdam civis magna confidentia non aliter ac ſi meæ eſſent, ingreſſus ſum. Audieram enim vulgatum proverbium, Timidum chirurgum numquam bonum eſſe. idque ipſum in Hiſpania pueris caute ac tarde incedentibus acclamare ſolent: *Anda, anda, que parece, que vas à hurtar*, id eſt, *ambula confidenter, ad inſtar ejus qui furatum it.* Verſis in omnes angulos oculis, femineam video veſtem holoſericam menſæ impoſitam. ubi tuta omnia animadverti, ſublevo veſtem, & ſub ſiniſtro condo brachio. ecce vero in ipſo domus limine patrem familias mihi obvium: à quo rogatus quid ibi haberem negocii & quid portarem, veſtem monſtro, ajo, ſartorem me eſſe,

Audacia furibus convenit.

& à

& à matrona accerſito reconcinnandam mihi veſtem datam eſſe. ille, Bene, inquit. Tu vide ut propediem illam tua manu, ut juſſit illa, reconcinnatam referas. quum ille jam limen ſcanderet, dicto citius ego me proripio, & plures gyros quam hirundo per plateas maxime averſas faciens, in noto ſtabulo prædam depono. Hujus rei ſpectator ſocius meus mihi narravit, paullò poſt heri ingreſſum audîſſe ſe totam familiam tumultuantem, quæ nimis ſero veſtem ablatam ſenſerat, tum accurrentem patrem familias, animadverſo errore ſuo; riſui fere quam indignationi propiorem, miniſtros undiquaque per plateas circummiſiſſe qui furem perquirerent. Sed jam ego evanueram. In feſtinatione tamen ille me ita notarat ut poſtea poſſet noſcere. In aliis ædibus ſimili omnino modo deprehenſus, occurrenti quoque paullò extra limen ædium domino, & quid egiſſem, quid ferrem roganti, reſpondi, portare me neſcio quid mearum veſtium, quas argentaria circumventus inopia apud daniſtam vellem deponere. ille indignabundus, Ergo tu, inquit, homo inſulſiſſime ædes meas à daniſta habitari putaſti? Apage te nequam, cum tuis centonibus. Quod quidem ego ſedulo feci; non meis, ſed ipſius cen-

Sero plerumque furta deprehenduntur.

centonibus onuſtus. Erat vero mihi aditus quoque ob ejus quem dixi hominis familiaritatem, in Comeſtabilis palacium: ubi aulici ſingulis noctibus luſum in multam uſque noctem producebant. Quatuor ſtabant eo in conclavi menſæ, ſericis ſtragulis opertæ, & binis candelabris argenteis inſtructæ. his ego jamdiu inſidias ſtruxeram: quæ tandem ſucceſſerunt. Curaveram mihi duo ejuſdem omnino figuræ & magnitudinis candelabra è ſtanno fieri: quæ mecum ferens, in angulum aliquem, dum luſus ferveret, ſecedebam, omnibus me è ludentium miniſtris aliquem eſſe credentibus. Quadam nocte duo ludentium in una menſarum quum deficiente candela novam rogaſſent, nec quiſquam præter pediſequum in angulo ſtertentem præſto eſſet, accurro, & candelabra foras portans, argenteis in ſaccum conditis ſtanneis candelas impono, ſicque in menſam reſtituo. inde cautiſſime tamquam feles è columbario me ſubduco. ne vero furtum diſpaleſceret, tam hæc quam alia alibi à me ſublecta vaſa argentea in unam maſſam conflavi: quam duci & anteſignano noſtro tradidi, ſine periculo aut ſuſpicione (erat enim homo bonæ exiſtimationis) vendendam. & precium quidem ille tam mihi

O aſtutiſſimum nequam.

quam

quam aliis optima fide reddebat, ſibi tamen ſervata quinta parte, quæ ſanctius quam ullum Indicarum mercium vectigal ex omnibus noſtris proventibus ſolvebatur. Et quidem apud hunc tabulæ accepti & expenſi aſſervabantur. ac ſi quando ipſe numis opus haberet, ſinguli quantum vellet contribuebamus: quod ille poſtea optima fide reddebat, multum in eo nequiſſimo illi Alexandro diſſimilis, qui omne fere commodum ad ſe derivabat, quum pleraque omnia noſtro maxime agerentur periculo. Sic vero inter nos conſtitutum fuerat, ut dum alteri furtis vacant, alteri eventum diligenter obſervarent. Quod ſi fiebat ut quis in ipſo furto deprehenſus eſſet, alter ille tamquam bos in miſerum incurrens, clamabat: Quin tu nequiſime quod furatus es reſtituis? & unum vel alterũ impingens colaphum, Quin tu ſceleratiſſime, ait, quantocyus ex oculis noſtris diſcedis. quem ego, ſi hoſthac videro. Et plerumque circumſtantes hunc pro honeſto habentes homine, qui ſingulari pietatis zelo hæc ita diceret ac faceret, etiam manifeſtarios fures ita dimittebant. Quod ſi, uti nonnunquam contingebat, aliqui eſſent qui comprehenſos tenerent, non tam facile dimiſſuri, accurrebant alteri ex noſtro grege,

Etiam fides inter latrones.

grege, & precibus primum agebant, dicentes: Quin tu, vir optime, nequã hunc furem, prius probe depexum, miſſum facis, cui à lictoribus comprehenſo, fame in carcere moriundum erit. ecquid autem id tibi proderit? inde in ipſum furem converſi, nihil reluctantem pugnis ac pedibus impetebant; interim effugiendi viam quaſi aperiebant. Quod ſi pertinacior aliquis ne ſic quidem nocentem amitteret, de induſtria rixas ciebant, ac velut globo facto, manus conſerebant; ex quo fiebat ut major tumultus minorem ſopiret, reus interim per turbam elaberetur. Etiam nonnunquã ſtatim in pedes nos conjiciebamus, velut curſu cum iis qui nos perſequebantur, contendentes, ac fere ſemper palmam auferentes. Nam præterquam quod timor pedibus alas addit, per angiportus & viarum amfractus facile nos ſubducebamus: Quid multa? Tot modis officium noſtrum, Lavernionum ſcilicet, faciebamus, ut vix cujuſquam calamo deſcribi queant. Quadam autem die, dum extra urbem obambulo, video in ripa fluvioli mulierem lintea recens lota & ſoli ad ſiccandum expoſita ſervantem. Maximus erat æſtus, quem illa ut vitaret, ſub proximæ arboris umbram ſe receperat, plane (neq; enim me

Serius, ocyus ſemper maleficus punitur.

vide-

viderat) ſecura. Dum illa ſub arbore jacet, adrepo, & induſia aliquot, etſi nondum ſicca, convolvo, ſicque non animadverſus non fugio quidem, ſed tantis paſſibus abeo, ut illa ſuſpicata quod erat, recenſito velut manipulo, abſentes facile deprehenderit; meque magno cum clamore perſequi cœperit. Pergo ego quaſi illud nihil ad me pertineret, ire viam meam; mature prædam è manibus in viam demittens. Sperabam namque mulierem recuperato quod amiſerat, quieturam. At illa tum demum multo horribilius vociferari, deos hominesque in auxilium vocare. quo clamore vicini tam homines quam villatici canes excitati, acerrime & ipſi me perſequuntur, pueri inprimis aliquot valentuli, quid circumventum me undique ſuæ poteſtatis fecerunt. ex eo ſane tempore gentem hanc minutam, quam ſemper antea contemſeram, timere cœpi. Hæc narrante mihi Sajavedra, in mentem mihi venit quod Madriti evenit. Homo ibi erat vino ita deditus, ut quotidie fere è tabernis ebrius (quod non ita frequens in Hiſpania ſpectaculum) prodiret. Quodam die dum ebrius titubante greſſu in publico ambulat; ecce magna puerorum caterva à tergo inſequens ructanti non verbis modo, illu-

Etiam pueri timendi.

illudit,ſed latus quoque fodit. Ille commodum tandem locum nactus, tergum muro obvertit, & arreptis aliquot lapidibus, Satis, inquit,ô boni,officii cauſſa me comitati eſtis: proque hac comitate vobis ago gratias. Sed jam moneo ne nimis ſitis officioſi. Hoc loco ego terminum veſtro conductui ſtatuo: quem ſi tranſieritis, has ego & quoſcumque alios apprehendero lapides in occurſum vobis mittam, lonigusque vos comitabor quam vos me comitati eſtis. Pueri ubi illum ſeriò hæc dicere & agere viderunt, ſtatim dilapſi ſunt. Idem ſi Sajavedra feciſſet, expediſſet ſeſe forſitan. Sed ad rem. In hoc tumultu (pergit Sajavedra) lictores ſuperveniunt; in carcerem me abducunt. De ſiniſtra mea fortuna ego Capitaneum meum edoceo: qui me quid dicendum, quid faciendum, quam diligentiſſime inſtruxit: deinde Notarium ſeu Procuratorem acceſſit, dicens: Parentes meos in Hiſpania nobiliſſimos jamdiu ſibi notos. veriſimile non eſſe tâle delictum à me commiſſum. quod ſi tamen, (uti non crederet) commiſſum eſſet, neceſſitati, quæ miſerum premeret, & fami condonandum. Reculas eſſe nullius fere precii, quæ jam in verum dominum redierint, ea me eſſe generis

Evadit ſæpe maleficus.

neris nobilitate, quæ tam levi delicto merito veniam impetrare debeat. Nec prius deſtitit cauſſam meam agere quam à Judice ut dimitterer obtinuit. Sed ô me infortunatum! Jam pedē alterum carcere extuleram, quum ecce infauſtis avibus occurrentem mihi illum ipſum à quo ſupra in holoſericæ veſtis furto deprehenſum me dixi. erat vero is præcipuæ auctoritatis Actuarius;& tum quidem uni è captivis liberationis adferebat ſententiā. Ubi me vidit & diligenter contemplatus eſt, Non ego te novi, inquit, peſſime nequam! ecquando tu veſtem holoſericam reconcinnatam à te refers? *Obſtupui,ſteteruntque comæ,& vox faucibus hæſit.* Ille magno impetu me in carcerem retrudit, & cuſtodi ut diligenter me aſſervet mandat. Quam genus hoc ad ejuſmodi imperia promtum ſit, experti nôrunt. Reducor, & compedibus maniciſque conſtringor. poſt dies aliquot, cognita mea cauſsâ, ſententia multo aſperior in me fertur. Qui induſiorum cauſſa in carcerem conjectus eram,ſine induſio, vel potius ad umbilicum demiſſo,educor, & virgis cæſus urbe ejicior. Sed noſce hic quorundam fatuitatem. Si Actuarius ille mecum paciſci voluiſſet, facilimum mihi fuiſſet furtum reſtituere.nunc ego verberibus, ille

Sed in eoſdem recidit caſſes.

Furum brabeja.

damno

damno non mediocri fuit mulctatus. nec honori ipſi mea fuit infamia. Relicta hoc modo Neapoli, Bononiam veni, ibique (pares enim cum paribus facilime congregantur) cum Alexandro amicitiam contraxi: cum quo dein Romam profectus, ejus conſilio, & commonſtratione cum ſociis multas luculentas prædas feci: inter quas & illa fuit quam de Veſtræ Dominationis peculio reportavimus, cujus quidem facti me vehementiſſime pœnitet, & æternum pœnitebit.

CAPUT X.

Sajavedra Mediolani in popularem quemdam ſuum incidit, mercatoris miniſtrum, ejus ductu & ſuggeſtu Guſmanus aſtutiſſimum furtum committit.

HÆc dum narrat Sajavedra, jam ad urbis fere portas proceſſeramus. mihi vero dici non poteſt quantos hæc Sajavedræ hiſtoria ſcrupulos injecerit; qui deinceps animo meo numquam penitus eximi potuerunt. Credere non poteram homines nobili

Generoſi ad infamia ſe non demittune. bili prognatos genere ad ea flagitia procedere quib. & ipſi & majoribus extrema conſletur infamia: inprimis ut furtis ſeſe obſtringant. Duo ſunt homini inprimis neceſſaria, Res, & Honor. Et quamvis proculdubio Honor omni Re preciosior ſit; ſic tamen exiſtimo qui Rem alteri rapit, Honorem quoque ſimul auferre. Tanti enim quiſq; fit quantum in re habet: qua amiſſa, mox vilior eris projecta alga. Sæpe illud mecum conſiderabam: ſi Sajavedræ à parentibus tantæ opes fuerunt relictæ, cur miſer tam infami ſe dedit flagitio, furto ſcilicet? Cur pannoſus, famelicus per ſumma vitæ pericula ſic oberrare, quam domi inter cives quietus & honoratus vivere mavult? Qui malum faciunt, faciunt boni alicujus conſequendi gratia. at dum malum patimur, nulla boni vel umbra ſeſe oſtendit. In alteram partem ſic mecum cogitabam: Forſan puer admodum, ut & ego, parentes amiſit; aut à tutoribus (quod non raro fit) bonis everſus eſt. Mox ad primas rediens cogitationes ſic ratiocinabar: eſto verum quidquid de ſuo genere Sajavedra dixit. Cur ubi ad id ætatis venit ut bonorum & malorum ſciret delectum, conſilium ac vitæ conſuetudinem non mutavit? cur non potius Martis quam Lavernæ ſigna ſequutus eſt? Sed etiam

Malefici merito ſuſpecti.

ad

ad hoc mihi ipſe reſpondebam: Cur tu quoque, mi Guſmane, ad ſaniorem non redis mentem? cur honorem tuum ſeu exiſtimationem infamibus artibus ſuſtentare pergis? Cur non tu quoque militaribus manipulis adſcribi te pateris? Damnas in altero quod in te tibi placet. At militiæ labores & pericula te abſterrent. Quaſi vero furum vita non multo majoribus periculis & ærumnis ſit obnoxia. Equidem vix omnes juriſconſultos tanta in medium Conſilia allaturos puto quantis bono furi aut lavernioni opus ſit. nam valde erras, ſi non & hic certos dignitatis, ſcilicet, gradus eſſe exiſtimas. Æmulatio certe non minor eſt quam inter vel eruditos vel opifices. Ex iis quæ ex Sajavedra audieram, ipſe quidem cum fratre ſuo parvulus aliquis Delphino adnatans piſciculus; ex iis autem quorum mihi eram conſcius, ego balæna mihi videbar. Occupabantur illi circa furta rerum fere nihili: idque ſine ulla fere arte, niſi quæ furum propria eſt, factitabant. neſciebant forte *Plus ultra* eſſe. Almonaci (qui pagus eſt Toletanti regni) communi ſumtu linter aqualis, in quo jumenta potum caperent, factus fuerat. Quum unus diceret nimis altum, alius, nimis depreſſum eſſe; prætor loci ipſe

Lavernionum artes.

S acce-

accedens, inclinato corpore quaſi periculum commodæ fecit aquationis; ſicque duos aut tres paſſus retrocedens, Profecto, inquit, nihil amplius eſt quod cauſſari quiſquam poſſit. Quia enim ego vaſis labrum commode poſſum attingere, nulla etiam alia beſtia, puto, erit altera quæ eôdem pertingere non poſſit. Sic ſunt quidam, qui ubi factum aliquod vel audiunt vel vident ingenioſi ab hoc vel illo factum, eamdem dexteritatem de ſe ſibi promittunt: quibus tamen id dici poſſet quod alius quidam ruſticus ex eodem pago dixit; ubi quum duo inter ſe de certo quodam jumento contenderent, utrum mula eſſet vel equa, accedens tertius, & jumentum diligenter contemplatus, tandem arreptis & utrique monſtratis auribus longioribus, *Hic*, inquit, tam certo eſt aſinus quam pater meus. Qui fur eſſe vult, operam det ut ſit cum honore; nec ad vilia ſe demittat; quales ſunt qui res nihili aut certe non magni precii paſſim ſublegunt, deinde nihilominus ad patibulum ducuntur. Et hujuſmodi quidem ubi ad primipilares venerint, in extremis habentur, nec ad tribum admittuntur niſi tributum ſolverint. His idem dici poſſit quod Chiapinum Vitellium magni nominis ducem dicere ſolitum ferunt: Qui

Ridiculũ ruſtici dictum.

Fures triobulares.

Qui merces ſuas non novit, optime fecerit ſi tabernam claudat. Ad me redeo: qui etſi prioribus annis nemini in arte hac ceſſerim, jam tamen longa deſuetudine eam dedidiciſſe mihi videbar. Optimus omnium rerum magiſter uſus eſt ſeu exercitatio: ſine qua etiam ſplendidiſſima ingenia quaſi rubigine obducuntur.

Mediolanum ingreſſi ego & Sajavedra triduum fere in hoſpitio nos continuimus. Pruriebat quidem mihi ludendi deſiderio animus: ſed verebar ne inciderem in homines de Militia, qui ſemper ludunt cum Malitia. & fieri poterat ut prærogativa quam Sajavedræ dexteritas ante mihi ſubminiſtraverat, uti non liceret, illis alia uti liceret. Dum quodam die luſtrata magna urbis parte, in foro obambulo, video juvenem vultu & habitu neſcio quid alacre ſimul & modeſtum præ ſe ferentem ad Sajavedram accedere, & mutua facta ſalutatione ſatis longum ſermonem miſcere. Statim animo meo injecta fuit ſuſpicio in me meaſque ſarcinulas nova cudi conſilia: eoque diligentius omnes eorum geſtus obſervabam. intervenire ipſe nolui, ne ſuſpicionem meam proderem, aut colloquium illorũ ſeu conſilia, quæ neſciebam obfutura an profutura mihi

Militũ luſus.

hi eſſent, turbarem. Quod ſi illo ſine
me vidiſſem abeuntes; jam ante viam mi-
hi ad hoſpitium compendioſiorem præ-
videram, qua utrumque prævorterem.
Sub prandii tempus, abit alter ille ju-
venis: ad me reverſus Sajavedra ne mutit
quidem. unde ſuſpicio mea valde fuit au-
cta inſidias mihi meiſque fieri ſarcinu-

Suſpicio quando juſta.

lis. Eſt quidem ſuſpicio inſtar radentis
vermis, qui animum, ut teredo lignum,
exeſt: nec facile in aperti & ſinceri ani-
mi hominem cadit. Si tamen ingenium
fraudulenti hominis perſpexeris, nihil
vetat quin nihil ipſi fidas. *Metuo Danaos*
& dona ferentes. Sileo & ipſe. tandem ve-
ro continere me non potui quin Saja-
vedram interrogarem, ecquid hominis
ille eſſet quîcum in foro conſtitiſſet &
colloquutus eſſet. Videri mihi Romæ à
me viſum. Numquid, inquam, Men-
doza ei nomen; Ille, non Mendoza ait,

Aquilera qualis.

ſed Aquilera vocatur. & ſane rapax ad-
modum & ad omnem prædam ſagaciſ-
ſima eſt aquila. Fuit is non ita pridem
noſtri gregis. Litteras pingit ſcite admo-
dum. arithmetices etiam eſt peritiſſiums.
Ut verum fatear, grande ille mihi per-
ſuadere voluit facinus, non brevibus
Gyaris tantum & carcere, ſed & Tarpejo
ſaxo dignum. Narravit mihi qua occa-
ſione & quo fine in hanc urbem venerit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ne autem interea dum conſiliorum ſuorum ſenatum convocat, tamquam vagabundus lavernio deprehenderetur, collybiſtæ, ſeu uſurario, ſeu mercatori mavis (hodie enim confuſa hæc nomina) operam ſuam addixiſſe, jamque annum & eo amplius, fideliter & ad heri guſtum præſtitiſſe; non alio fine quam ut tamquam mulus ſeptennis, ubi occaſio ſe tulerit, calcibus vel herum vel quemcumque alium impeteret ac proſterneret, ſicque aufugeret. Petiit inſuper à me ut ſocium me adderem; multa proponens quæ luculentæ prædæ ſpem faciebant. Sed nihil mihi placebat, duas potiſſimum ob cauſſas: & quod præſenti mea ſorte omnino contentus eſſem, ut meliorem vix optare poſſem: & quod in mutando vitæ ſtatu ſeu conditione cautiſſime ac non niſi rebus omnibus ad amuſſim penſiculatis procedendum eſſet. Parva præda utrumque parum juvare poterat; luculentæ exigua ſpes erat. nam & vix quatriduum latere, effugere vero non facile poteramus. & certum erat in deprehenſos ſupplicium. Et licet uterque multa ex tempore à nobis excogitata in medium adferret, nihil tamen erat in quo poſſem acquieſcere. At ubi finis conſequendi nulla ſpes eſt, principia temeraria ſunt, media fruſtra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nea. Sic ergo à me ille diſceſſit, ipſo etiam monente tempore: ut qui hero ne tantillum quidem, uti ſemper hactenus, in mora eſſe vellet. Non omnem Sajavedræ hic ſermo mihi exemit ſcrupulum: quamvis vero non omnino diſſentaneus mihi videretur. Sumto pallio cum Sajavedra, per urbem aliquantulum obambulo. in hoſpitium inde reverſus, ne verbo quidem ejus quod dixerat Sajavedra mentionem facio: totus eam in curam ne os mihi ſublineretur, incumbens. In meis Argus eram: in eo quod Sajavedra mihi de Aquilera dixerat, Ulyſſes, varias animo machinationes agitans quibus operæprecium aliquod fieri poſſet: certus tamen nullam aquam ingredi niſi vado prius bene tentato & explorato. Stultorum eſt ob exiguum lucrum, magnæ jacturæ ſubire periculum. Quid enim ego totas noctes curis & machinationibus inſomnes tranſigam ob vilem aliquam rem, cujus acquiſitæ precium vix unam in cenam ſufficiat? Quia ergo ſuſpicabar poſſe nobis Aquileræ operam maxima afferre emolumenta, domum reverſus ad Sajavedram, Tu inquam, (totus enim cogitabundus ſedebat) vix apud te eſſe mihi videris. ita te forte mercatoris illius cui Sajavedra ſervit, pecunia ſollicitum habet.

Etiam mali caute procedunt.

bet. Equidem ejuſmodi inventionibus ſeu machinationibus Archimedi non ceſſero: ſi modo aliquid eſſet in quo utiliter talis opera collocari poſſet. Quid, inquit ille, utiliter? Parumne videntur tibi viginti ducatorum millia? ut de pannis aliiſque mercimoniis nihil dicam. Ergo non mirum, inquam, quod curas tuas in rem tantam jacias. Sed quid inveniſti? An machinã aliquam habes qua tam dives oppidum expugnemus? Ille, Nihil admodum, inquit, quin etiam quanto magis cogito, tanto minus video. Quoniam igitur res tanta eſt, inquam, quam partem mihi dabitis ſi ego utile aliquod conſilium invenero, quod voti compotes nos faciat? Domine, ait ille, & ipſe & mea omnia jamdudum in tua ſunt poteſtate, de quibus pro arbitrio tibi licet diſponere. Ad Aquileram quod attinet, cum ipſo agendum eſt: nec dubito quin facilem ſe præbiturus ſit. Abi ergo, inquam, & quære hominem, & ut quando commodum fuerit, ad me veniat roga. Cave autem ne quiſquam te cum illo loquentem videat. Poſtridie condicto loco venit ad me Aquilera: è quo etiam minutiſſima quæque ad heri perſonam pertinentia exquiro: inprimis quantum auri & argenti, & cujus monetæ, ubi, & in quibus loculis haberet.

Merces labori par ſit.

Ille ſic exorſus eſt: Animadverto, domine, mei apud Dom. Veſtram à Sajavedra factam eſſe mentionem. De me vero ſic habe: Genus mihi plebejum: pater, nauta. In paupertate nato ingenium tamen ad quævis habile mihi Natura largita eſt, quod puer ad ſcribendi & computandi artem applicui. Adoleſcens inde cum æqualibus aliquot exteras adii regiones, variis artibus victum quærens: ubi interim nonnulli è noſtro grege Juſtitiæ litârunt: cui ego quoque ceu non minus merita debebar hoſtia. Sed ſervatus Dei benignitate, quum ante annum & paullò amplius in hanc urbem veniſſem, operam meam diviti cuidam mercatori locavi: qui ante quatuor circiter menſes omnes Rationum ſuarum libros meæ permiſit curæ, ærarii vero claves ſolus ipſe in ſua habet poteſtate. Et fateor non ſemel à me initas rationes quibus opimo aliquo bolo hominem poſſem emungere; ſed periculi metu hactenus fuiſſe deterritum: quod tamen ſubire non detrectem, ſi magnum aliquid & diu profuturum patrandi detur occaſio. Cogitationem hanc meam Sajavedræ revelavi, ut eum quaſi Achatem mihi adſciſcerem, quem olim nôram ad ejuſmodi negocia maxime idoneum & quaſi à Natura factum:

Aquileræ hiſtoria.

ctum: eoque ubi me accerſitum vidi, magnam ſpem opulentæ prædæ ſine magno periculo ex herili agro agendæ concepi. Quod ad heri mei facultates ſeu divitias attinet, ſcio ego (vidi enim & quotidie video omnia) pluſquam viginti ducatorum millia poſſidere. Numi quidem binis ferreis ciſtis incluſi ſunt. & ante paucos dies idem tria ſcutatorum millia in ſacculo quodam nigris maculis diſtincto recondita earum alteri intulit: inter quos ſcutatos nullus omnino eſt ſimplex, ſed omnes vel dupli vel quadrupli. & hi quidem eò à reliquis ſecluſi ſunt, quod neſcio cui alteri mercatori ſummam eam feneri dare conſtituerit. Sed intelligo illum conditiones detrectare, quæ ſunt, ut ipſa uſura, quæ enormis admodum eſt, ex ipſa ſumma in anteceſſum detrahatur; tota vero ſumma in obligatione exprimatur, his verbis additis, *Gratis præſtari*. Quid de illo ego dicam? Homo eſt unus omnium maxime toti Civitati, ob immodica fenera & varias alias fraudes exoſus: & certò ſcio neminem eſſe qui non male factum ei velit. Nomen deinde hominis, ædes, tabernam, capſularum in quibus pecunia aſſervabatur notas, aliaque omnia tam dilucide indicavit ut in rem præſentem me duxerit, & ſingula di-

Huic ſcilicet recte credas.

Avari & uſurarii omnibus exoſi.

gito quaſi demonſtrarit. Rogavi, an clavium poſſet habere copiam. Facilè, reſpondit Aquilera, ut quæ eidem quibus ceteræ claves annexæ eſſent catenulæ: quas omnes non raro ſibi traderet, ad expromendas merces & reliqua quæ in diem viderentur neceſſaria: tunc tamen, ut qui & avarus & ſuſpicioſus ſit, nuſquam avertere oculos priuſquam reddantur, verentem ſcilicet ne ſcrinia expilentur. Juſſi ergo ut ante omnia clavium quas vellem formas ceræ impreſſas ad me perferret. illud reſtabat, ut conſtitueremus inter nos quid & quantum ex tot illis bonis eſſet involandum; ea adhibita cautione, ne id nimium eſſet, ut quod tam facile expediri non poſſet; neque etiam nimis parum, quod non multum utilitatis eſſet allaturum. Commodiſſimum viſum fuit arietem ad eam capſulam admovere in qua tria illa de quibus ſupra dixi, ducatorum millia aſſervabantur: quæ inter tres æqualibus portionibus dividerentur. Illud unum mihi curæ erat ne magno me committerem periculo, ſed furtum hoc ita patrarem ut, præter utilitatem, etiam honori eſſet. Quod ut tanto lubentius facerem, Sajavedra & Aquilera ſic mecum pacti ſunt, ut tertia pars prædæ integra mihi cederet; deinde reliquæ duæ par-

Nec nimium: nec parum.

tes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tes æqualiter inter nos dividerentur. Acceptis ab Aquilera formis, claves mihi fieri curo: de quibus Aquilera quamdiligentiſſime nos edocuit quæ ad tabernam, quæ ad ſcrinia pertinerent. Eidem dixi, velle me poſtero die herum ipſius accedere. arrigeret tum aures, & verba mea diligenter notaret, ut ex iis deinceps conſilia quoque ſua moderaretur. ſimul rogavi, ut quotidie ſub veſpertinum crepuſculum certo loco ad nos veniret.

Guſmani congreſſus cũ mercatore.

Sequenti die ad tabernam mercatoris me confero, & audiente Aquilera, hæc fere cum ipſo loquor: Eſſe me Nobilem Hiſpalenſem. ante paucos dies certorum negociorum cauſſa in urbem veniſſe, quæ ante nuptias quas jam tractarem, maxime expedita vellem. attuliſſe vero mecum tria circiter ducatorum millia. diverſari in hoſpitio maxime frequenti. & licet claves ejus capſulæ in qua numos illos meos repoſitos habebam mihi datæ eſſent; vereri tamen ne alii earum ſimiles haberent; ſicque aurum illud mihi ſurriperetur. Monitum autem eſſe à quibuſdam amicis, poſſe me facile hoc metu liberari, ſi quidquid mecum haberem numorum apud ipſius Dominationem deponerem, bona fide quandocumque vellem poſtea reddendum. Rogare me ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ut eos numos diebus aliquot apud ſe eſſe pateretur. id me magni beneficii loco habiturum, atque etiam remuneraturum. Hæc quum ego iis geſtibus & verbis quæ maxime fidem conciliarent, eloquutus eſſem, ille non modo in hac verum etiam aliis quibus poſſet rebus lubentiſſime ſe mihi gratificaturum reſpondit. Credo equidem utriuſque noſtrûm tum idem fere fuiſſe propoſitum, idem conſilium, eamdem mentem: nec minus illum meæ quam me ipſius pecuniæ inhiaſſe. Diſcedo, ita ut dicerem me ad hoſpitium ire, ut pulcrum illud depoſitum aſportarem: cum eoque paullò poſt rediturum. Ubi in hoſpitium venimus, Sajavedra quaſi attonitus rogat me, unde tria illa ducatorum millia ſumturus eſſem. Subridens ego, Quid? inquam non tu jamdudum illa ad mercatorem deportaſti? Quum & ipſe rideret, Quid tu, inquam, rides? equidem hoc ſcio meum illud depoſitum in eo quem Aquilera mihi deſignavit ſacculo bene & recte aſſervari, nec quidquam inde mihi periturum. Sed amico illi noſtro dic, ut poſt octiduum ad nos veniat, & librum aliquem rationarium heri ſui ſecum afferat. Dum telam hoc quo dixi modo, cœptam pertexere ſtudeo, & animum nunc huc nunc illuc di-

Non eadem cogitant aſinus & agaſo.

vi-

vido, quodam die quum jam uterque in lectum decubuiſſemus, Sajavedram & ipſum, quod in tota re parum adhuc proſpiceret, fere inſomnes noctes agentem, ſic alloquutus ſum: Scito, mi Sajavedra, Aſinum graviſſime olim ægrotantem, & jam morti vicinum, rogantibus amicis & filiis (quorum ſanè infinitus propemodum eſt numerus) tale teſtamentum feciſſe. Jubeo ut poſt mortem meam lingua mea detur adulatoribus & calumniatoribus. cauda cholericis & iracundis; oculi, laſcivis; cerebrum alchymiſtis, Aſtrologis, Judiciariis, Arbitris & machinatoribus; cor, avaris; aures, ſeditioſis & delatoribus: os, Epicureis, epulonibus & bibonibus: oſſa, pigris: lumbi, ſuperbis: ſpina dorſi contentioſis: pedes poſteriores Procuratoribus; anteriores, Judicibus: caput, Cauſſidicis, ſcribis & Notariis: caro pauperibus: pellis autem inter nothos meos dividatur. Quorſum hoc? inquis. Eò. nolo ego, ut dum Aquileræ ductu & ſuaſu mercatoris illius auro tendimus inſidias, Aquilera illud parum quod habemus nobis ſubducat: ſicq; Teſtatoris noſtri pellem, qua culpam noſtram & inertiam tegamus, ſolam nobis relinquat. Et profecto dignus palma fuerit Aquilera ſi os nobis ſublinat. Quod ſi ve-

Aſini teſtamentum.

Fraudatores fraudantur.

lit facere, non fortaſſe ei deerit occaſio. Ut enim fallaciam hanc ad optatum finem perducamus, neceſſe erit ut decem illos ducatos, quorum quilibet denos valet ſimplices, ejus fidei permittamus: quam ille ſummam forte non aſpernabitur, neque ea nos circumducere & fraudare religioni habebit? Quid ergo ſi eam rationem ineamus, ut ab ipſo tantundem quanti ſumma illa eſt, ſub alia quadam ſpecie ſumamus? Hic Sajavedra, Nihil ait tali cautione opus eſſe. eam eſſe Aquileræ fidem, multis experimentis ſibi cognitam, ut non modo talis ſummula, verum etiam quantacumque alia recte ipſi credi poſſit. Noſter enim, inquit, mos ſic habet, ut erga ſocios fidem inviolatam ſervemus. quod ſi ille centum illos ducatos interverterit, fiet id meo periculo, tamquam pro Aquilera fidejubentis.

CAPUT XI.

Guſmano belle ſuccedit furtum. Is, Aquileræ promiſſa data portione, cum Sajavedra Genuam abit.

Spes qualis.

EST quidem ſpes miſerorum omnium velut aſylum quoddam: illud tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tamen habet incommodi quod & nihil certi promittit, & à metu raro ſejuncta eſt: eamque ob cauſam animos hominum ſæpe magis cruciat quam ſolatur. Quam diverſis cogitationibus animos duorum illorum meorum ſociorum, quibus vix ſcintilla conſilii mei adhuc alluxerat, diſtractos ac veluti diſcerptos fuiſſe putas? Ubi ad conſtitutum diem adfuit Aquilera, librum quem ſecum attulerat evolvo: quæro folium cui inſcripta erant quæ octo proximis retro diebus mercator egerat. annoto hæc veba: *Depoſuit apud me Don Ioannes Oſorius tria ducatorum millia, inter quos decem ſunt qui denos valent, reliqui omnes quadrupli ſunt & dupli. Idem præterea Regalium duo millia cuſtodiæ meæ commiſit.* Totum deinde hoc quod ſcriptum erat, litura, ut fieri ſolet, delevi: ad marginem vero, mercatoris manum doctiſſime imitatus, adſcripſi, geminatis pro more verbis, *Reſtitutos eſſe.* Inde librum Aquileræ reddi, ſimulque decem illos ducatos decuplos; ac juſſi ut per occaſionem è capſula qua tria ducatorum millia aſſervabantur, quinquaginta duplos auferret, eorumque loco decem hos reponeret. Duas etiam eidem dedi ſcedulas, quarum uni inſcriptum erat: *Tria hæc ducatorum milla ſunt Don Ioannis Oſorii,*

Mercuriales aſtutiæ.

rii. alteri: *hic ſunt duo Regalium millia, ad Don Ioannem Oſorium ſpectantia.* Monui inſuper, ſi forte in illa in qua tria ducatorum millia erant capſula alia eſſet ſcedula, illa ablata, ſolam meam relinqueret. alteram vero illam de duobus Regalium millibus certo cuidam immitteret ſacculo, quem ille certis mihi notis deſcripſerat, & in quem quotidie adventitiam pecuniam reponi dixerat. His onuſtus mandatis diſcedit Aquilera, eaque nocte ad unguem omnia exſequitur. Certior factus ego ſequenti die ad tabernam mercatoris lento admodum gradu eo, ponè me ſequente Saiavedra. Credo illum; ubi me vidit, magna exſultaſſe lætitia, ut qui tria illa ducatorum de quibus dixeram millia in ſua jam poteſtate habere ſibi videretur. Atqui ego illa non allatum, ſed ablatum veneram. Poſtquam conſalutavimus, audientibus qui aderant (erant vero non pauci graves & honorati viri) ajo: Famulum hunc meum cras ego huc mittam ejus quod ſcis cauſsâ. tu velim ne in mora ſis; iſque ad me quamprimum remittatur. Hoc ille quidem ita intellexerat, ſequenti die famulum à me miſſum iri qui tria illa ſcutatorum millia apud me deponeret; eoque hoc tantum reſpondit: Fiet quodcumque juſſerit Veſtra

Do-

Dominatio. Taberna egreſſus vix viginti circiter confectis paſſibus, redeo, ajo, dum abirem in mentem mihi veniſſe, optimum fore ſi numos illos meos inpræſentiarum ſtatim mecum auferrem: eoque petere me ut jamjam illos mihi redderet. Admirabundus ille, Quos, inquit, tu numos à me petis? Ego, Omnes, inquam. omnibus enim nunc opus habeo. Ille, Quos omnes? Iratus ego, Omnes, iterum ajo, quos à me habes, tam aureos quam argenteos. Egone (ille) à te ullos numos aureos vel argenteos habeo? neſcio, & forte ipſe niſcis tu quid dicas. Per Deum immortalem, inquam ego, ecce belle excogitatam aſtutiã! Ille: Quænam aſtitutia? Tui ego quidquam nec habui nec habeo. Ego: Satis jam eſt nugarum, immò multo nimis ei cui nugæ ejuſmodi vel fraudes potius non placent. Ille: Vade cum Deo. Ego, Lubenter id faxim modo pecuniam meam mihi prius reddas. Quam, ait ille, pecuniam? Eam, inquam, quam apud te depoſui: in auro & argento. Ego, inquit, nullum aurum vel argentum habeo quod tuum ſit. O pulcrum, inquam, hominem! nunquid paullo ante audientibus his dixeras, Famulo te meo cras illud quidquid eſt daturum; jam vero mihi ipſi negas? An tibi memoriâ

Ecce ipſam impudentiã.

cxci-

excidit, ante octiduum me tria ducatorum millia in auro, & duo millia Regalium in argento apud te depoſuiſſe? Ille: Tune quidquam apud me depoſueris? quem ego neſcio quis vel cujas ſis! Ego ad adſtantes converſus, Hic, ait, jam me non novit. atqui paullo ante noverat. nihil habet quod meum ſit. nempe ſuum lubenter velit eſſe. Sed puto Mediolani quoque adminiſtrari juſtitiam. tu quidem antequam hinc pedem moveam, tam aurum quam argentum illud meum unà cum pulviſculo reddes. Vitam tibi prius ipſe eripiam quam tu mihi meos iſtos numos. Hac durante altercatione, dici vix poteſt quanta turba undique ad tabernam confluxerit: inter quas & unus fuit de publicis miniſtris; qui apertâ ſibi viâ, ubi litigantibus intervenit, elata voce ſic circumſtantes ſum affatus: Jam vos, domini mei, vidiſtis & audiſtis quæ inter nos acta ſunt: in primis illud quomodo peſſimus hic homo depoſitum mihi negârit. Sed ut veritas eluceſcat, age, jubeat libros proferri rationarios, quibus inſcriptum proculdubio, apparebit id quod à me depoſitum dixi. Age, videatur qui bona fide agat, qui minus. An ego is ſum qui poſtulem quod meum non eſt? Deus hoc nunquam ſiverit

Sic ſolet fieri.

rit

rit. In capſula illa, quam digito demonſtrabam, in tali ſacculo (quem certis deſcribebam notis (aurum illud meum, nempe tria ducatorum millia, quorum pars dupli, pars quadrupli; & inter omnes decem ſunt decupli, vidi recondi. Tum in alteram illam (quam & ipſam digito demonſtrabam) in qua ille mihi ipſe dixerat circiter ſeptemdecim Regalium argenteorum eſſe millia, duo illa millia illata ſunt. In rem præſentem ergo veniat. quod ſi falſus deprehendar, non recuſo quin debitas luam pœnas. tantum cautio mihi adhibenda eſt, ne ille interea ſi forte ego abſceſſero, ſua in transferendis aut immutandis ſacculis utatur malitia. Et converſus ad publicum miniſtrum, Tuum, inquio, erit, auctoritatem hic tuam interponere, operamque dare ne mea ego defrauder pecunia. Collybiſta, Agedum ergo, inquit, adferantur mei libri. inſpiciantur. ſi quod ille dicit, in eis ſcriptum invenatur, nullam pœnam recuſo. Tum circumſtantes: Hæc una optima litem decidendi ratio fuerit. Jubet collybiſta ab Aquilera miniſtro aportari principalem librum, in quem accepta & expenſa accurate referuntur. Eo viſo, exclamo, ô ſceleſtus homo! non hic eſt qui litem noſtram poſſit decernere? ſed alias quidam

dam minuſculâ formâ. Poſcit ille alium. quo allato, iterum exclamo, Quid tantis tricis opus eſt? non hic eſt; ſed alius quidam, oblongus, ſtrictus. Tunc Aquilera, Credo, inquit, illum eſſe librum in quem ſingulorum dierum rationes conſignantur. neque enim alius ea forma eſt, quod ego ſciam. Reverſus, illum ipſum mihi demonſtrat. Hic ille ipſus eſt, ajo. evolvatur: ut veritas tandem appareat. Adſtans ego, ubi folium illud vidi in quo ſcriptum erat quod volebam, ſiſtite, inquam, hic illud ipſum de quo lis eſt, ſcriptum invenietur. Id ubi tam publicus miniſtet quam alii circumſtantes legerunt, Collybiſta mille crucibus ſe ſignans, Quis hoc, inquit, ſcripſerit, equidem neſcio: niſi forte diabolus ſcripſerit. Jovem lapidem ego juro, de hoc omni quod hic ſcriptum eſt tam me ſcire quam qui numquam natus ſit. (Erant vero omnia eo quem ſupra diximus modo ſcripta.) Exclamans, Ego, inquam, hoc omne quidquid eſt ſcripſi, hac mea manu, te ipſo vidente. At tu, peſſime, cur cancellas quod nondum ſolutum? Nondum vero ſolutum eſſe? res ipſa convincet. Age tu, ſi recepi ego numos iſtos depoſitos, mentiris tu per gulam qui paullo ante his audientibus dixeras, ne teruncium quidem te à me

O frontem perfrictam.

acce-

accepiſſe? Hæc quomodo conveniunt? Sed quid opus ambagibus? Aperiantur capſulæ illæ. ſtatim deprehendetur veritas. Diu contra nitebatur Collybiſta: ſed inſtabat publicus miniſter: jurans niſi claves ſibi darentur, ſe publica auctoritate uſurum. Afferuntur diverſæ: ſed ego notam mihi deſignans, Hæc illa ipſa eſt, inquam, in qua numi mei aſſervantur. Apertâ capſulâ, ſtatim ſcedula prodit quæ illam quam depoſitam dixeram ſummam deſignabat. Ea lecta, Videte, inquam, mendaciſſimum hominem. Paullo ante dixerat nullos decuplos ducatos ſibi in capſula eſſe. at quid hæc ſceda loquitur? Numerantur numi. illa ipſa quam dixeram ſumma ad unguem, & quidem ejus quam deſignâram monetæ, reperitur: in primis ducati illi decupli, quos ille penes ſe eſſe tam pertinaciter negârat. Quid ego vobis de noſtro dicam homine? Certe tam fuit attonitus, ut aliquamdiu apud ſe non fuerit. in primis illud mirabatur unde decupli illi ducati in arculam irrepſerint, quos à ſe nunquam viſos, per omnes deos deaſque jurabat. Sic quiritantem & Dei hominumque fidem implorantem quæcumque excogitare poteram onero conviciis; unum illud urgens ut tam capſula quam ſacculi quos deſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

deſignaveram inſpiciantur. Quum ille ducatos ſuos eſſe pertenderet, facile illum refutavi quod paullo ante audientibus qui aderant ſibi decuplos eſſe negaſſet. O perditum te, inquam, qui tua ipſius confeſſione proditus, negare tamen depoſitum pertendis! jamque etiam quod ſtatim habere te negâras, tuum eſſe contendis! Sed proculdubio divina ultione ablata tibi memoria eſt, ne meum mihi auferretur. Hæc & ſimilia quum dicerem, aperitur quoque ſacculus in quo Regales illi argentei erant reconditi, ubi quum ſimilis ſcedula feciſſet indicium, duo numorum millia ſcilicet à me depoſita ibi aſſervari, jam nemo erat qui Collybiſtam non exſecraretur; & ut meum mihi reſtitueretur æquiſſimũ eſſe clamaret. Ego vero quidquam me, niſi re cognita & deciſa, ſumturum negavi: eoque publicum miniſtrum rogavi, ut omnium quæ acta fuerant teſtis locupletiſſimus, eos numos qui mei comperti eſſent in tuto aliquo portu collocaret, nec in ſceleſti hominis poteſtate relinqueret. quod ille non gravatim fecit: & tam aurum quam argentum apud vicinum, hominem probum, depoſuit; fruſtra miſero illo per vim & fraudem ſua ſibi ſcrinia expilari, ſuum auferri clamante. Sed tantâ laborabat invi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

invidiâ, tanto odio, ut nemo eſſet, quin etiam injuriam patienti faveret. nunc in tam aperta, ut pleriſque omnibus videbatur, cauſa, dici non poteſt quam acerbis dicteriis & conviciis, etiã audientem traduxerint. Poſt unum & alterum diem depoſitum illud mihi adjudicatur; quod ubi in hoſpitio ante oculos Saavedræ effudi, ille vix ſibiipſi credens, Hunc, inquit, hominem decet, auro expendi, huic decet ſtatuam ſtatui ex auro; qui tantum hodie patravit facinus, tam opimis affectus eſt ſpoliis quæ multum ac diu juvant. Ego, mi Sajavedra, inquam, Tu illum ſolum vere ſapere puta, qui furatur ſine periculo, & maximo cum lucro. Apage nugas illas, quas tu mihi in itinere narraſti. Vilem prædam non inſectatur aquila. Nequius nihil eſt quam fur egens conſilii. nullus frugi eſſe poteſt homo niſi qui & bene & male facere tenet. Improbus cum improbis ſit, harpaget: furibus furetur quod queat Non multo poſt venit ad nos Aquilera, narrat herum omnem pæne animi ſenſum amiſiſſe, adeoque tam verbis quam factis delirium oſtendere; illud pro certo ſtatuere, meris præſtigiis & malis artibus ſibi impoſitum. Dedi tum Aquileræ promiſſam partem. Sajavedræ quoque dare volebam: ſed ille ut penes me ſervarem

roga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

rogavit. Jam tum conſilium cepam Genuam quam propere abeundi. Jam verò die quodam aurifabrûm circum-eo tabernas, torquem video tam ele-ganter elaboratum & politum, ut quan-ticumque eſſet, potiri eo conſtitui. Rogo pondus & precium mihi indicari: ex quo ſtatim intellexi, non ex auro ſed alia vili eſſe materia. Emo nihilominus quanti mihi indicatus fuerat. inde ad ali-um accedens, eadem omnino forma alte-ram catenã ex auro fieri mihi curo tam illi ſimilem ut lac lacti non magis ſit ſimile. Jam tum enim ejus quod Genuæ à me factum poſtea, telam exorſus eram. Ut vero Sajavedræ commodius uti poſ-ſem opera, rem omnem ei narro, quo-modo nempe olim à cognato quodam meo Genuæ tractatus fuerim. quam in-juriam quum ulciſci plane mihi conſti-tutum ſit, videri mihi conſultum ut nomina permutemus. & ego quidem Don Joannes Guſmanus dici velim: quem titulum etiam Hiſpani opiliones & fiſcellarum textores, ubi in Italiam aut Belgium venerint, affectant. Libera-liſſime mihi pollicetur Sajavedra ſic communi conſilio Mediolano quum primùm exceſſimus, Genuam profecti.

Tela novæ fraudis.

CA-

CAPUT XII.

Guſmanus cum Sajavedra Genuam profectus, aſtutiſſima malitiæ telam orditur.

QVo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem Teſta diu. Si meæ vitæ curſus, occaſiones, caſus, amor & metus animum meum à vitiorum ſomno excitare non potuerunt, quis credat ullam in rebus humanis vim eſſe? Quod ſi nonnulli humana induſtria excogitatis conſiliis ac mediis ad virtutem à vitiis traducuntur; non tamen id tam facile ſit, quin prius neceſſaria ſit quædam mentis agitatio, qua homo utile à damnoſo, honeſtum à turpi, malum à bono queat diſcernere. In hoc hærentem diſcrimine divinum auxilium numquam te deſeret, niſi tu deſeras te ipſum. Sed ſunt quidam qui tanquam belluæ omni deſtituuntur ratione, vel certe nulla utuntur, ſed cæco impetu ad quævis abripi ſe patiuntur. Hi ſane raro, aut numquam agnoſcunt errores ſuos. quomodo vero non agnitos emendent? Alii male facere ſe non ignorant; male facere nihilominus volunt, eò tantum ne bene faciant. Fingunt ſe eſſe ignorantes iis in rebus quas nolunt

Naturam expellas furca, tamen uſque recurret:

Sponte mali ſumus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

lunt intelligere. illud interim ſciunt & intelligunt, ſe ſuamque ſalutem paullatim ad ſcopulos deferri. Ducunt inſipientes in corde ſuo: Dicamus in bonis dies noſtros. Turgent pecunia loculi, horrea frumentis, cellæ vino aliiſque rebus ad vitam jucunde degendam ſpectantibus abundant. Gaudeamus dum tempus ſinit. Quid enim attinet, vitam à Deo conceſſam ſpontaneis curis & laboribus amariorem reddere? Sic dum illi emendationem ex hora in diem, è die in menſem, ex menſe in annum procraſtinant, numquam ad id temporis perveniunt, quod vel maxime ſerum, numquam tamen nimis ſerum venit. Uſurarium & Avarum vide. Dei hominumque oblitus, ſolum Mammona colit. Libidinoſum. Venatur id quod maxime fugere debebat. Superbum. Stercore gloriatur: & elevans ſe in cœlum, ad tartara deprimitur. Detractorem. Pejor hic eſt quovis crumeniſeca & fure. Furatur hic quando non eſt quo vitam commode ſuſtentet: ſed ea tantum quorum jactura reſarciri poteſt. illud alteri ſtudet eripere quod ipſe quidem reſtituere nequit. quomodo enim reddat quod non habet? Quam multi ſunt hypocritæ, qui eodem ore preces tam longas quam frequentes demurmurant quo pauperum,

vidua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

viduarum & orphanorum bona devorant! Quam multi qui precio ad quodvis dicendum & faciendum adigi poſſunt! Sed ad orbitam redeo: ne dum alia aliorum vitia in ſcenam produco, me inde ſubducere velle videar. Quid fur non fecerit ut furetur quod furari inſtituit? Hic monitum te volo, quando de furibus loquor, me de miſeris illis & triobolaribus, ut ſic dicam, loqui: non de iis qui ædium ſuarum parietes conchyliatis aulæis & peripetaſmatis ornant; qui holoſericis veſtibus quotidie induti ambulāt aut obequitant; qui denique miſeros illos ſuſpendi jubent. Pro his nulla ſeritur nec creſcit canabis, nullæ fabricantur triremes, nulla eriguntur patibula: quæ infelicibus tantum deſtinata ſunt, non reis. Non, inquam, de his loquor: quamvis non dubitem te, exemplo illius ſimiæ, meæ tamquam felis manu ſeu unguibus caſtaneam hanc de prunis extractam velle. Sed retraho manum, ne amburam. Non meum eſt, ſed Regum ac Principum hos corrigere. Trivialibus lavernionibus pericula in quibus verſantur, miſerias & ærumnas quibus premuntur ut oſtenderem, PICARI perſonam indui: furtaque à me commiſſa mentior, ne tu committas, & ab eis qui committere velint caveas. Sed quid

Furum diſcrimina.

Auctoris ſcopus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ita ad furti & furis nomen exhorreſcis? Mihi crede, ſi rem ad muſſim perpendamus, pauci erunt qui non & ipſi vel hoc vel alio modo aliquid in hac vita furati ſint & ad huc furentur. Quid enim? Surripuit tibi aliquid furunculus. auctorem neſcis: eoque furcam ei imprecaris. quem ſi ſcires, tuum repeteres; nec curares, ſi etiam vitam unà ille amitteret. nunc ille alius tuum habet, te ſciente, & tamen ne hiſcente quidem. Quæ enim ſtultitia, Pygmæum Herculi clavam velle extorquere? Mihi quidem perinde fere ſit, ſive tu neſcias aliquid de tuo penes me eſſe; ſive ſcias, repetere tamen nec auſis nec poſſis, ſi maxime velis. Sed ad hiſtoriam revertor.

Veſtis honoratur, non virtus.

Veſtibus aliiſque omnibus neceſſariis quam optime inſtructi ego & Sajavedra Mediolano diſceſſimus. Genuam ut venimus, dici non poteſt quanta cum alacritate ab hoſpite excepti, quanta cura & honorificentia ab univerſa familia tractatus fuerim. Tunc quidem non poteram non humanarum rerum damnare caliginem. Non multos ante annos quum pannoſus, malo quidem & depravato robuſtarum tamen nequitiarum adhuc ignaro ingenio eò veniſſem, omnes me averſabantur ac tantum non conſpuebant; nunc ſuperbe cultum & veſtitum,

ſtitum, quamprimùm in publicum prodiiſſem, nemo erat qui non admiraretur, qui non revereretur: quum olim miſeriæ meæ ſubvenire, tunc vero tamquam noxium aliquod animal fugere deberent. Plerique Sajavedram pone me incedentem rogabant, quis aut cujas eſſem. Reſpondit ille, Don Joanni Guſmano mihi nomen, patriam Hiſpalim, nobiliſſimo ortum genere, unicum opulentiſſimæ viduæ eſſe filium. Româ Genuam veniſſe, certorum negociorum cauſſa; quibus expeditis, Romam eſſem reverſurus. Non pauci illud mirabantur quod tam bene veſtitum rebuſque omnibus aliis inſtructum viderent. Ajebant enim, iis qui vel Romam vel ad aliam quamcumque aulam proficiſcuntur, idem accidere quod thynnis, qui nondum ejectis ovis, craſſi ſunt, pingues & robuſti; at poſt partum macilenti, debiles fiunt & inſipidi. Erat vero hoſpitium in quod diverteramus unum ex totius urbis præcipuis: in quo licet magni fierent à nobis ſumtus, nihilominus multum lucri faciebamus. Non ſemper, ſed ſuo tempore ſonat horologium. Ludebam nonnumquam cum aliis hoſpitibus, ſed parvo. nec Sajavedræ opera, ſed mea tantum fortuna & arte utebar. Quod ſi fortunam adverſantem mihi

Quales ab Aulis dimittantur.

 anim-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

animadverterem, cum exigua jactura abſiſtebam: at faventem ad extremum proſequebar. Accidit aliquando ut inter ludendum notarem è ſpectatoribus aliquem, triremi cuidam Præfectum, lucranti omni geſtu faventem. Finito luſu, centum & amplius ducatorum lucro auctus, ſex duplos ei dono, amicitiæ cauſſa: gratiſſimum illi, ut poſtea intellexi, & valde opportunum munus. Eſt ſane ubi numus unus centenis, aut etiam millenis æquivalet. Tanti eſt in tempore non venire tantum, ſed etiam dare. Et ille quidem & ingentes mihi egit gratias, & operam ſuam ad omnia prolixè detulit. Certe parva hæc liberalitas fere ſola mihi ad perficiendum quod inſtitueram viam ſtravit. Sed & inter alios quoque qui menſæ adſtiterant ducatos aliquot diſtribui; omniumque animos ita devinxi, ut nemo eſſet qui non vitam ſuam pro mea periculo, ſi neceſſe, expoſiturus fuiſſet. Capitaneo illi nomen erat Favello; non gentile illud quidem, ſed à femina quadam, quam deperibat (ut mihi ipſe poſtea narravit) ipſi inditum. Erat autem homo mire alacris, prudens, conſilio & manu promtus, robuſtus, patiens, niſi quod aliquando eſſet auſterior & moroſior; quibus omnibus ſeu virtutibus ſeu earum imaginibus contubernalis

Opportuna liberalitas fructuoſa.

lis erat paupertas: cui ego pro viribus ſubvenire allaborabam. Paucorum dierum uſu & conſuetudine tanta inter nos coaluit amicitia, ut ſua ille omnia mihi crederet. ego ſcopum quem mihi præfixeram, ſolum ante oculos habens, ei omnia feci quibus benevolentiam ejus conſervare poſſem: conſiliorum vero intimorum unum Sajavedram habebam conſcium. Quia autem jam ante dixeram, majores meos, atque etiam ipſum patrem Genuâ fuiſſe oriundos, multi ultrò accurrebant qui cognatione mihi ſe junctos ferebant. Adeo facile eſt felicibus ſeu opulentis cognatos invenire, etiam ſi ex infima fæce fuerint prognati. Fuit etiam qui genus ſuum ad atavos meos & abavos referret. Quoniam vero nihil magis noſſe deſiderabam quam ſenem illum à quo olim tam miſere tractatus & ludibrio habitus fueram: unum illorum ultro oblata occaſione, rogavi, quid de patre meo ſciret: an is fratres habuerit: & num horum aliquis adhuc eſſet in vivis. Ait ille tres fuiſſe fratres, patrem ſcilicet meum, & duos alios. horum alterum jampridem fato functum: alterum, & quidem majorem natu, etiamnum in magnis divitiis vivere, ſed decrepitum fere: nec uxorem umquam habuiſſe. Ex his ego ſignis

Amicus unus intimus habendus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

facile intellexi hunc illum ipſum eſſe qui mihi tam nequiter illuſerat. Ajo, velle me poſtero die domi illum viſitare. quod ubi ſenex accepit, honoris cauſſa prævortendum me ſtatuit,& mane in hoſpitium meum, tremulum gradum baculo ſuſtentans, aliis aliquot cognatis, quos ad id acciverat, comitatus venit. Quem ut vidi, nihil magis optavi quam ut aliquanto eſſet junior, quo diutius vulneris quod ipſi inflicturus eram, dolorem ſentire poſſet. Deſipiunt meo judicio, qui ut ſe ulciſcantur, hominem interficiunt. cum vita quippe omnis quoq; ſenſus finitur. quanto acerbior vindicta eſt cujus ſenſus quamdiu vita durat circumfertur! Poſt mutuam ſalutationẽ, offert ille mihi pro hoſpitio domum ſuam: ad cujus ſolum nomen jam mille laxati dæmones ſub lecto mihi prodire, meque impetere videbantur. Non, non, (cogitabam) ſemel deceptus ſum. ſatis id ſit. Me quidem, præter unum Sajavedram, nemo deinceps decepit, nullo tamen ſuo bono. quod ſi alius poſt eum id fecerit, lubens ei ignoſcam. Multis ultro citroque verbis habitis, rogat me ſilicernium, num ante id tempus fuiſſem Genuæ. Sentiens quò ille ſermo evaſurus eſſet, ajo, ante triennium circiter me quum Romam proficiſcerer, urbem

Quæ ultio grata.

quidem

quidem vidiſſe, ſed unam modo noctem manſiſſe, ſummo mane viam cum comitibus ingreſſum: quod negocium quod Romæ habebam, nullam moram pateretur. Hic ille recollecto ſpiritu, quaſi magnum aliquid & jucundum narraturus, ſic fatus eſt: Scito ergo, chariſſime mi nepos, ſeptennium eſſe, plus minus, quum adoleſcens quidam pannoſus, mendicus, fur, vel certe furum ſocius aut diſcipulus ad me venit, non aliam ob cauſſam, credo, quam ut è domo mea aliquid ſurriperet, & aufugeret. Hic fratris ſe mei filium mentiens, quum mendicabulum eſſet hominis & lavernio, non parvo nobis futurus erat dedecori, niſi aſtutiam commenti eſſemus qua eum ita excepimus ut non aliter ac canis, alligata ad caudam veſica, ex urbe profugerit; lecto in quo dormierat, coctis furfuribus oppleto. Credo nebulonem noctis illius perpetuo futurum memorem. Me quidem ut juvat hominem ſic abactum; ita pœnitet non gravius punitum. Singula deinde articulatim expoſuit, quomodo domum deduxerit, quomodo famelicum & cenæ inhiantem furſtratus ſit; nihil vero majori cum voluptate & riſu recitavit, quam quomodo larvati illi dæmones miſerum ſtragula

Atqui magno tibi conſtabit hæc aſtutia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

convolutum veſte tamdiu quaſi ventilârint, quoad ipſum inteſtinorum, aliàs plane inanium, fundum quaſi egeſſiſſet. Miſer ego hæc audiens, jam iterum mihi in graviſſimo illo meo conflictu verſari videbar, tanto cum dolore, ut totum mihi corpus, non aliter ac interfecti, adducto ad cadaver homicida, vulneribus dehiſcere mihi & ſanguinem eructare videretur. Et quamquam facere non poteram quin mutati vultus & coloris aliquod ſe proderet indicium: omnibus tamen viribus dolorem diſſimulabam. nec illi, riſu fere dum hæc enarrantur emorientes, diligenter me obſervabant. Tum quidem ego tanta indignatione incenſus fui, ut vitæ prius jacturam facere quam ultionem omittere decreverim. Malum eſt male facere; ſed multo pejus male factis gloriari. Nec continere me poteram quin dicerem: Ergo nondum hactenus reſciſcere potuiſtis quiſnam ille puer ſeu adoleſcens fuerit, qui ita ſapuit ut honoratum genus ſeu ſtirpem quærendam ſibi putârit? Quiſquis fuerit, non parum ei à nobis deberi exiſtimo. Quid enim, ſi forte magnas domi divitias habuerit; ſed, quod communi dici ſolet proverbio, è prœlio Roncevallonſi evaſerit? nec contemnendum eſt, quod è tanto

Etiam cicatrix renovata ſtillat ſanguinem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nobiliſſimarum, quæ in Hiſpania ſunt, familiarum numero, noſtram ille potiſſimum elegit cujus honore nuditatem ſuam tegeret. Equidem ſi talis aliquis ad me in Hiſpania veniret, libenter ei bene facturus ac gratificaturus ſim, interim dum certo mihi conſtiterit, quali ille animo ad me venerit. Nam in vita humana etiam magni viri eò nonnumquam delabuntur, ut confuſione & ignominia pleni, non amplius qui fuerunt eſſe videantur. Nec dant virtutem divitiæ, nec paupertas adimit. Quod ſi talis aliquis vel non ſit quem ſe fert, vel aliam ob cauſſam minus mihi placeat; ſatis mihi fuerit clam illum monere ut ſuas res ſibi habeat, meque miſſum faciat. Denique licet nulla me attingeret cognatione, non poſſem tamen non amare ejus electionem. Ad hæc Acheruntícus ille ſenex: Illum quidem, mi nepos, ſi tu vidiſſes, non dicturus ſis quæ modo dixiſti. Mihi quidem gratiſſimum accidit, atque etiamnum tacita voluptate animus meus perfunditur, quod temeritatis ab ipſo pænas ſumere licuit. Numquam ipſi, credo, magnis familiis ſeſe miſcere poſt hac libebit. Subjunxi ego, me illo ipſo tempore Hiſpali apud matrem fuiſſe, nec parentibus meis alium præter me natum eſſe

Nudi non ſemper repellendi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

filium. Non ad invidiam quidem magnas, ad vitam tamen honeſtè ſuſtentandam ſufficientes opes à patre mihi relictas: quas etiam nunc mater mea ſollers admodum & frugalis femina non modo non imminutum, ſed etiam auctum eat. Hæc multaque alia quum illi lubentiſſimis auribus & animis accepiſſent, nemo erat ex omnibus qui non comiter honoratiorem locum quamvis non minus comiter reluctanti mihi daret, de via decederet, aſſurgeret, beatum denique ſe mea amicitia & familiaritate putaret. Tunc ego, penitiſſime rerum humanarum vanitate perſpectâ, ſic mecum cogitabam: O ſummam mortalium vanitatem! quantis tu ſtudiis eos qui bona utuntur fortuna colis & proſequeris! quam cito, quam turpiter eoſdem, ubi paullum illa tergum obverterit, deſtituis! Illud quovis oraculo verius puta, à pleriſque omnibus eos amari, eos juvari quos utiles rebus ſuis fore putant. Hinc eſt quod perverſiſſima ratione diviti nemo quiſquam quidquam negat; pauperis & miſeri neceſſitatibus nemo ſuccurrat. Ferri id poterat in Ethnicis divinorum præceptorum ignaris. At nos qui Chriſtianæ luce doctrinæ illuſtrati ſumus; quibus paupe-

Divitiæ coluntur, non virtus.

Paupeeres juvandi.

res

res ipſe Salvator voce & juſſu ſuo tantopere commendavit, quid in extremo illo judicio reſpondebimus, quando nihil aliud niſi Charitatis è vera Fide profecta opera in rationes venient? quando id quod in pauperes expenſum eſt, Salvator ipſe ſibi acceptum feret? Quamquam profecto ii qui pauperes non modo non juvant ſed etiam oderunt atque averſantur, etiam contra ipſius Naturæ legem peccant, quæ illud jubet ut quod nobis fieri velimus, alteri faciamus; & quod nolimus, ne faciamus. At quis omnium eſt mortalium qui, ubi neceſſe, non juvari gaudeat? Sed demus hoc humanæ imbecillitati, præſentia tantum, non futura intuenti. Suadeo tamen ne ſua ſibi religione vel quacumque fide nimium placeant qui oculos animoſque à pauperibus avertunt. quos manifeſtæ impietatis ſeu atheiſmi D. Apoſtolus Joannes convincit, quando negat ab iis Deum diligi, quem non vident, à quibus proximus negligitur, quem vident. Me quidem quem mendicum ante tamquam inutile terræ rejectamentum deſpicatui habuerant cognati, nunc furtivis opibus ſuperbientem velut idolum quoddam adorabant. quam vanitatem non minus vana oſtentatione mirifice ego alere ſtudebam. Coëmtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Decipit ſplendor. vaſis aliquot argenteis inauratis magni precii, epulum cognatis meis & amicis inſtruo magnificum admodum, in quo vel Apicius nihil deſiderare poſſet. Ablatis menſis ſecundis, in luſoriam deſcenſum eſt arenam: in qua quum multarum palmarum victor non exiguam pecuniam ad me traxiſſem, ſtatim quidquid id erat inter eos quos viſum erat, ſtiſtribui; luculentius quoddam lucrum conſectans. O ſi me tum illi nôſſent, quibus modis, putas, excepturi fuerant tam occultas inſidias ſtruentem? Sed non levem pœnam erant meriti, qui eundem quem tum tantopere colebant, ante paucos annos ne teruncio quidem juvare dignati fuerant. Illud ego tacitus eis ſpondebam, ſplendorem hunc *Don* Joannis Guſmani olim eis majori futurum abominationi, quam ſquallorem & lacerum veſtitum Guſmani Alfaracii. *Odii vis.* Etſi vero nihil omitterent quod ullo modo gratum mihi fore putarent; ultionis tamen deſiderium ingrata mihi omnia reddebat: ipſumque pectus meum ceu gravidæ feminæ ſtomachus plenum erat faſtidii, quod tamen miro ſtudio & arte celabam. Conſilia interim cum Sajavedra tàm varia quam aſtuta machinabar; occaſionem tantum exſpectans. Fruſtra conſultat qui conſulta

exſequi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

exſequi nec vult nec poeſt. Unum etiam rationibus meis non incommodum accidit, quod cognati mihi ſuadebant ut uxorem ducerem, primarii civis filiam, ſed pauca cum dote. Conditionem ego nec aſpernabar ſtatim, nec accipebam: non ignorans hac ſpe ſuſpenſos inſidiis meis multò fore opportuniores. Securitas enim periculo proxima.

CAPUT XIII.

Opimis onuſtus ſpoliis Guſmanus cum Sajavedra in Hiſpaniam navigat.

APud pleroſque omnes homines levius pluma eſt acceptum beneficium; plumbo gravior injuria. quam qui fecit; ſecurus eſſe numquam debet. Abditiſſimis locis occulta latet Nemeſis, quando minime putatur progreſſura, & provocantis tergo inhæſura. Fruſtra hic viribus ſuis confidit potens. Cum tempore res mutantur. Impactus ad parvum ſaxum currus evertitur. Nulla ad vindictam melior occaſio quam offendentis ſecuritas. Compluti morio quidam fuit Futtiglius nomine: qui à cane morſus, etiam ſanato vulnere, ſaucium nihilominus dolore ani-

Acerrimus & diuturnus ſenſus injuria.

mum

mum ſemper ſecum circumferebat. Forte fortuna illum ipſum à quo morſus fuerat canem ad oſtium diſtentis pedibus recubantem videns, qui juxta jacebat, maximi ponderis lapidem tollit, & ſuſpenſo gradu accedens, in caput dormientis mittit. Ad lethalem hunc ictum cani miſerabiliter velut ejulanti Futtiglius illudens, *Neſciebas tu, ſceleſte,* inquit, *ei qui inimicos habet non eſſe dormiendum?* Vindictæ cupiditatem parum virilis, nedum Chriſtiani animi ſignum eſſe ſupra dixi: quamvis pleriſque aliter videatur. hoc interim negari non poteſt, male & imprudenter facere eos, qui, licet malas hominum inclinationes optime perſpectas habeant, iis nihilominus quos offenderunt temere fidunt. Tu vero, quiſquis es (non hoc meum, ſed Sapientis monitum) Inimico reconciliato ne facile fidas. Utcumque ſimulet aut diſſimulet, niſi ſolo Dei amore exſtinctus fuerit hic ignis, vel parva admota ſcintilla, in ſævum erumpet incendium. Id ego in me ipſo expertus ſum: quem accepta illa jam olim injuria ad vindictam non aliter quam beſtiam exſtimulabat. Recte dixi, beſtiam. beſtia namque eſt quiſquis tam bruto affectu abripi ſe patitur. Mihi ante oculos ſemper obverſabantur larvati illi dæ-

Vltionis ſtudium Chriſtiano indignum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dæmones. concuſſione illa adhuc etiam oſſa mihi frangi videbantur. in primis ipſum pectus mihi effodiebat teterrimi illa ſenis patrui mei narratio, qua tam graphice, tam jucunde infelicem illam meam noctem repræſentârat: nec aliud dolere ſibi dixerat, quam quod acerbiore ſupplicio in miſerum non deſſæviiſſet. O homines impuri, impii, ſceleſti, nequiſſimi! Si pauper iterum ac nudus fores veſtras pulſaſſem, quibus lautitiis me excepturi, quali viatico adjuturi fueratis? Has ego cogitationes non ſemel animo ejicere ſtatueram: ſed quum ſubinde recurrerent, collatis quotidie cum Sajavedra conſiliis, technas comminiſcebar aſſiduè, quibus & dolorem illum meum cum locuplete uſura illis rependerem, & ſimul meis conſulerem utilitatibus. Indies cognatorum mihi augebatur numerus. Decrepitus ille Beltramus (hoc ei nomen erat) nuptias meas magna tractabat diligentia. Quotidie aut viſitabam amicos, aut viſitabar. Nulla totâ fere urbe domus mihi clauſa erat. Sed & meum hoſpitium tam cognatorum quam aliorum ludendi cauſſa confluentium cœtibus feruebar. In luſu vincebam nonnunquam, nonnunquam vincebar. una nox ita mihi faverat, ut

Pauper ubique jacet.

Dives regnat.

ut circiter ſeptem millia Regalium mecum aſportarim. Hoc vulnere exaſperati colluſores, alteram pugnam in ſequentem noctem mihi indicunt. Ad quidvis paratus ego eram, ut cui cum Favello in Hiſpaniam navigare jam certum eſſet. jamque adeo triremem mihi conſcendiſſe videbar. illa quidem nocte aliquantulum perdidi, tantum ſcilicet quantum ipſe volebam: ut hac hamo impoſita eſca admorſicantes allicerem piſciculos. Paucos poſt dies venit ad me Favellus, totus triſtis. Rogo, quæ triſtitiæ cauſſa. Ille, hoc unum ægerrime ſe habere ajebat quod propediem in Hiſpaniam ſibi ſolvendum, meaque conſuetudine porro carendum intelligeret. Nulla umquam gratior harmonia meis auribus accidit. Videbar mihi audire aromatarium illum dicentem (*de quo in prima Parte*) Adeſdum Guſmane cum tua ſporta, ut prædam hanc aſportes. Inde ſecreto cum Favello ſic loquor: Mihi quidem, ô Favelle, nihil eſt quod pluris faciam quam te tuamque amicitiam. Et certe tam virtutes tuæ quam amor in me ſingularis ita merentur ut nihil mearum rerum te celem. Sic ergo habe: non me ullo civitatis hujus viſendæ deſiderio huc veniſſe, nec ullis deliciis aut illecebris tamdiu detentum: ſed eo fine tantum

Vide quã pulcre occaſione mali ad malum utantur.

tum

tum ut votum exſolvam, & quæ patri meo ab Hiſpano quodam hujus urbis cive olim facta eſt atrocis injuriæ ultionem expetam. Patri quidem meo occaſionem ſenectus, deinde mors interclusit. Scis vero ipſe quod judicium amicorum aliorumque qui ejus rei conſcii ſunt de me futurum ſit, ſi iſthac ætate, iſtis viribus juvenis tam gravem & damnoſam injuriam non ulciſcar. Quia autem fieri poteſt, ut ille, ſi quid tale ſenſerit, vel amicorum favore, vel largitione & donis me conetur opprimere: id unum rogo atque oro ut clam mihi receptum apud te præbeas, & quibus neceſſe erit rebus præſto ſis. Hoc uno beneficio hunc hominem tibi nexui mancipioque vindicare potes. Hæc audiens Favellus, multis precibus me obſecravit, ut provinciam hanc ſibi relinquerem. Iis ſe devinctum mihi beneficiis; ut non minus bona quam mala mea ad ſe quoque pertinere putet. Reſpondi, id ſine probro meo fieri non poſſe. tantum animi ac virium mihi ſupereſſe ut ejuſmodi injuriam ipſe vindicare poſſim. Eam unam ob cauſſam ex Hiſpania profectum. magnam ab illo mihi fieri injuriam, ſi exiſtimaret vel manum vel conſilium ad exſequutionem deeſſe. His verbis acquieſcens Favellus, multo liberalius

Tantum poteſt beneficium vel exiguum.

ralius

ralius quam umquam antea pollicetur, omnibus ſe viribus, non cum fortunarum tantum, ſed etiam honoris ac vitæ periculo ſalutem meam propugnaturum. imperarem tantum quidquid fieri vellem. Quinetiam, ait, per quidquid ſanctiſſimum eſt me tibi obſtringo, poſtquam ſemel pedem navi intuleris, me vivo vel totius Italiæ vires è manibus meis te non erepturas. Ago gratias quam humaniſſime, tanto magis quod ex animo loqui ſcirem: unice interim rogans ut ipſum diem quo triremes oram ſoluturæ eſſent, mihi indicare non negligeret, quo tanto tutius in exſequendis meis conatibus poſſem procedere. Conſtitutum inde inter nos, quibus rationibus ſarcinulæ meæ Sajavedræ opera clam in triremem inferrentur; ut ne quid nobis in mora eſſet. Digreſſus à me Favellus, penum non uſitatis modo cibis, ſed bellariis etiam & cupediis ita inſtruxit ac ſi Principem aliquem vecturus eſſet. Narro Sajavedræ omnia quæ cum Favello egiſſem. de iis quæ porro nobis agenda eſſent deliberamus. Utrique viſum fuit, optimum fore id ultionis genus quod & maxime tutum & nobis profuturum ſit. Stulti, inquit Sajavedra, ferro ſe ulciſcuntur. Corporis enim vulnera cito ſanantur: at qui crumenæ infli-

Quæ ultio maxime doleat.

infliguntur ictuum ſenſus æternus eſt; ut quorum memoria etiam nolentibus occurrat. Ex inde ego cæpi aream concinnare, laqueos & retia tendere. Jubeo Sajavedræ, ut quatuor emat ciſtas plane unius & ejuſdem tam formæ quam magnitudinis: quarum duæ in triremem inferendæ & quem deſignaturus Favellus eſſet loco collocandæ eſſent. Duas illas alteras, ajo Sajavedræ, tu lapidibus ita implebis, ut nullus eorum ſonus, etiamſi everſæ aut per ſcalas dejectæ fuerint, audiatur. Sic, nemine præter te conſcio, impletas, in hoſpitium meum deferri curabis; operamque dabis ut eo ſingulæ ſint pondere quod conveniens ſit, in univerſum vero centenas libras non excedant. Addo multa alia quæ fieri vellem: quæ tamen ille omnia melius quam ego intelligebat. Inde patruum meum Beltramum adeo, inter alia ajo, vereri me magnopere, ne abſente me, ſarcinulis meis, præſertim duabus ciſtulis, quibus pecunia mea, lapides precioſi, catenæ aureæ, vaſa argentea, atque adeo maxima pars fortunarum mearum aſſervabatur, inſidiæ ſtruerentur: quibus expilatis, ad incitas me redactum iri. Ille, Tua, inquit, ſolius culpa hæc eſt, mi nepos. Ubi domus mea eſt, ibi alio

Hoſpitiorum fides.

alio tibi hoſpitio opus non eſt. illud quidem in quo diverſaris, unum ex optimis eſt totius civitatis: ſic tamen ſtatuo, nullum in toto Mundo bonum, nedum optimum eſſe, id eſt, tale ubi res tuas ſecure & tuto aſſervare poſſis. Nec mirum tibi videri debet, ſi ſenex ego te juvenem hac in re admoneam, ut ſcil. iter faciens ſemper tecum portes ſeram aliquam penſilem, qua cubiculum ab hoſpite tibi aſſignatum, quotieſcumque exieris, obſeres: ſiquidem plerumque vel hoſpes, vel mulier, vel alius aliquis è domeſticis alias habent claves ad aperiendum aptas. Quod ſi quidquam amiſiſſe te queſtus fueris, hoſpes ultrò tibi litem intentabit, teque ex actore reum conſtituit. Quare omnino tibi conſulo, præſertim ſi magni precii ſit quod tecum habes, ut id tuto aliquo deponas loco. In hoſpitio non hoſpes ab hoſpite tutus eſt. Licet vero facile animadvertam tibi tamquam juveni non placere apud me ſenem, ut verum fatear, aliquanto moroſiorem diverſari: poteris tamen quidquid viſum fuerit rerum tuarum tuto in meis ædibus deponere. Tu, ſi me audis, in hoſpitio non plus argenti aut pecuniæ relinques, quam quotidianis uſibus tuis ſit neceſſarium. Hac oblatione mirum in modum exhilara-

Similis gaudet ſimile.

hilaratus, gratias ago maximas, & ille lætari mihi videbatur tanto theſauro quem in ſuis ædibus eſſet habiturus. Viderat enim jam ante vaſa mea argentea, catenas aureas, annulos, numos: quos ego ſic promere & explicare noram, ut ſemper majorum divitiarum facerem ſuſpicionem. Ex hoc in alium, nempe de nuptiis meis ſermonem delapſi ſumus: quas omnibus modis perſuadere mihi conabatur. Ajebat, non quidem nimis maturè, ſed nec nimis ſero uxorem ducendam. Senum matrimonia orphanorum eſſe ſeminarium. non tam voluptatem quam commoditatem in hac re ſpectandam. Etiam à fidelibus ceteroqui ſervis & domeſticis rem heri nonnumquam arrodi, adeoque conſumi: præſertim ſi vel amoribus, vel luſui, vel helluationi operam dare cœperint. Hæc aliaque multa de matrimonii commoditatibus, de ejus in quo viverem ſtatus difficultatibus & incommodis differentem non ſemel lubido fuit interpellare, & rogare, ut ſuam ergo mihi filiam nuptui daret: quod legeram philoſopho cuidam à neſcio quo reſponſum. Hem! cogitabam apud me: Homo hic numquam uxorem duxit. cur ergo tibi perſuadere velit ut ducas? nimirum, credo, monſtri quid alit. ſed ut ſilerem melius fuit. Intre-

Celibatus incommoda.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

terrogo, quænam illa & qualis ſit quam nuptam mihi cuperet. Ait, de matris ſuæ eſſe proſapia, nobili ortam genere, ſed pauperculam: quem tamen defectum formæ ſupplere poſſit elegantia, cum decentiſſimis moribus conjuncta. nec uxorem modo, ſed filiolam quoque eadem operâ mihi conciliaturum; cujus patrem ajebat fuiſſe nobilem quendam & primarium civem, qui promiſſo matrimonio irretitam deceperit, alia pòſt uxore ducta. Matrem habere, feminam prudentem valde & ſolertem, maxime in educandis liberis; quam non minus quam propriam matrem charam mihi fore ſperet. Ego lætum vultum animumque ſimulans nihil aliud reſpondi, quam omnes ſpes meas opeſque me fidei ipſius commendare; nec diſplicere poſſe aut debere quod ipſi placeret, à quo perſuaſiſſimum haberem me filii loco amari. Sed eccleſiaſtico quodam gaudere me beneficio: quod in materteræ meæ filium transferre jam ante cònſtituerim eoque hac in re nihil mihi præcipitandum. Mihi quidem conditionem illam mirum in modum allubeſcere, ut cui unicè in votis ſit vitam meam apud ejuſmodi cognatos qui conſiliis & auxiliis mihi numquam defuturi eſſent, tranſigere.

Sic docet beare amicos.

Hæc

Hæc dum colloquimur, ecce Sajavedram. quem ut vidi, paſſum unum & alterum retrocedens, aurem quaſi magnum aliquid nuncianti applicui. Quum ille neſcio quid inſuſurraſſet, exclamo: Quid tu ergo; ille non minus clara voce, Quid aliud reſponderem, ait, quam, Fore uti peteret. Male, inquam ego, feciſti, mi Sajavedra. Scis tu non me Romæ jam eſſe, aut Hiſpali. Numquid inſipientia eſt promittere te id quod ipſe, ne ſi velim quidem, præſtare poſſim? Sed quia id factum: agedum, ponderoſiorem illum torquem areum ad eam defer, dicque meo nomine, Commodare me quod præ manibus ſit. utatur eo, nec petat à me quod non habeam. Excuſationem pro tuo temperabis arbitrio. Tum Sajavedra, Ergo, inquit, bajulum conducere mihi neceſſe fuerit, qui tam grandem & ponderoſam catenam deferat. Ego, Fac, inquam, quod facere te juſſi. Vel potius ad tabernam aurifabri defer pigneris loco. Ab eo dein petere illam jube quod placuerit. Quod uſuræ nomine debebitur ego præſtabo. Quod ſi catenæ ſeu torquis precium non ſufficerit, adde è theca illa, quam ſcis, non illa altera, gemmarum aliquid quantum ſatis ſit. Certe aliam rationẽ non video qua ſtultam illam tuam in prmittendo

De compacto rem gerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

facilitatem emendate queam. Horum omnium ſermonum arbiter patruus, Ecquid, ait, mi nepos, pigneris eſt de quo loqueris? Mi patrue, inquam: Scis heris ſæpe famulorum luendam eſſe ſtultitiam. id quidem mihi jam accidit. Degit hac in urbe Caſtellana quædam prænobilis femina; quæ in eo jam eſt ut nuptias cum Equite ejuſdem nationis celebret. Uterque, ſponſus & ſponſa, mihi noti ſunt. utrique (etiam debere me fateor,) lubens bene faxim. Rogavit me illa ut ſuis opibus apud exteros deſtitutæ ſuccurrere, & mundum muliebrem ad decenter peragendas nuptias procurare velim: quarum dies tam prope eſt, ut quaſi impoſſibile mihi ſit tam ipſius, quam meæ voluntati ſatisfacere. illud male me habet, quod fungus iſte tantum non ſapuit ut me excuſaret ea in re quam ſciebat ſine incommodo à me præſtari non poſſe. ſed credo ego hunc potius priuſquam illa me compellârat, ultro, me neſcio, operam meam obtuliſſe. neque enim veriſimile eſt, feminam prudentem ab homine benevolente quidem, non minus tamen apud exteros quoque agente, tale quid petere auſuram. verum enimvero quia aliter exiſtimatio mea conſervari nequit, age tu, fac quod illa

Quam pulcre!

illa voluerit. Peſſimo letho emori mallim, quam ullum vilis & genere meo indigni animi indicium præbere. Tum ſenex: Ne feceris, mi nepos, ut tantilla res negocii tibi aliquid aut curæ faceſſat. Ibi locorum nunc es, ubi nihil tibi deeſſe poteſt. Reſpondi, Id mihi quoque eſſe perſuaſum: nolle me tamen cuiquam moleſtum eſſe; maxime quum neſciam quiſnam cognatorum hac in re commode juvare me queat. Eſſe quidem mihi non contemnendam gemmarum copiam; ſed eas loco movere mihi quaſi religioni ducere. nec omnia omnibus locis & perſonis apta aut decora. ille quieto me eſſe animo jubet. ſe cum reliquis cognatis ſedulo effecturum ne quid quod vel ad uſum meum vel exiſtimationem pertineat, deſit. Digredentem monet, ut ſi ita mihi videretur ſarcinas meas domi ſuæ extra omne periculum aſſervandas mitterem. Egi iis verbis gratias, quæ ad id quod agebam eſſent appoſitiſſima, quæque maxime ſimplicis & ſinceri animi facerent fidem. In hoſpitium reverſus, duas illas ciſtas lapidum, ſed non valde precioſorum plenas, ternis ſeris, ita factis ut ſine fractione non niſi legitimis clavibus aperiri poſſent, munitas, per bajulos, comitante Sajavedra, ad patrui ædes deferri jubeo:

Hiat corvus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

cui tam onuſtus tanti theſauri, ut putabat, portatores videnti, non ſupercilium modo, ſed & ipſa præcordia ſaliebant. Depoſitis eo quem monſtrârat loco ſarcinis, Sajavedram rogat, quæ res in ciſtulis illis ineſſent. Reſpondet Sajavedra, Res eſſe magni precii, & magnam facultatum heri ſui partem, ſed maximi omnium precii lapides eſſe quoſdam raros admodum, quos herus ſuus multo labore quacumque iter feciſſet, conquiſierit, & hactenus non niſi pauciſſimis inſpiciendos dederit. Dimiſſus à ſene cum diligentis coſtodiæ promiſſo Sajavedra, & in hoſpitium reverſus, rem omnem, & maxime ſenis vultum, oculos, geſtus mihi exponit: uterque vero ad inſtar columbarum gutturizantium & roſtra inter ſe conferentium, & paleam & ſimilem materiam colligebamus, è qua nidum conſtrueremus. Et variis quidem inventionibus tota illa nox nobis tranſacta fuit: quarum multas, tamquam chimæras, ſtatim damnavimus, in pleriſque vero illud, *Non liquet*, uſurpandum, & conſilium è re nata capiundum cenſuimus.

Sane erant lapides.

Jam ſenex ille patruus meus hamum vorârat; tanto minus quidquam fraudis ſuſpicatus, quod futuram illam ſponſam meam non raro adi-

Aries ad alterum admovetur opidum.

adirem, meque vehementer eam amare fingerem. Erat alius quidam, neſcio quoto gradu itidem cognatum ſe mihi ferens, ætate juvenis, opulentus, ſed cautus valde, & ad rem non minus quam ſenex ille, attentus. Scelus nobis videbatur hunc intactum relinquere, ne aliis de mea fraude poſtea conqueſturis ſolus ſtultitiam exprobare, poſſet. Vix orto ſole tragulam quam in hunc injiceremus, adornamus. Sajavedræ trado duas ciſtellas, ſub pallio deferendas, ſic inter ſe ſimiles ut diſcerni non poſſent (quarum uni catena aurea, alteri ſpuria & orichalco, utraque à me Mediolani emta, incluſa erat) mecumque ad cognati illius mei domum proficiſci jubeo. Surrexerat jam ille; ſed adhuc veſtiebatur. quod ubi mihi à familia dictum fuit, abitum fingo, poſt prandium reverſurus. intereà è famulis quidam ei indicârat me adeſſe, ſed iterum abire. quo audito, ille vehementer indignari, exclamare, increpare omnes quod me rectà in cubiculum non deduxiſſent. Sic revocatus, poſt mutuam ſalutationem & quæ in congreſſibus adhiberi ſolent ceremonias, dum veſtitur. variis de rebus cum eo colloquor. inde in cœnacu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

lum deducor! ubi ille me interrogat, quid mihi vellem tam matutinus. Reſpondeo, ideo me veniſſe ut bonum ejus diei ſumerem auſpicium, cui præterita nox non admodum fuiſſet jucunda. illud vero quod rogatum te volui eſt, inquam, ut unum è famulis tuis, cui cor ſapiat, vocari cures; cujus opera, cum bona tua venia, in meo negocio utar. Ad campanulæ ſonitum advolant duo vel tres. tum quemdam Stephanum nomine ad ſe vocans, jubet ut mandatis meis præſto eſſet. Hoc te rogo, inquam ego, mi Stephane, ut cum Sajavedra aurifabrum aliquem adeas. & pondus ac precium ſeu valorem ejus catenæ quam Sajavedra huc detulit, exquiras. Statim porrigit mihi ciſtellam Sajavedra. reſero, catenam inde depromo: quam bono illi mirifice placuiſſe, ex ipſo vultu aliiſque geſtibus facile potui conjicere. ſumit ipſe in manus, artem contemplatur, miratur pondus, adeoque dejerat vix umquam ſibi vel artificio ſimilem vel pondere parem viſam. Dum illi aurifabrum adeunt, variis de rebus, de nuptiis præſertim meis ſermonem habemus. Reverſi ſcedulam afferunt aurifabri manu ſubſcriptam, precium ſeu valorem catenæ eſſe ſexcentûm quinquaginta trium ſcutatorum

O precioſam catenam.

Ca-

Caſtellanorum, paullo plus. Petenti mihi Sajavedra illam arculam in qua adulterina erat, porrigit. Promo. inſpectam aliquandiu repono, & arculam claudo. inde ſic ajo: Amplius aliquid eſt, mi cognate, quod petere à te velim. Jam aliquot noctes cum primariis hujus urbis Nobilibus ſeu Patritiis ludendo, pro more tam veſtræ gentis (neſcio quam laudato) conſumſi, varia fortuna, uti ſolet, fere tamen ſemper meliori. Eorum aliqui nuper à me non contemnendâ ſummâ emuncti, vadimonio me ad plurium horarum luſum obſtrinxerunt. quod quum ſine probro nec auſim nec velim deſerere; fortunam interim non neſciam mire inconſtantem eſſe, & tam facile jacturam quam lucrum objicere, non velim, ut quando maxime fervet luſus, numis ego, ſicque omni ſpe damni reſarciendi unà deſtituar. Apud patruum quidem depoſita habeo circiter quinque ducatorum millia: ſed ea vix attingere audeo. eſt enim Romæ mihi negocium, ad quod conficiendum illis ipſis mihi opus eſt. & litteras tantum Hiſpali exſpecto: quibus allatis, extemplo Romam mihi eundum, & ſolutio quibus debetur facienda eſt; modo illud beneficium, cujus cauſſa hoc ipſum iter mihi ſuſceptum

 fuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

fuit, mihi aut uni ex cognatis meis ſalvum velim. Melius ergò facturum me putavi, ſi iis quas non paucas habeo ex auro & argento rebus ad neceſſitates meas uterer, ita tamen ne vendam aut alienem. Eo finè catenam hanc auream mecum attuli; cujus precium, aurifabri teſtatur manus. Nunc illud tantum rogatum te velim, ut clam, (ne mihi res hæc apud alios pudori ſit) ſexcenti ducati in pignus hoc tua opera concilientur: quos ego, ſeu damnum ſeu lucrum ludendo faciam, unà cum uſura, ſtatuto qui videbitur termino, reddàm. Addidi, in ſimili quadam occaſione me alibi apud mercatorem quemdam vas argenteum inauratum pigneris loco depoſuiſſe; id vero interea tam male tractatum fuiſſe, ut receptum, ſine pudore menſæ non adhiberi poſſet miniſterio. ne idem vero in catena acciderет mihi cautionem eſſe: eoque rogare, ne in alienas manus pervenire eam ſinat. Graviter ille ſe ferre ſimulat quod pro tantula re, uti loquebatur, pignus offerrem. ſed ego manum operculo incutiens, arculam claudo, ſicque clauſum ei trado, proteſtans numquam me quos petieram numos recepturum, niſi ipſe pignus apud quem ſcirem æque tuto atque apud meipſum adſer-

ſervari. quumque nemo exploratum habeat quamdiu victurus ſit, æquum eſſe ut in omnem eventum indamnis ipſe præſtetur. Amicabilis hujus contentionis is tandem finis fuit, ut recepta ad ſe catena, negocium hoc meum præ omnibus curæ ſibi fore promiſerit. nec fides promiſſo defuit. eo enim ipſo die inter prandium venit quidam ex ejus miniſtris, in ſacculo ſexcentos ferens ducatos: quos quum mihi tradidiſſet, juſſi hero magnas meo nomine agere gratias. Vix ille abierat, ecce herum ipſum intra hoſpitii limen, rectà ad me ſeſe inferentem. Parum aberat, quin metu fuerim exanimatus. Certe in omnibus meis venis vix gutta ſanguinis reliqua fuit. Neque enim cogitare aliter poteram, quam arculam apertam, & fraudem deprehenſam, eoque venire ut nondum traditos numos miniſtrum domum reportare juberet, aut traditos, à me repeteret. Collecto tandem animo, in occurſum propero, vultumque ejus lætum & hilarem conſpicatus, fruſtraneum meum metum deprehendo, tanto certius quum ille amantiſſimis verbis, quidquid in ſua eſſet poteſtate mihi offerret. Ajebat, aureos illos ab amico ſibi commodatos ad uſuram, ſed parvum hoc fore damnum. Ad hoc ego verbis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quidem reſpondi, Parvam rem eſſe, pignus & ſorte & uſura tam parvi temporis longe eſſe melius: tacitus vero ſic mecum cogitabam: Atqui damnum hoc multo majus tibi futurum eſt quam velis. Dum hæc & alia loquimur, adveniunt colluſores; & poſt dictam ſalutem & quæ ſolent in ejuſmodi fieri congreſſibus, à Sajavedra chartas poſcunt. quibus allatis, conflictus oritur acerrimus, quo aliquamdiu ſpectato, abit cognatus meus, bonam mihi fortunam comprecans. Quia vero propediem diſcedere mihi conſtitutum erat, tam arte mea, cui fortuna inſuper non parum favebat, quam Sajavedræ indiciis ita uſus ſum, ut paucis horis quindecim Regalium millia ad me traxeim. neque enim tum tempus erat flores, ſed fructus potius colligendi. Diſtribui aliquid inter adſtantes; Favello autem, qui paullo ante intervenerat, quinquaginta ducatos dedi, quibus dicere poteram quaſi mancipium à me emtum. Dilapſis colluſoribus, Favellus mecum ſecedens, indicat, proximam Dominicam, intra quatuor ſcilicet dies, profectioni eſſe deſtinatam. Ego tam maturæ & propinquæ meſſi falcem mihi quacumque poſſem immittendam ratus, omnibus illis qui reliqui erant diebus nihil aliud egi quam

quam quod litteras ad cognatos meos miſi, quibus nunciabam conſtitutum mihi eſſe poſtridie proximæ Dominicæ ſponſalia celebrare. quod ut tanto honorificentius à me fieri queat ſperare me opem ipſorum quam ſæpe promiſiſſent, mihi non defuturam. non tam frequentia onera eſtate à formicis in cavernas, aut apibus in alvearia, quam ab amicis in cellam meam quam in hoſpitio habebam, comportabantur. Certè pudorem nonnumquam fingebam, dicens, quæcumque illa fierent, tam meritis quam exſpectatione mea longe eſſe majora. In primis ſenex ille patruus meus, præcipuus matrimonii hujus, uti putabat, actor, cimelia aliquot, collare, cingulum, pennam ad pilei ornamentum, aliaque id genus tam exquiſita partim dono partim commodato mihi miſerat, ut precium aliquot ducatorum millia excederent. Sic quum biduum fere muneribus accipiendis conſumſiſſem, ſequens biduum (tot enim dies mihi ad diſceſſum, nuptias ſcilicet meas, mihi reſtabant) viſitandis amicis & gratiis agendis impendi. interea miſſa mihi dona etiam ipſo Favello inſcio, in navim comportata, ciſtis quas ibi habebam includebantur. Tota die Dominica ſequenti hilarem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

me omnibus præbui, ut nuptiarum propinquitate lætari viderer, ſub veſperam hoſpiti ajo, Abire me ad quorundam Nobilium ædes, ubi luſorium condictum ſit certamen, quod ſi in multam luſus noctem protrahatur, forte me ibi pernoctaturum, ſi quidem luſus ante lucem finiatur, venturum tamen Sajavedram, ſi ejus miniſterio mihi opus non ſit. quidquid foret, cubiculi mei curam haberet. ſic domo egreſſus, & hoſpiti pro eo quod debebam duas ciſtas non precioſorum, ſed montanorum lapidum plenas relinquens, per amfractus ad litus proficiſcor, in quo Favellus me exceptum in triremem deduxit; tanta in me uſus poſthac ſemper comitate quantam optare vix quiſquam auſit. Roganti quomodo negocium illud meum (de vindicta) ſucceſſiſſet, dixi me per occaſionem omnia ipſi expoſiturum. Cenatum inde Favellus cubitum me deduxit. & quamvis omnia tam abundanter quam commode ad meum uſum eſſent instructa, fugiebat tamen diu ſomnus ab oculis meis, menti ſemper obverſantibus quæ deſignâram facinoribus. tandem curis laſſus, in ſomnum delabor: quum interea triremis, ſoluta ora, multùm in altum proceſſiſſet, me ne minimum quidem ſtrepitum ſentien-

tiente. Tandem in cubiculum meum irrumpit Favellus, nuncians Nolianum promontorium jam eſſe prætervectos: ventumque ita favere ut ſperet intra paucos dies in Hiſpaniam nos appulſum iri. Sed non ſemper ridet fortuna: immo ſæpe quanto magis propitiam ſeſe dat, tanto majus malum confidentibus machinatur.

In toto hoc meo itinere hoc unum ſcire cupiebam, quis poſt diſceſſum meum ſenſus fuerit cognatis meis, quæ mens, quis animus. Jam videbar mihi videre hoſpitem meum effractis ciſtis lapidum conſpectu tamquam Gorgone obſtupeſcentem, adeoque ipſum ferè in petram converſum. Jam circumcurſantes mihi videre videbar cognatos meos, ad nuptiarum ſolemnia me quærentes, ac non invento, inter ſe muſſantes, & mihi quid acciderit ſententiis diſcrepantes. Dixerit hic: quid ſi à maleficis hominibus ſeu ſicariis interceptus, & rebus omnibus, etiam vita ſpoliatus ſit? Alius: quid ſi forte ab ipſo famulo clam ſit interfectus? Alius: quid ſi paullum aliquò ſeceſſerit, tantum ut ſi male de ipſo judicemus, tanto meliori jure poſtea id nobis exprobrare poſſit. Sed credebam eos maxime ad veritatem acceſſuros, qui exiſtimaturi

eſſent, *Don* Guſmanum nequam fuiſſe, & impoſtorem, & cum cognatorum adſcititiorum exuviis aliò terrarum abiiſſe, & forte cum claſſe Hiſpanienſi vela in altum dediſſe. At proculdubio nemo omnium erat qui plus ſapere ſibi videretur quam patruus meus, ut quem penes omnes meæ eſſent divitiæ: ille vero cujus in cuſtodia tam percioſa erat catena, etiam lucrum feciſſe ſibi proculdubio imaginabatur. Sed inſpectis omnibus, & deprehenſa veritate, Deus bone, quot cruces digitis efformaſſe, quoties cœlum ſuſpexiſſe, quantas exclamationes edidiſſe cenſes! Poterat tam hoſpes quam patruus meus è petris illis ſeu ſaxis tumulos ſibi conſtruere: alter vero ille congatus catenæ ſe appendere, & longam literam ex ſe facere. Hem, ſic datur! Illud unum non erraverim, credo, ſi dicam in mente & ore omnibus fuiſſe: O ſceleſtum & maledictum ventrem qui tantum PICARUM, Lavernionem, tenebrionem peperit! Sed diſcedimus nos, manent illi. Poteram illis tum dicere quod Toleti quidam cæcus ad alterum: Valete dum alter alterum rurſus videat.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT XIV.

In Hiſpaniam navigans Guſmanus adverſa tempeſtate vehementiſſime jactatur: cujus vi alienatis ſenſibus Sajavedra in mare ſe præcipitat.

TAm proſpera hucuſque uſi fueramus navigatione, ut altero poſt die in conſpectu nobis fuerit Maſſilia. inde eodem vento provectis ſub poſterioris diei veſperam Hiſpania nobis apparuit, magna cum omnium lætitia; quæ minime fuit diuturna. Tum enim aër obtenebreſens è denſiſſimis nubibus inuſitatæ magnitudinis guttas effundere, ventus vero in contrariam plagam vertere cœpit. Simul cum aëre vidiſſes obnubilatas omnium tam nautarum quam vectorum mentes: nec fere quiſquam erat quin atrocem tempeſtatem vel prævideret vel præſagiret. Conveniunt naucleri & nautarum magiſtri. conſultant. ſed increbreſcente vento, ad ſuum quiſque officium dilabitur. demittitur majus velum, adſtringuntur antennæ, tota navis à puppi ad proram, robuſtiſſimis funibus vincitur. Vectores, mili-

Mari nulla fides.

milites, etiam inviti jubentur ad ſtationes ſuas & cubicula deſcendere, ne nautica impediant miniſteria. Tunc demum ego Virgilianam tempeſtatis deſcriptionem, quam puer legeram, recte intellexi. Adſtabat clavo fideliſſimus gubernator, vitam citius quam eum amiſſurus. hunc plerique de periculi magnitudine, de ſpe ſalutis noſtræ percontabamur; ejuſque verbis tamquam oraculo habebamus fidem. Vide humani ingenii cæcitatem. nemo fere erat quin verbis ejus, etiam contra animi ſententiam loquentis, plus fidei quam ſuiſipſius oculis tribueret: quibus nihil aliud quam plurima mortis imago undique ſe repræſentabat. Mendacium nos pro ſolatio accipiebamus. Quid enim ille verum dicendo nos ad deſperationem redigeret? Medici quoque de ægri ſalute rogati, ſpem ſemper faciunt, & Bene omnia fore dicunt. poſt mortem ſcilicet. Memini ſæpe illum in hæc verba erupiſſe: *Ne timete. nihil quidem hoc eſt.* Et ſane nihil illud erat præut alia quæ mox ſequuta ſunt. Sic cum ſæviſſima tempeſtate luctantibus aliud ſupervenit infortunium, dum navigium quoddam de claſſe in pippim noſtræ triremis ita impegit, ut ipſum clavum, in quo uno, poſt Deum, ſpes noſtræ ſalu-

Vide 1. Æneidos.

Vana ſolatia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſalutis ſita erat, excuſſerit. Majus hoc erat periculum quam quiſquam noſtrûm ſentire proterat, gens tamen nautica duobus ad puppim accommodatis remis, clavi vicem ſtudebat ſupplere, ac nulli omnino parcebat labori ut ſe noſque conſervarent. Quid tibi ego dicam quæ durante illa tempeſtate viderim, quæ audiverim? Sed tacere melius eſt. nec tu Lector, fortè ita maris expers es quin tale quid ipſe videris. Hoc modo per totam noctem jactata navi, mane cum ſol & ventus mutavit, & fluctus conquieſcere cœperunt; & pavore omni in lætitiam converſo, melior ſpes nobis alluxit. E duobus mortis periculis magis ſemper timetur id quod eſt propinquius: quod alterius vitandi tanto major ſpes ſit quanto plus temporis ſupereſt: cujus vel unicum momentum magnas adferre ſolet mutationes. Ad me quod attinet, non tam naufragii me terrebat periculum, quam ille metus ne in portum unde egreſſi eramus rejiceremur. quid enim tum me futurum erat, in tam infamibus ſceleribus deprehenſo? In Favello quidem ſpes erat: ſed ſciebam & hominem, & unum modo eſſe, & aliis ſubeſſe. O quam lubenter ſæpe, dum maxime ſævit tempeſtas, exclamaſſem: Ego Jonas ille ſum, cujus

Qui tempus, vitam habet.

de-

delictum vos affligit. vobis mare non placabitur, niſi me, velut hoſtia, in medios fluctus abjecto. Sajavedram tale invaſerat faſtidium & nauſea ut in febrim inciderit; ac mox alienatis ſenſibus, delirare cœperit. Miſerum ſimul & ridiculum erat videre quæ extra ſe ille faciebat, quæ loquebatur. Reliquis in ſummo periculo peccata ſua confitentibus, cum lachrymis & votis Deum obſecrantibus, unus ille altiſſima voce exclamabat: Ego umbram ſum ſeu anima Guſmani Alfaracii: ego umbra illa ſum, per Mundum peregrinans. Hæc ego audiens riſum tenere non poteram, non minus tamen timebam ne ille facinora mea, quorum fere omnium erat conſcius, detegeret, quamvis id ſine noxa mea fore exiſtimarem, ut quem deſipere omnes ſcirent: nec quiſquam in tanto periculo nugis ipſius auſcultabat. Vitam meam nihilominus quaſi totam narrabat, multa addens quæ vel ipſe feciſſet vel ab aliis audiviſſet. Si quem audiret quemcumque locum viſitandi religione ſeſe obſtringentem, eum locum ſe quoque viſitaſſe, totum denique terrarum orbem mecum ſe obiiſſe dicebat. Quid multa? tantas nugas deblaterabat, ut vel mortuo riſum facere potuerit. Tranquilliore jam cœlo ac mari,

Saiavedræ exitus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

mari, cubitum mature omnes concedimus, priorum dierum daſatigationem, labores & curas quiete reſtauraturi. Circa medium noctis nautarum unus qui excubias agebat, exclamat, hominem in mare decidiſſe. accurritur, inquiritur. Sajavedra nuſpiam comparet. cui quum ſubveniri amplius non poſſet, ad ultimum bene precati ſumus. Et Favellus & plerique alii in me conſolando multum ponebant operæ, magnum dolorem ſimulante: ſed ut verum fatear, læo propemodum, ut cui poſthac nemo facionrum meorum conſcius timendus eſſet.

CAPUT XV.

Barcinone Guſmanus Salamancam proficiſcitur. Ibi Statuta cujuſdam novantiquæ Fraternitatis edocetur.

SEcundo inde uſi vento, navim quamvis laceram & clavo remiſque fere deſtitutam Barcinonem appulimus. Facta exſcenſione, Favello valedico, Hiſpaniam proficiſci me ſimulans, ad exſoluendum votum quod D. Virgini, quam de Valle vocant, duranne tempeſtate fecerim.

rim. Valde ille diſceſſu meo dolebat. ſed quid faceret? nec manere ibi diutius ego volebam; nec comitari ille me poterat. O quam gravis, quam irrequieta res eſt mala conſcientia! nullum horæ vel momentum ſecurus eram, metuens, ne cognati illi mei celoce ad me perſequendum miſſa, æternæ infamiæ tam aſtutum lavernionem manciparent. Tribus ego comparatis jumentis, quorum unum me, altera ſarcinas meas veherent, novoque conducto famulo, iter non quò dixi, ſed quò ſecuritas ſuadebat, meum direxi. Sed priuſquam iter mecū ingrediaris, aliquantulum philoſophari lubet. Circumforanei, qui mendaciis quæ dicunt, volunt habere fidem, fontem, lacum, metallum, arborem, herbam, lapipem, aut denique ſcriptorem aliquem, Plinium puta, Galenum, Avicennam, Raſim, & infinitos neſcio quos barbaros, multo tamen magis barbarè ab ipſis citatos, tamquam teſtes allegant. Pulcrum factum! Mentiuntur ipſi. mendacii teſtes laudant eos qui teſtes eſſe non poſſunt. Contra ego faciam. non mentiens, dicam mendacium. ſed auctorem do Apollonium Tianeum. ille ſi mentiatur, ego mendacium dico. Ait, vidiſſe ſe lapidem Pantauram nomine, omnium aliorum lapidum regem: in quem unà

Conſcientiæ vis.

Pentaura Lapis.

cum

cum ſolis radiis omnium aliorum lapidum virtutes influant, & idem quod in illis operentur. Et quemadmodum magnes ferrum, ita lapidem hunc omnes alios ad ſe trahere, nec venenum tamen quod in ſe habet affricare.

Pentaura quid eſt? opes, divitiæ: in quibus omnes omnium aliarum rerum virtutes inveniuntur. elementa vincunt omnia, ima terræ eruunt viſcera, ſtagna, atque adeo maria ſcrutantur, exſcindunt rupes. Quid tam excelſum eſt quod non dejecerint? quid tam humile quod non exaltarint? quid tam difficile quod non facile reddiderint? quæ tanta fuit calamitas cui illa remedium non invenerint? quod tantum periculum quod non averterint? quid illæ umquam expetierunt quod non conſequutæ ſint? quam legem poſuerunt cui omnes non obedierint? Et quamvis non minus venenoſæ ſint quam ipſe tot teſtibus celebratus, à nemine, credo, viſus baſiliſcus, cujus vel aſpectus homines necare dicitur: in ſeipſis tamen non minus efficax habent antidotum: licet eo pauciſſimi recte utantur. Ipſæ quidem divitiæ in ſe nec bonæ ſunt nec malæ, ſed prout animus ejus eſt qui habet. Et quemadmodum Chamæleon (de Polypo piſce idem ferunt) ejus cui adhæ-

Divitiarum vis.

ret rei colorem aſſumit: ſic divitiæ virtutem aut vitium à poſſidentis affectu. In Arcadia lacum eſſe perhibent naturalium rerum ſcriptores, cujus aquam qui noctu biberint, in morbum incidant; qui die, ſanentur. eodem modo qui per tenebricoſas & fraudulentas artes, quales ſunt quæ divinis mandatis & proximi charitati repugnant, divitias corradunt, ſe ſuamque ſalutem eunt perditum: qui vero in luce, id eſt, per bonas & licitas artes theſauros ſibi colligunt, habent unde & ſibi & aliis ſine ullo conſcientiæ vulnere, bene facere queant. Non damnant divitiæ divitem, nec pauperem ſalvat paupertas. quiſquis utrovis male utitur, in damnationis eſt periculo. Non eſt dives qui divitias accumulare non ceſſat; nec pauper qui cupiditatibus torquetur. Veræ & genuinæ divitiæ ſunt quæ etiam quum habentur, contemnuntur: quæ neceſſitatibus, non voluptatibus inſerviunt: quæ cum bonis communicantur, & inter amicos diſtribuuntur. Variis modis divina providentia dona inter homines diviſit. his fortunæ, illis corporis, aliis animi bona eſt elargita. Felicior eſt pauper ſua ſorte contentus avaro divite. Illi præſentibus utenti nihil deeſt: huic etiam deeſt quod habet. ſed quid dico, habet?

Quis vere dives.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

habet? non habet divitias avarus, ſed ab eis habetur. illi nihil parum, huic nihil ſatis eſt. Me vide. Mendicus fueram olim pannoſus, ſquallidus. jam dives ſum, multa millia habens in loculis, precioſo veſtitu ſuperbus, onuſtus cimeliis. & pejor tamen multo quam umquam ante. Diligentem me fecerat ante paupertas & ſollertem; nunc arrogantem & ſuperbum faciunt divitiæ. Si mea ſorte acquieſcere voluiſſem, & cupiditatibus meis moderari potuiſſem, nihil defuturum erat unde honeſte poſſem vivere. Nunc quum neutrum facerem, ipſa mea pecunia tam corpori quam animo meo infinitos labores & pericula creavit. Eram inſtar rotæ quæ aquam hortis infundit, plena ſemper, ſubito iterum inanis. Pecuniam cruciabiliter acquiſieram, eamdem parvi faciebam, cuſtodiebam indiligenter, & male quæſitam, pejus perdebam. immò meipſum.

Pecunia eſt ut qui utitur.

Barcinone propere egreſſus (ne deprehenſus flagitiorum darem pœnas) viam, comitante aliquantiſper Favello, Hiſpalim verſus ingreſſus, mox aliud iter Salamancam verſus inſtiti; ſecurior aliquanto, ob mortem Sajavedræ, quem ſolum inter mortales facinorum meorum habueram conſcium. Mea erant

erant jumenta, quamvis non meâ pecuniâ emta; novitius erat famulus, artium mearum plane ignarus. Sic ire mihi licebat quacumque vellem, & quacumque me pedes ferrent. hodie hic, cras in Gallia, ut dici ſolet. Cavendum autem ſedulo mihi putabam ne in quocumque loco diu commorarer. Cum veſtitu indies quaſi perſonam mutabam. Hoc modo totam illam provinciam pervagatus, Salamancam tandem perveni, urbem cum multis aliis nominibus, tum maxime bonarum artium ſtudiis celebratiſſimam. Hic dici non poteſt quam multa animum meum & admiratione & ſingulari voluptate perfuderint. unum tamen prima fronte valde durum atque abſurdum mihi videbatur: quod jamjam narrabo. Per urbem ambulans, forte conſpexeram viduam quamdam juvenculam, mira formæ & morum venuſtate præditam, nobilem quoque & divitem, uti ex habitu & aliis argumentis conjectabam. Reſtiti. Curioſo & amoris indice oculo me contemplantem contemplatur ipſa quoque. Facile illa Cupidinis ſagitta ictum me ſentiebat. Sed nihil animadvertere ſe ſimulabat. ego interim tamquam hirundo ædes illius circumvolare non ceſſabam: quod illa nec ægre ferre nec valde gratum habere

Ocium amoris fauces.

mihi

mihi videbatur. Saucius eram, vulnus tamen oſtendere non audebam, niſi fatuis illis oberrationibus. Tandem quum fatuitatis meæ pertæſa timiditatem mihi ipſa exprobrare & ſic animo ſecum cogitare videretur: Quis hic eſt tam magnifice ſeſe inferens, & tam curioſo oculo tamdiu me contemplans ardelio; forte mutus eſt, aut ex Pythagoræ diſciplina. jam duæ horæ abierunt quum ille oberrans feneſtræ adſtantem me hic detinet, oculis tantum loquens, tacente lingua. Ubi ergo abeuntem vidi, ad fores eam obſervare (exituram enim rebar) gradum conferre & comiter alloqui decrevi. Spe fruſtratum me videns (nuſpiam enim tum poſtea comparebat,) in hoſpitium redeo: & captata opportunitate, ne id agere viderer, ex hoſpite percontor, quid illa mulieris eſſet quæ in tali platea (alias ſimul addebam notas quibus illam poſſet noſcere) habitaret. Ait ille, Viduam eſſe facie venuſtam, nobilem genere, divitiis tam ſuis, quam à marito relictis opulentam, prudentem inſuper ſupra ſexum; & modeſtam. Quid quæris? hoc tanto elogio oleum igni ſentiebam additum. Pergo quærere: Quum tallis ſit, quid cauſſæ eſt cur non iterum nubat? Quam facilis enim in tam florida adhuc & lubrica ætate,

O ſtultam curioſitatem.

libertate gaudentis feminæ eſt lapſus! Reſpondet ille, ſecundas illi nuptias admodum fore damnoſas, ut quæ altero poſt die ea omnia amiſſura ſit, quorum ex mariti teſtamento, per totam vitam, quamdiu in viduitatis ſtatu permanſerit, uſumfructum habeat. Hic ego exclamavi: ô duram legem! ô rigidam clauſulam! quanto rectius feciſſet ille quiſquis fuit maritus, ſi, quod in Italia plerumque ſolet fieri, opimum aliquod legatum ei reliquiſſet, iterum nubenti dandum. Hac quidem ratione melius & viduæ pudicitiæ & defuncti mariti honori conſuleretur, dum legitimis nuptiis turpium amorum anſæ præciduntur. Quum multa hanc in ſententiam dicerem, ille, Mi domine, inquit, ſcis cuique regioni ſuas eſſe conſuetudines. Plura ſcit ſtultus ac plus ſapit in domo ſua quam ſapiens in aliena. Talem conſuetudinem mihi nequaquam probari, malis moribus lumbos frangendos, nec legem dicendam cujus fundamentum non ſit recta ratio, replicanti, reſpondet ille, Finem hujus conſuetudinis eſſe non utne iterum nubant viduæ, ſed ne poſt maritorum mortem paupertate ad infamiam adigantur. Hoc ego reſponſo minime acquieſcere poteram: ſed apud animum meum cogitabam, quidnam rei

Viduæ lubrico in ſtatu.

eſſet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

eſſet femina. Mihi ſic videbatur, nihil aptius & verius de hoc toto ſexu dici poſſe, quam Feminam neceſſarium eſſe malum. Malum non ſunt quæ malæ non ſunt. Sed ubi iſtæ? Sed ne tamquam Pentheus Bacchis me objiciam; ſuas eis virtutes non invideo. meas nunc recenſebo: quæ nec pauciores nec minores erant quam Tabacci. Dum hoſpes, facetus alioqui & diſertus homo & variis de rebus mecum loquitur, linteolo è caligarum pera expromto nares contracto in triremi frigore plus ſolito fluentes extergo: inde quod extraxeram, uti plerique ſolent, in ipſo linteolo contemplor. Id quum vidiſſet hoſpes, ut erat homo dicax, alta & terribili voce exclamat: Fuge, fuge domine mi. abſconde te quantum potes. Miſellus ego, qui velut capo deplumatus & uſtulatus nihil aliud exſpectabam quam ut veru infigerer, uno ſaltu poſt lecti cortinam me proripui, viatorem cum lictoribus adeſſe exiſtimans. Ille quod malæ conſcientiæ erat, ſimplicitatis argumentum interpretatus, multo cum riſu ait, certum jam ſibi eſſe, podagra me non laborare. ſimul hortatur ut prodirem. nec enim magnum eſſe periculum nec grave damnum in quod me ipſe conjeciſſem. Non ſemel poſtea miratus ſum quod de

Ut timet male conſcius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

feneſtra non me præcipitârim. Adeo facinorum meorum conſcientia & inſtantis ſupplicii metus pectus mihi percuſſerant. Prorepo tantum non exanimis: vultum nihilominus, quantum poteram, alacrem fingo, ne ſupectum me facerem. Rogo, quid rei ſit. Duos ille poſcit à me ſolidos. depromo numum Regalem, eique objicio. quem quum ille lætus recepiſſet, quæro quid ſibi vellet illa poſtulatio. Ait, Procurationem cujuſdam xenodochei à neſcio quibus ſibi demandatam, juſſumque ut ab hoſpitibus in leges delinquentibus mulctam exigeret. eam quando jam ego ſolverim, poſthac, ubicumque futurus eſſem, immunem fore. Ego, inquam, mi frater, quia pœnam jam lui, culpam mihi oſtendas æquum eſt; à qua ſi purgare me, nunc quidem, nequeam, in futurum tamen cavere mihi poſſim. Ille, Quia, inquit, nihil dubito quin unus ſis è non multis, ſi pauxilli moram temporis ferre potes, leges ampliſſimæ Societatis, quas penes me habeo, ex ipſis tabulis tibi recitabo. numus ille viatoris eſt, & tui in Societatem hanc adſcripti auctoramentum. Reverſus, magnum ſecum affert librum; quem Matriculam eſſe ajebat eorum qui huic Societati nomina dediſſent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT XVI.

Statuta Societatis ſeu Confraternitatis Moropoliticæ.

INde meo rogatu ſic legere cæpit:

Nos Ratio, ſuprema rerum omnium domina, nullius ſubjecta imperio, &c. conſiderantes plurimorum mortalium fatuitatem, & ſtultitiam & perverſitatem, indies latius ſe diffundentem & profundiores agentem radices: ne quid inde humani generis Reſpublica damni capiat, modis omnibus providendum nobis exiſtimavimus. Quem in finem viſum eſt eos omnes qui contra nos noſtrumque imperium peccare deprehenſi fuerint in unam quaſi Civitatem ſeu Societatem adſcribere, & certis quibuſdam adſtringere legibus: quas in omnibus & per omnia ſancte atque inviolabiliter volumus ac jubemus obſervari.

Quoniam vero ad tuendas leges & adminiſtrandam juſtitiam magiſtratuum tam majorum quam minorum opus eſt miniſterio: hac in civitate pro Prætoribus ſeu juridicundo Præfectis conſtituimus *Politiam, Curioſitatem & ſollici-*

tudinem, qui noſtro nomine ex æquo & bono jus omnibus dicant & juſtitiam adminiſtrent, reos apprehendendo, abſolvendo, damnando, puniendo. His Aſſeſſores adjungimus eos quibus civitatis hujus noſtræ ſalus inprimis curæ erit, quorum ſinguli quanto majori zelo has noſtras leges ab omni injuria vendicandas ſibi ſtatuent, tanto majores in hac Socitate honores indipiſcentur. Pro Fiſci noſtri Advocato ordinamus Diligentiam, pro viatore Famam. Reliquos inferiores magiſtratus majoribus pro arbitrio conſtituendos relinquimus.

Quicumque ſoli ſecum loquuntur, ſive domi ſedeant ſive foris obambulent, trium menſium ſpacio in hujus civitatis ergaſtulum compingantur: intra quod tempus ſi errores ſuos non emendaverint, & ipſorum Judicum ſententiis abſolutos ſe fidem fecerint, Morboniam eos ablegandos cenſemus.

Qui ſive publicis ſive privatis in locis, quæ vel quadratis ſaxis vel lapidibus ſtrata ſunt, gradientes, ipſos paſſus certis menſuris diſponunt ac dimetiuntur, ita ut pedem non alio quam quem animo deſignarunt loco ponant, per trimeſtre eodem in ergaſtulo aſſervantor.

Qui dum per plateas eunt, prolatis extra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

extra pallium manibus, parietes quà eunt, digitis velut depingunt ſeu delineant: eos Societati huic adſcribi, ſemeſtre vero interea dum reſipiſcant, aſſignari; intra quod ſi non reſipuerint, tunicam eis croceam viridis coloris fimbriis prætextam, cum pileolo ejuſdem coloris argenteis tintinnabulis ſonoro dari, & tamquam profeſſos, Ordini adſcribi jubemus.

Qui dum vel pila vel quocumque alio ejus generis ludo ludunt, poſtquam pilam aut globum jecerunt, corpus ita inflectunt uti cadere pilam vel globum currere volunt: qui item dum aliquid vident ex alto dejici; necnon qui dum malis utuntur inſtrumentis quibus ægre facere poſſunt, quod faciunt, os diſtorquent, linguam exſerunt, aut alios deformes edunt geſtus, hos omnes in Fratrum album ſeu matriculam referri volumus.

Qui famuli aliquò miſſi moram impatienter ferentes, vel ad feneſtras vel ad fores currunt ac proſpiciunt, perſuaſi forte tanto illum celerius venturum, eos errorem ſuum agnoſcere & emendare jubemus. quod ſi non fecerint, magiſtratibus contra eos jure & legibus agendi jus eſto.

Qui dum alii chartis ludunt, chartas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quas illi habent ocioſe contemplantur, eaſque mutatas volunt, etſi mutari non poſſe ſciunt, atque ita ſeipſos cruciant, Societati huic adſcribuntor. quod ſi cauſſam aliquam ſeu excuſationem allegent, à pœna quidem immunes ſunto, magiſtratus tamen majores noſtros venerantor, atque etiam eorum ædibus prætereuntes aperto capite honorem exhibento.

Qui ex alto ſputum emittunt, exploraturi an ad perpendiculum conſtructæ ſint ædes; aut qui certum ſibi locum deſignant in quem ſputum dejiciant: eos errorem ſuum quamprimum agnoſcere & emendare; ſin minus, ut profeſſos, Societati huic adſcribi mandamus.

Qui iter facientes ex obviis percontantur quam longe abſint ab hoſpitio aut loco ad quem contendunt, perſuaſi hac ſua percontatione tanto citius quò volunt perventuros: eis pro pœna ipſius itineris, & quæ à mulionibus aut nautis exhibentur moleſtias imponimus: monitos interea volumus ut reſipiſcant.

Qui dum mejunt, ipſa urina vel in muris & parietibus vel in arena & pulvere certas figuras deſcribunt, aut ſcrobiculas excavare ſtudent, eos fatuitatis condemnamus, & magiſtratibus noſtris puniendos tradimus.

Qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Qui horologio ſonante, horas non numerant; aut numerant, poſtea tamen ſtatim quota hora ſit quærunt, eos in civitatis hujus xenodocheum recipi & helleboro curari jubemus.

Qui vel ob avaritiam vel quamcumque aliam cauſſam (neceſſitatem ſemper excipimus, quæ caret lege) in foro viliſſimum quodque deſtinant & emunt, eò tantum quod vilioris ſit precii, quum non neſciant multo pluris conſtare Medici operam & qui è corruptis ſeu malis cibis naſcuntur morborum remedia: eos tamquam ſibiipſis infeſtos damnamus, & ſupremo Fratrum ordini adſcribi volumus. Quod ſi errorem ſuum corrigere noluerint, plebano vel ſacellano ac veſpilloni curam eorum demandamus.

Qui dum vel ſub arborum umbra cubantes, vel ſtantes aut ſedentes è nubibus prætervolantibus ſerpentum, leonum, aut quaſcumque alias figuras efformant, pro Sociis haberi volumus. illi vero qui utilitatis ſuæ cauſſa Tauri, Arietis aut Capricorni ſigna domi ſuæ ſibi effingunt, eos quidem à Societate non excludimus, privilegiis tamen quibus ea gauderit, tamquam indignos privamus.

Qui calceos, etiam holoſericos, pal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

lio aut pileo deterſerint aut expurgaverint, Fraternitati accenſentor, & delicatiori veſtitu ab aliis diſcriminantor.

Qui amicum diu non viſum ita ſalutant: Ergo adhuc in vivis es! ergo in terra adhuc verſaris! quamvis formula hæc nonnullis feſtiva videri poſſit, locum nihilominus eis inter cives ſeu ſocios hujus Fraternitatis dandum cenſemus: quum abſurdum ſit dubitare an vivus ſit, quem vivum; & proculdubio in cœlo non ſit, quem in terra vides. horũ frontibus admirationis ſignum literis tricubitalibus inſcribi volumus, quod illi quacumque eunt ſecum circumferant.

Qui à foribus aliquem quærentes, accepto reſponſo domi eum non eſſe, replicant iterum rogando, Ergo domi non eſt? ergo exivit? eos in pœnam contumaciæ damnamus: ut qui accepto reſponſo ſatisfieri ſibi non patiuntur.

Qui impactis ad ſaxum aut lapidem pedibus, vel, ut accuratius loquar, pedum digitis, illud ipſum ſaxum aut lapidem torvis intuentur oculis, aut conviciis etiam & blaſphemiis proſcindunt, fatuitatis rei peracti habentor: rectiuſq; ii fecerint ſi offendicula ejusmodi tam ab oculis quam pedibus removerint.

Qui ubi nares emunxerunt; ſordes illas in ſtrophiolo non aliter ac ſi margaritæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

garitæ eſſent vel uniones, contemplantur, in Collegium hoc adſciſcuntor, ea lege ut quoties hoc in genere peccârint, ſtipem in xenodocheum eorum qui incurabiles habentur, inferant.

Ad hoc caput quum legendo perveniſſet, uterque in tantum riſum ſoluti fuimus ut de loci prærogativa in hac Societate certare videremur. Quia autem infinita fere adhuc capita reſtare animadvertebam; ego vero ante noctem, cujus jam aderant confinia, viduæ illius videndæ deſiderio ardebam; ſubſiſtere hominem juſſi, ac rogare cœpi, Ubinam illud Xenodocheum ſeu Hoſpitale eſſet: quæ vectigalia, vel quos reditus haberet: à quibus gubernaretur. Reſpondit ille, quum tantus ſit ægrorum numerus quantum ædium etiam laxiſſimarum, immo maximæ Civitatis ambitus capere non poſſit, nec ulli ſtati aut certi reditus: totum Orbem terrarũ pro diverſorio eis aſſignatũ. Ergo ubinam, inquam ego, prudentes degent, aut quò ibunt, ut ne contagione hac lædantur? Ille, communi, ait, ferri ſermone, unum tantum inter omnes mortales eſſe qui ab hac contagione immunis ſit, ſed ad hanc ipſam horam, quiſnam ille ſit, adhuc neſciri: niſi quod quiſque illumipſum ſe eſſe credat: quamvis ceterorum *Stultorum plena omnia.*

nemo ſit qui credere id poſſit aut velit. Prodiiſſe nuper hominem Geometriæ aliarumque tam mathematicarum quam mechanicarum artium in primis peritum, qui omnes eos quos lues hæc non afflaverit, uni ovo, cum omnibus eorum facultatibus & fortunis, velit includere, & unicuique, tam laxam aſſignare ſtationem ut alter alterum ne contacturus quidem ſit. Nugis ego tot tantiſque offenſus, Hæ, inquam, meræ ſunt nequitiæ: quarum ſtabulum ſtultorum Xenodocheo magnitudine nihil cedit.

CAPUT XVII.

Guſmanus ſtultæ procationis pœnas dat, aureis aliquot nummis à puella emunctus.

DIlata reliquorum capitum in ſequentem diem lectione, novo ex elegantioribus meis ſumpto veſtitu, in publicum prodii, non aliter ac ſi Strapes aut regni eſſem Megiſtanes me inferens. Tum quidem ita mihi placebam, ut fortunam meam, ſeu conditionem ne cum Principis quidem ſtatu fuerim permutaturus. In bivio quodam conſiſtenti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſiſtenti duæ occurrunt mihi puellæ; quorum una corpore & habitu decora nihil vulgare præ ſe ferebat; altera hujus ancilla videbatur. Saluto. non reſalutant modo illæ, ſed & ipſæ conſiſtunt. Applico me. nec illæ fugiunt. Jam illa altera me ita rapuerat, ut occultus in animo meo ignis accenderetur. Polliceor multa, & miras delicias facio, ut ſolent amantes. nec minus liberaliter illa pollicetur. Invitatus occaſione (erat enim locus fere ſolitarius, jamque cœlum obtenebre ſcebat) dum ſuaviolum, & reliqua quæ amantes amant auferre ab ea conor, pugnans illa tamquam quæ vincere nollet, mira agilitate crumenam, in qua aurei aliquot erant è caligarum ſacculo mihi extrahit ac ſurripit, præ voluptate nihil ſentienti. Quid enim ſentiat homo cujus memoriam & mentem omnem cupiditas quaſi obſeſſam & conſtrictam tenet? Hanc prædam illa nacta, verbis amantiſſimis rogat ut miſſam faciam, ac ſi mihi placeret, exſpectem jamjam redituras. Tum, inquit illa, poteris tu domum mecum ire: ubi facere tibi licebit quodcumque animo tuo collibuerit. Audies tunc me tam argutis digitis fides tangentem, ſimul tam ſuaviter accinentem, ut ſuaviorem vocem non audiſſe, & doctio-

Cave, cave ſexũ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

rem manum non vidiſſe proculdubio dicturus ſis. Ceterum quum genus mihi ſit in primis honeſtum, & fama adhuc integra, nolim me ita in publico tecum confabulantem videri: quem ego non meo tantum, ſed etiam omnium feminarum amore digniſſimum judico. His dictis fidem habens, illam omitto, paullo poſt, ut mihi pollicebar, totam habiturus. inde ad monſtratum ab illa me confero locum; ubi per tres horas continuas quaſi in eodem ſteti veſtigio, nuſquam pedem amovens, ne certis ſignis, quæ mihi dederat, vocanti in mora eſſem. Tandem paſſum unum & alterum hac illac facio; quocumque vero ibam, aut ubicumque conſiſtebam, duarum illarum formarum velut phantaſmata oculis meis occurrebant. Quidquid audiebam, jam illæ mihi ſputare, jam ſcreare, jam aliud aliquod ſignum mihi edere videbantur. Sed per eas quidem mihi ad multam uſque lucem exſpectare licuit. Suſpicans ergo me ab eis, interea forte apud alios amori operam dantibus, deceptam, indignabar quidem, non tamen vehementer: dum cogitarem mecum, ſi interea quid aliunde mihi fuiſſet objectum, id me quoque accepturum fuiſſe. ſed & ſontica cauſſa à vadimonio excuſari forſitan poſſe opinabar.

Amantibus nihil grave.

Ad Anticyras.

Poſt-

Poſtquam deſignatæ ab illa mihi domus fores ſigno notaſſem, abii quò me ſors vel potius voluntas mea ducebat. mox reverſus, quieta omnia, & ne vivi quidē hominis ſignum deprehendi. Exſpectavi nihilominus aliquantiſper, jam huc jam illuc oculos convertens, & tuſſi, ſcreatu, pedum ſtrepitu præſentiam meam ſignificans. tandem per tenebras puellam è feneſtra proſpectantem videre mihi viſus ſum. accedo propius. loquor quæ amantes, vel ſtulti potius ſolent. Ait illa, non eſſe quam exiſtimem. ſe ancillam eſſe, & quidem mediaſtinam. qualis qualis fuerit, tam facunde, tam amanter mecum loquebatur, ut bihorium fere me verbis, licet inanibus detinuerit; licet vix momentum mihi videretur. Sed ehei! (quid enim in tam gravi ſcilicet re exclamare non libeat?) dum peſſima puella nugas mecum conſerit, canicula multo illâ pejor, ab illa fortè emiſſa, per foramen oſtii prorepit, tantoſq; edit latratus, ut omne ſermonis commericum nobis intercluſerit. quæro lapidem, quo peſſimam beſtiolam vel abigerem, vel effugerem. per caliginem video neſcio quod nigrum tuberculum muro adſitum. lapidem eſſe arbitrabar: ſed è molli contactu errorem meum ſtatim deprehendi,

Nulla calamitas ſola, ſcilicet!

di.erat enim non lapis, ſed ex illo lactu-
carum genere quod pueri opidani mu-
ris, ruſtici ſepibus adplantare ſolent.
dum unguentum hoc excutio, manum
in ipſum impingo murum dolorem ſen-
tiens, ad eum levandum, ut fieri ſolet,
digitos ori inſero. cujus facti me ſtatim
pœnituit. miror ſane tum me omnia in-
teſtina non exſpuiſſe. ut tam delicatum
bolum extergerem, ſtrophiolum ſeu ſu-
darium quæro. ſed nec hoc nec crume-
na inventis, ſceleſtiſſimam illam puel-
lam exſecrabar, tanta accenſus indigna-
tione ut oculi ex ipſo velut capite mihi
proſilirent, non tam ob jacturam quam
fetorem & tam oris quam veſtium in-
quinationem. Quum interim peſſimus
ille canis latratu perſequi me non ceſſa-
ret: clauſa feneſtra abit puella; ego ſic
unctus ad hoſpitium revertor. Quò ubi
veni, famulũ excito, & duas ſitulas aqua
plenas haurire jubeo: in quarum una
manus, altera os ablui, ac frequenti fri-
ctione pæne excoriavi. Cubitum eo: ſed
dormire me non ſinebat tam recens ſini-
ſtri ac fœdi eventus memoria. Hinc,
cogitabam, tam docti illi ſunt digiti!
certe ſi fidibus pulſandis tam dextri ſunt
ac ſollertes quam ſurripiendis loculis,
vix Amphioni illa aut ipſi Orpheo con-
ceſſerit. Quamvis autem tam miſeris
modis

O delicatum amatorem!

modis ludificatus omnem amorem animo ejicere & cautius poſthac mercari ſtatuiſſem: recurrebat tamen ſtatim tam pulcrarum, ut mihi videbantur, formarum, tam mellitorum verborum memoria. Cum Plautino illo adoleſente, nullam animi mentem habebam. ubi eram ibi non eram. ubi non eram, ibi erat animus. Ita mihi omnia ingenia erant. quod lubebat, non lubebat jam id continuo. Ita me amor lapſum animi ludificabat, fugabat, agebat, appetebat, raptabat, retinebat, jactabat, largiebatur. quod dabat, non dabat, deludebat. modo quod ſuaſit, diſſuaſit; quod diſſuaſit, id oſtentabat. neque, niſi quia miſer non ibam peſſum, mihi ulla aberat perdito pernicies. Cum Medea dicere poteram: *Ciſtellaria Actu 2.*

—video meliora proboque,
Deteriora ſequar:

Inter hanc animi carnificinam inter alia ſic mecum cogitabam: Hem! ſi tantulam fraudem (ſi modo fraus fuit) tu tam ægro fers animo: quid illos quos tu non ita pridem tam nequiter & tam damnoſe decepiſti, ſenſuros puta? inde ad alias cogitationes dilapſus, ſequentis diei actiones, non illas ſerias quidem, ſed mere vanas, mecũ diſponebam: quo veſtitu vellem me induere; utrum torquem, majoremne an minuſculum collo *Bonum remedium obliviſcendarum injuriarum.*

cir-

circumdare ; quas plateas obire; quibus verbis, quibus donis amorem mihi, ſi quæ forte objiceretur occaſio, conciliare. In primis illa cogitatio animo meo occurrebat: Quid ſi cras in puellam illam incidas quæ tam dextre auro te emunxit, quid illi facturus es. An manum injecturus? nequaquam. An ablatum repetiturus? Multo minus. Quid ergo? an gratiam ejus & amorem iterum captaturus? Minime. Quem ergo in finem (ad id enim me ſtimulabat cupiditas) eam inveſtigabis? Sollertes manus ſeu digitos jam expertus, an voci quoque decipiendum te præbebis? Abeat potius illa. in crucem fruatur rapto. Sed cur iraſcor? An lupo agnus aquam turbavit? Aurum, argentum, uniones, gemmas in Italia à te ſurrepta vix licet validum jumentum poſſit vehere: & tu ob tam paucos numos miſerã illam perditam cupis? cui procul dubio ipſa neceſſitas ſeu inopia quidquid hujus fecit, perſuaſit. Equidem poſtea quotieſcumq; & hoc & alia mecum recordabar, non potui hominum deplorare perverſitatem, tam graviter etiam minimas offenſas ferentium: cum quibus ſi pari jure Deus velit agere, omnibus momentis omni pœnarum genere cruciarentur.

Albeſcente jam cœlo ſomnus demum mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

mihi obrepſit: quem ad ipſam uſque meridiem produxi. A prandio egreſſus, viduam illam video feneſtræ adſtantem & manus lavantem. Optabam miſer, ut illæ ipſæ guttæ quæ de manibus ipſius cadebant, in pectus meum defluerent, ignemque quo ardebam ſi non exſtinguerent, mitigarent ſaltem. Conſiſto in angulo quodam è regione, & amore ebriis oculis Venerem meam contemplor. illa ubi me vidit, dum ancillis gutturnium, pollubrum, mantile reddit, ſubridens neſcio quid loquitur. me ſermonis fuiſſe materiam inde animadverti, quod prolatis extra feneſtras capitibus ancillæ non minus curioſe me contemplabantur. Tanto favore, ut interpretabar, lætus, jam mihi totum hoc negocium confectum putababam. Pallio infra dextram axillam demiſſo & convoluto, pileo ad alteram aurium depreſſo, dextra manu lateri ſeu coxendici appoſita, ſiniſtra gladii tenens capulum, elato pectore, paſſibus velut cribratis, magnifice me infero; nuſquam interim ab amata avertens oculos. Illa velut immota fenſtræ adhærebat, oculis in me pariter defixis. ridebant ancillæ forſan ineptias meas. ego nihilominus conſpectu meo lætari arbitrabar. Obambulabant ibidem non pauci nobiles adole-

Omnia ſperat; omnia tentat Amor.

Hui quantus Thraſo.

le-

leſcentes, amorem viduæ captantes. ſed, me judice, nemo erat ex omnibus cui non aliquid deeſſet, nèmo qui mecum comparari poſſet. quinetiam me unum maxime illi placere firmiter mihi perſuadebam, tanto magis, poſtquam appetente jam nocte digrediens, me potiſſimum reſpicere, adeoque innuere mihi viſa eſt. Reverſum hoſpes ſermonibus ſuis ſeu nugis oblectare ſatagebat; ſed nulla re quam vaniſſimis cogitationibus me oblectans, juſſi ut cenam pararet, quod mihi foris negocium eſſet. Cenatus, exeo ad eundem ubi illam videram locum. O ſtultitiam! Paullo ante videram illam abeuntem, vidi clauſas feneſtras: & tamen adhuc ſtantem ibi & pernoctantem imaginabar. nec prius diſceſſi quam multa jam nocte ſpes ejus viſendæ nulla ſupereſſet. Vix digreſſus; duas video adoleſcentum catervas, ſeorſim incedentes. nihil dubitabam quin idem illi agerent quod ego. decedo paullifper de via, ſic mecum ratiocinans: Tu peregrinus es, illi cives. tu unus, illi multi. non illi eleemoſynæ dandæ gratia huc veniunt. Qui nam ſint, quid rerum hic agant, tu neſcis. Quid facies nunc ſi probe illi te depectant, aut etiam interimant? Cave tibi, Guſmane, cave. Quin tu domum redis, &

Optima cautio.

& ſarcinas tuas cuſtodis. magis id è re tua fuerit. Sic tacitus ad hoſpitium revolans, noctem eam jucunde admodum & bona fide dormivi. Nihil eſt quod amoris affectum magis diſcutiat & abigat quam phantaſmata ejuſmodi ſeu nocturnæ viſiones. Certe hæc una viduæ illius amorem mihi expectoravit. omnium vero tutiſſimum remedium mihi viſum eſt pedum via: eoque ſine ulteriore mora abire inde decrevi.

CAPUT XVIII.

Narrat Guſmanus quid Madriti ſibi acciderit, à femina iterum turpiter deluſo.

MAdritum profecturus, Complutum prius viſere ſtatui. nec ſine cauſſa, frequentiores urbes adeundas mihi cenſebam, ut in magna vel civium vel Studioſorum frequentia tanto melius latere poſſem. Alliciebat quoque ipſius loci amœnitas, quæ tanta eſt ut major vix optari queat. Sane niſi Aulæ deſiderium pedibus meis alas addidiſſet, non facile umquam è tam commodo, tamq; rebus omnibus tam ad corporis quàm ingenii cultum pertinentibus abundanti fueram diſceſſurus. Sed cur ad flu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

vium deſiderem, quum mare uberem promittens piſcatum me ad ſe vocaret? Veni ego Madritum. Quid quæris? Vix quidquam totius loci noram. ita erant mutata omnia. ſed nec me quiſquam. Clam de pharmacopola illo, qui me ſportellario uſus fuerat, inquiro. ſed jam cum ipſo omnis ejus memoria erat ſepulta. Pueri in viros, viri in ſenes evaſerant; ſenes erant mortui. totam totius quoque urbis faciem immutatam mirabar. Diverti apud viduam bene tractandorum hoſpitum valde gnaram. Totum octiduum intra hoſpitium me continui, ſolliciter interim futuram meam vitam diſponens. Sed vicit tandem vanitas. Ad centrum quaſi meum revolutus, conveniens exiſtimabam ut in regia urbe non minus quam alibi me oſtentarem. eoque duas mihi veſtes valde preciosas fieri curo: emo equum, venditis mulis, & alterum inſuper famulum conduco. nam mihi perſuaſeram, ſic me facilius gemmarum, quas mecum attuleram, emtores inventurum. Sic inſtructus & ornatus, non aliter ac Satrapes quidam per urbẽ magnifice me inferebam. Erat hoſpita mea non minus aſtuta quã amabilis: nec quidquam in me bene tractando omittebat. Ventitabant ad eam non paucæ, tum cognatæ tum notæ. Inter

Omnia cum tempore mutantur.

Stipula facile ignem concipit.

ter eas una ſecum aduxerat filiam juvenculam; cuius elegante admodum forma captus, cœpi alludere, & amorem ejus variis modis captare. Sed quum crudam illa, immò crudelem ſeſe oſtenderet, non ignarus, donis (ut ethnici loquuntur) etiam deos flecti, paulatim eam magis propitam mihi & cicurem reddidi. ſed magno amor hic mihi conſtabat: ut quæ jam hoc jam illud petendi nullum finem faceret. id vere tam ſubtiliter, tam ingenioſe faciebat, ac ſi in PICARORUM ſchola mecum fuiſſet educata. Crocotam aliqando à me petierat è panno Damaſceno undulato, ſerico ſubductam, & aureis fimbriis prætextam, quæ vænum proſtabat, à me ſibi emi petierat. Id quum nimium mihi videretur, abnuo; ut qui jam ultra centũ ſcutatos ejus amori impendiſſem, amabam quidem illam; non tamen ita ut ejus cauſſa ad mendicitatem redigi vellem. Repulſam hanc tam filia quam mater indigniſſime tulerunt, idque multis indiciis teſtatæ ſunt: ſed diſſimulanda mihi omnia exiſtimabam, abſtinebant porrò à mea conſuetudine, nec ego illas accerſebam. Tandem cum ipſa mea hoſpita conſilium ineunt, & peſſimam mihi fraudem concinnant. Prandenti forte ſupervenit mihi Viator ſeu lictorum magiſter,

Artes meretriciæ.

giſter. Eum conſpicans, intra me dicebam: Hic, credo, Samſon morietur & omnes qui cum eo ſunt. Ilicet, actum eſt. Guſmano exſequias ite quibus commodum eſt. De menſa exſilio. jubet Viator ut maneam. nihil capitale eſſe ob quod veniret. Totus in ſtuporem verſus, neſciebam fugiendum mihi an manendum eſſet. jam fores, adeoque totam domum à lictoribus obſideri maginabar. Quum ergo nulla ſpes eſſet elabendi, animum quantum poſſum recolligo. quid ſibi vellet rogo. Multo cum riſu ille ſcedulam è ſinu depromit, qua ii Judices qui de cauſſis violatarum virginum cognoſcunt, mandabant manum ut mihi injiceret. Ea perlecta, exclamo: O perjuram, ô ſceleſtiſſimam feminam! mentitur illa ut centum diabolorum millia. Ad Viatorem inde converſus per omnia ſacra juro, quod mihi imputetur, falſitatem eſſe enormiſſimam & falſiſſimum teſtimonium. Subridens ille, Credere ſe, ait, quod ego dicerem. ſibi nihilominus mandatum exſequendum. ſumpto ergo pallio, ſecum irem, ni duci mallem. Hic ego vere lupum auribus tenebam: immò ad incitas me videbam redactum. Quid enim? an ſarcinas meas tam precioſas in tali hoſpitio, in quo hoc ipſum quo implicitus

tene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tenebar rete mihi tenſum fuit, relinquerem? ſed nec novitiis famulis multum fidere, nec illi me juvare poterant; locorum hominumque ignari. Quod unum reſtabat, ſevoco Viatorem. per Deum obteſtor ne me meamque ſalutem iret perditum: & monſtratis ſarcinis, Hæ ſolæ, inquam, mali mihi hujus ſunt cauſſæ. his à peſſimis inſidiæ ſtruuntur. nec dubito ego quin abſente me omnia in illarum prædatrices manus itura ſint. Erat Viator ille homo non malus, modeſtus & mitis: & injuriam mihi fieri non neſciebat, ut cui adverſæ partis ingenia & artes jam dudum erant explorata. Jubet ut bono ſim animo. facturum ſe mei cauſſa quidquid poſſet. Relictis apud me cuſtodiæ cauſſa lictoribus, partem adverſam, quæ unà cum illo venerat, & in hoſpitæ erat cubiculo, adit. quid ego peterem, quid ipſe vellet oſtendit: ut nimirum lis hæc amice potius componeretur quam coram tribunali diſcuteretur. Quum ſæpius ultro citroque comeans, illis nimium petentibus, nihil efficere poſſet, interminatus niſi æquiores ſeſe præberent, nequitiam omnem ſe detecturum, & coram ipſis judicibus jusjurandum de innocentia mea daturum. Quid facerent? Litem male cæptam, multo *Rari tales.*

pejus fundatam animadvertentes, ad ipſum Viatorem arbitrium deferunt: quem nec ego refutare audebam. Sic ille paciſcitur, ut duobus Regalium millibus hanc ego vexam redimerem. Multo plus forte illæ ſperârant: ſed quia nihil ſibi deberi ſciebant, âcquieſcendum ſibi putabant. Solutis numis, cum Viatore Commentarienſem accedo, petens ut captura deleretur, & annullaretur querela. Ducentis circirer ſcutatis tota hæc lis mihi conſtitit. Jam omnis hora annus mihi videbatur, dum inviſo mihi liceret exire hoſpitio, nec pedem poſtea intuli, niſi dum ſarcinas meas exportari curo. ex eo tempore rebus meis conſultiſſimum fore duxi, ſi proprias mihi ædes conducerem. Cui fini indies ſupellectilium aliquid coëmere mihi ſatagebam. Poſſem multa dicere de uſitatis inter impudicas feminas impoſturis, quæ viator ille mihi, narravit. Sed manum abſtineo, ne dum fraudes unius prodo, alterius diſpaleſcat iniquitas.

C A-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT XIX.

Guſmanus ædificatâ ſibi domo, uxorem ducit.

VIx paucos dies in altero moratus hoſpitio, propriam mihi conduxi domunculam, eam quoque maximè ob cauſſam, ut ſine arbitris res meas mihi liceret agere. Primò omnium recenſitis quaſi, quæ Genua atque aliunde mecum adſportarem, cimeliis, collare ingentis precii (tribus ducatorum millibus à me æſtimatum) quod patruus nuptiali illo meo die utendum mihi miſerat, reſcindo, gemmas, margaritas, aurum, ſeorſim quidque pono. idem facio in cingulo, aliiſque tam ornamentis quam veſtibus, ex quibus verebar malæ aliquid ſuſpicionis in me poſſe redundare. Aurum vero omne (eram namque artis hujus aliquo modo peritus) in virgulas conflavi: non ſine damno quidem (in pleriſque enim ars cum materiæ precio certabat) ſed cavendum mihi erat ne raris illis artificiis meæ artes proderentur. Inde pro gemmarum mangone me ferens è meis illis gemmis, margaritis, auro, monilia, inaures, torques, armillas, ſpinteres idque genus *Malitia provida.*

alia tam muliebria quam virilia ornamenta concinnari mihi curabam. quæ vendere non poteram, aliis, præſertim novis nuptis, feneri commodabam: ſicque bono & honeſto titulo quod alienum erat, meum faciebam. Quid multa? ſi maxime uberem & quæſtuoſam exercuiſſem mercaturam, non tantum lucri, certe non tam certi feciſſem. Fides mihi non deerat, quia pecunia non deerat. ſed uſuram tuto, quam mercaturam cum periculo facere malebam.

Non procul ab ea in qua habitabam domo ſolum vænale erat, in quo nova exſtruerentur ædificia. Emo tantū quantum uni domui ædificandæ ſatis erat. Ædes conſtruo, & brevi tempore abſolvo; non tam ſpacioſas quam ad uſum meum accommodatas. Inde plurimorum in me converſi oculi: tanto magis, quod non luxum quidem, ſplendorem tamen & domi & foris præ me ferrem. Hinc inductus quidam è daniſtarum genere, cui jam antea ſimili mangonio notus eram, id unice agebat ut filiam ſuam in matrimonium mihi traderet. Sed quid? Annon ſtulti qui ignotis chraiſſima ſua tradunt pignera? Sapienter monet neſcio quis, ut ſi filiam nuptui elocare velis, vicini eam eloces filio, cujus genus, vita, mores jam ante pro-

proculdubio perſpecti tibi ſunt. Quid enim ſi extero? fieri poteſt ut hodie ille in domo tua ſit, cras ad furcam ducatur, ob perpetrata alibi mala facinora. Accipio conditionem, tanto magis quod filia juvencula, tum formæ & morum venuſtate non inamabills. Pro dote aſſignata mihi tria ſcutatorum millia. Quia enim ſocer meus rerum humanarum valde erat peritus, generum quærebat non tam qui pecuniam haberet, quam qui pecunia recte ſciret uti. Quid ego tibi aſtutiam ejus commemorem? Ter ad minimum bonis ceſſiſſe, magnaſque inde confeciſſe opes, ipſe mihi poſtea faſſus eſt. Quin etiamſi quid tale mihi accideret, jam tum ſibi & mihi proſpiciendum putavit. Duas enim tabulas confici curavit: quarum una ego quater mille ducatorum debitorem ipſe me faciebam; altera ipſe debitum ſolutum ſibi fatebatur. Alias quoque addidit: quarum una frater ipſius profitebatur ſe mihi annuum proventum quinquies centenûm ducatorum vendidiſſe. Et ne perfide omnino ageret Notarius, numi ab amico eum in uſum commodati, numerati fuerunt. Ego econtra aliis tabulis (Reverſales hodie vocant) contractum hunc, utpote fictum, fraudi ipſi non fore cavi, hoc quidem,

 dem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dem, ut tanto plus fidei mihi in foro eſſet. Quum ſic aliquamdiu negotiatus eſſem, interea vero incredibilem vim pecuniæ per luxum prodegiſſem, ac paullatim rebus meis dilapſis, vel potius à me dilapidatis, graviſſimo ære alieno obſtrictus, nec ſolvendo eſſem: advolant catervatim creditores, alter alterum prævenire ſtudet. Sed jam ſocer quatuor illa ducatorum millia, quæ deberi ſibi mentiebatur, aliis prærepta in tuto collocârat, nec minus fruſtra erant qui proventui illi annuo manus injicẽre conabantur, quos Judicis opimo bolo correpti favore fretus, ſoceri mei frater nullo negocio refutabat. Me quidem in vincula duci nonnulli creditores juſſerant: ſed quum ſumtuoſam admodum litem paratam ſibi animadverterent, plerique ita mecum pacti ſunt ut trientem debitorum, & quidem toto decennio ſolverem, nonnulli etiam, impenſarum tædio, & quod ſocer meus ſpecioſis valde titulis quidquid haberem ſuum eſſe contenderet, ab omni actione deſiſtebant; ita ut poſt ſeptimanas aliquot carcere fuerim liberatus.

Quid quæris? tanti fuit & carceris moleſtias, & ignominiam (ſi modo ignominia eſt. certe apud multos non putatur) ſubire. Manſerunt intra ungues

meos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

meos multæ pauperum facultates ſeu pecuniæ, quas illi fidei meæ crediderant, nec tamen fur aut latro audiebam. Tunc ego primum in hæc Mercurialis templi adyta à ſocero introductus, multa myſteria didici: ſed unum hoc in primis, quam damnoſæ & periculoſæ ſint tabulæ illæ quas Contraſcripturas vulgò appellant, quæ faciunt ut quantum quiſque in bonis habeat, nemo ſcire poſſit. Sed quis illarum finis? inquis. Sic puto. Homines pauperculi, ubi animum ad Mercurialia applicuerint negocia, ſcientes veriſſimum eſſe quod Poëta dicit, *Nonnullorum bonis cedentium malitia.*

Quantum quiſque ſua numorum poſſidet arca,

Tantum habet & fidei:

cognatos, amicos, fidos ſibi homines rogant, ut dent, faciant, vendant, renuncient, conſignent aliquid ſibi in manus tamquam proprium, quo magnarum divitiarum opinionem, & inde fidem ſibi inter negociatores concilient: interim iis quas dixi tabulis, iiſdem de indemnitate cavent. hinc, ſi caute procedant, facile inveniunt alios, qui magnas, majores & maximas ipſis ſummas credant. ſi res bene cedat, eſt quod illis gratias agant à quibus primum illud, licet fictum tantum, acceperant benefi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

cium: ſi male, adſunt iidem, & eventus multo ante conſcii, è bonis decocturientis quidquid poſſunt, primi ſibi vindicant, deinde inter ſe partiuntur. Nonnulli quando ſolvere nolunt (nolunt, inquam. de iis qui nequeunt jam taceo) quod debent, aliquanto ante quam ſolutionis appetat terminus, res rationeſque ſuas vendunt, aut ſub alio prætextu tradunt in manus alterius, interveniente maledicta ejuſmodi contraſcriptura. evenit poſtea, ut ante ſolutionis diem debitor, à quo cautela, moriatur, verus interim creditor ſuum recuperare nequeat, dum ille qui ficti crediti larvam alteri induxit, Contraſcripturam occultat, ſicque totum illud ſibi ſervat. Alii ut opimè dotatas uxores nanciſcantur, undique quidquid poſſunt mutuo ſumunt, proque ſuis oſtentant. & facile quidem inveniunt qui mutuum præſtent: poſt nuptias vero, non ſumtibus modo domeſticis, ſed uſuris etiam creſcentibus, iidem quod ſuum eſt repetunt, ſicque illum velut Æſopicum graculum quaſi implumem relinquunt. Sed miſeri illi, quem damnoſius deceperunt quam ſeipſos? Hac enim fraude intellecta quem animum putas novæ nuptæ fore? Pauciſſimæ certe ſunt quæ dotem ſuam mariti exſolvendis debitis im-

impendi patiuntur. & nec jurgia tantum hinc & contentiones perpetuæ, ſed divortia quoque naſcuntur. Quibus omnibus incommodis occurri poſſet, ſi tabulæ ejuſmodi ſeu contraſcripturæ publica lege abrogarentur, & tam præſentes quam futuræ irritæ eſſe juberentur.

CAPUT XX.

Narrat porro Guſmanus quæ ſibi marito evenerint: deq; malis mulieribus pauca diſſerit.

SEd eho! numquid deſipio qui tam intricato labyrintho pedem inferam, cujus ſtrophas & amfractus quaſi per tranſennam tum primum cœpi inſpicere? Quanto melius feciſſem, ſi jucundam aliquam fabulam tibi narraſſem? Credo equidem hanc tibi magis placituram fuiſſe. ſed non tam jucunda quam utilia perſequenda ſunt. noſſe autem ejuſmodi ſtratagemata in primis ad vitam conducibile puto. Ad rem. Carcere liberatus, ad inſtar ranæ illius Æſopicæ mirum in modum me inflavi, ac fere majores quam antea ſpiritus geſſi: quamvis curtæ mihi ſupellectilis optime conſcius reliqui aliquid mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

factum fuerat: ſed multo minus illud erat quam voluiſſem, & quam mihi eſſet neceſſarium. Ad magnum onus ferendum magnæ vires requiruntur. Qui arenæ præaltas turres inædificant, tandem cum ipſa ſtructura corruunt. Hei quam multis opus eſt iis qui matrimonio nomen dant! Quanti ſumtus in ipſas nuptias faciendi! Videas nonnullos hoc uno ita rationes ſuas conturbare, ut ſortem omnium ſuarum facultatum in periculum conjiciant; & non diu poſt inopia circumveniantur. Qui emit quo opus non habet, vendere poſtea cogitur quo opus habet. Quid proſunt homini mercaturam facienti tot tantaque cimelia ciſtis incluſa, quæ nec ipſe, nec uxor, nec liberi, ſine rubore in publico geſtare poſſint vel auſint? Erat uxor mea delicate admodum à parentibus educata; eas vero artes quæ matrifamilias neceſſariæ ſunt, parum edocta, ſomnum in multum uſque diem producebat. Inde è lecto prorepens ad ſpeculum ſe comebat, expoliebat, nec meis tantum, ſed aliorum quoque oculis ſeſe ornabat: rei domeſticæ cura interim ancillis permiſſa. quod reliquum erat temporis, comeſſationibus, vicinorum viſitationibus & infinitis aliis nugis conſumebatur, Ego nihilo minus quam

quam illa bonus eram ſocius, ſed malus paterfamilias. Monſtratis à ſocero artibus multum lucri faciebam; quod tamen omne domi ab uxore, foris à me non minus turpiter quam acquiſitum fuerat, profundebatur. O ſtultitiam, immò inſaniam humani ingenii! Mille artes, mille modos comminiſcebar quibus alienam pecuniam ad me pertraherem; pertractam tam nequiter perdebam, immo meipſum. Nam ſi illi qui magnas eaſque legitimis etiam modis acquiſitas poſſident divitias, iis tamen non ad ſublevandas pauperum neceſſitates, non ad charitatem proximi (quæ ſola utramque divinorum præceptorum implet paginam) ſed ad luxum aut Mundi vanitates abutuntur, graviſſimas Deo olim rationes reddent, adeoque pœnas dabunt: quid illis futurum putas, qui nequiter parta multo nequius dilapidant? Quanto cum animæ periculo accumulentur divitiæ, pauci ſentiunt, ac fere non niſi in agone mortis. iidem tamen ſi verum fateri velint, quanto plus opum tanto plus curarum, laborum, anxietatum paratum ſibi fatebuntur.

Male parta male dilabuntur.

Sed audi, quod ego olim è concionatore quodam audivi. Ajebat picturam ſibi viſam: in qua dives quidam epulo, menſæ exquiſitiſſimo apparatu inſtru-

Nimis ſcita pictura.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ctæ aſſidens depictus erat, aſſidente ad dextiam Thraſone, ad ſiniſtram Sannione. infra hos ruſticus aratrum tenens. Prope hunc Mercator plenam oſtentas crumenam. inde ſequebantur Advocatus, Confeſſarius, Medicus, denique Sathanas cum catena è linguis hominum velut conſerta. Diviti illi epuloni adſcriptum erat: *Hos duos ego ſuſtento.* Ruſtico: *Tres iſtos ego alo.* Mercatori: *Quatuor iſtos ego deprædor.* Advocato: *Quinque iſtos ego deplumo.* Confeſſario: *Sex iſtos ego abſolvo.* Medico: *Septem iſtos ego occido.* Sathanæ: *Octo iſtos ego concatenatos mecum in infernum traho.* Nihil hoc ad bonos. ad malos tantum. Tu ſi inter illos, ne ringere, ſed ride.

Ais, an ergo divitiæ malæ ſunt? nequaquam. ſed nec bonæ. qui divitias habet, dives tantum dici poteſt: nec ulla propter eas laude dignus eſt, niſi iis recte utatur. Sed quid ego vel pueris ridendum me propino? Hodie enim

Quiſquis habet numos, ſecura naviget aura:
Fortunamque ſuo temperet arbitrio:
Vxorem ducat Danaen; ipſumque licebit
Acriſium jubeat credere quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat cauſſas, ſitque Catone piror.

Iuri-

Iuriconſultus PARET, NON PARET *habetor,*
Atque eſto quidquid Servius & Labeo.
Multa loquor. quidvis numis præſentibus opta,
Et veniet. Clauſam poſſidet arca Iovem.

His moribus hodie vivi; hæc præcepta inculcari, ſcio:

O cives, cives! quærenda pecunia primum:
Virtus poſt numos.

Sed fremant, frendant licet quantum velint numati illi Polyplusii: numquam efficient, niſi virtute inſuper ornati ſint, ut vel hilo meliores habeantur. Inſtrumenta virtutum eſſe opes poſſunt; virtutes eſſe non poſſunt: nec ſollicite nimis quærendæ, nec ſtulte abjiciendæ. Non inepte quidam rogatus quam dives eſſet, Nihil ſe debere reſpondit. O ter miſeros illos qui in Daniſtarum manus incidunt! nulla gangræna tam cito, tam crudeliter corporis membra depaſcitur, ut uſuræ opes quantaſcumque. Magnum vectigal eſt parſimonia: quæ ſera nimis infundo.

Fui ego non ita pridem dives. tam cito pauperem me factum ipſe mirabar. Sed vitam meam replicanti facile totius mali fons & origo apparuit. Futuras meas actiones animo ordinabam ſem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

per, re ipſa numquam. Procraſtinabam omnia. mihi fidebam: ſic cogitans, poſſe me alios mendacio decipere, non meipſum. Ah quantus error eſt ſui confidentia! etiam Dei obliviſcuntur tales. hinc non fortunarum modo, ſed & animæ jactura. neminem ego capitaliorem habui hoſtem quam meipſum. Meo jumento, quod dici ſolet, omnia mala mihi advexi. Ulciſcebantur ſeipſa mea flagtitia. Nimirum quibus rebus Deum offendimus, iiſdem à Deo punimur. Non quidem illud me valde animi angebat quod omnibus divitiis everſum me viderem, quas ſciebam cum Fortuna venire cum eadem abire: ſed hoc cor meum macerabat, quod unde ſolatium petere debebam, inde maximæ mihi moleſtiæ & cruciatus exhibebantur: ab illa, inquam; quæ me opibus florentem tanto ambitu maritum conciliârat. hæc eadem jam non contemnebat me modo, ſed etiam perſequebatur, non aliam ob cauſſam quam quod pauper eram. quinetiam publice tamquam adulterum traducebat, aliorumque facinorum accuſabat, divortium quærens. nec deerant è Legulejis qui cauſſæ ipſius patrocinarentur, allegatis neſcio quibus legibus & paragraphis. O dolorem vere crudelem! Ut enim matrimonium ſemel contra-

Nihil gravius malæ mulieris converſatione.

ctum

ctum inſolubile; ita male contractum, intolerabile eſt. Ad inſtar ruinoſæ domus eſt mala mulier undique perpluentis:& quanto diligentior fuit & prudentior in adminiſtranda re familiari, tanto magis obbruteſcit ubi à virtute diſceſſerit. Ad comminiſcendum è veſtigio mendacium quid femina ſollertius? Dici ſolet, Deum eſſe aut beſtiam qui vitam vivit ſolitariam: ego vero jurare auſim nullam ſolitudinem tam tædioſam tam moleſtam eſſe quam malæ mulieris contubernium: quo qui uti cogitur, næ ille cum beſtiis vivere malit. Quum uxorem ducerem; dives eram; uxoratus, pauper. nuptialis ille dies meus lætus fuit amicis; at reliqui omnes in conjugio exacti mihi triſtes & acerbi. Abſumtis repotiis, illi domum quiſque ſuam iverunt, me domi meæ mediis in miſeriis, quæ non multo poſt ſequutæ ſunt, relicto. Erat uxor mea non tam liberalis quam prodiga. ego ad ſufficiendos ſumtus, numquam inanis domum redire audebam: unde non pauci mihi commiſſi errores. ubi vero omnis ille commeatus intercluſus fuit, tantum non inſaniebat. quum nihil amplius eſſet unde vitam ſuſtentaremus, ſupellectilia vendere cœpimus, quod illa non ferens ſic à mea conſuetudine abhorruit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ut adſpicere me non ſuſtineret, non meæ blanditiæ, non patris monita, non cognatorum exhortationes in gratiam illius me poterant reducere. Pacem illa in noſtra diſcordia, & ſuam quietem in mea inveniebat inquietudine. non ad communem menſam, non ad communem lectum veniebat. Quid multa? ſic mecum vivebat ut viventem ac videntem excarnificaret. Sunt, credo, feminæ quædam quæ animi tantum cauſſa, & vanæ cupiditatis explendæ nubunt deſiderio; putantes forte idem eſſe matrimonium contrahere & domum conducere: quæ ſi commoda rebus tuis ſit, bene ſit: ſin minus, facile adhiberi poſſit remedium. quodnam illud? divortium. cui impetrando qualiſcumque occaſio & duo falſa teſtimonia ſatis futura ſint. Quod ſi mulier formoſa ſit & venuſta. Sed, ohe! nihil addo.

Divortia periculoſa, Illud tantum Advocatos, Judices monendos cenſeo, ut ejuſmodi in cauſſis oculos aperiant & caute procedant. Qui enim ſanctum hoc vinculum ſolvunt, quid aliud faciunt quam quod diabolo feneſtram aperiunt, & mariti honorem, nuptæ animam, & utriuſque fortunas perditum eunt? Sed viderint illi. quid ad me? Equidem illud bona fide affirmo, nullam à me his diſſidiis, his rixis, huic divor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

divortio cauſſam datam: niſi ſufficiens cauſſa ſit, pauperem eſſe, quamquam meam ego paupertatem ipſi huic meæ ſuperbæ uxori debebam. Sed quando recte cogito, Deus, Deus erat, qui tot tantaque mea delicta gravi quidem, illis tamen impari pœna coërcebat. Vulgatum eſt proverbium, Marito duos lætos eſſe dies. unum quo uxorem domum deducat: alterum, quo ad ſepulcrum domo efferat. pejus illud quod etiam vivi uxoribus mortui ſunt: quos ſi poſt nuptias roges, quomodo ſe habeat, quomodo gerat maritus, obturato naſo dicent, *Quatriduanus eſt. fetet*. Ah peſſimæ! Cur lapidem quem vivo impoſuiſtis, non devolvitis. Cur miſerum vaniſſimarum veſtrarum cogitationum & deſideriorum linteis inſutum non ſolvitis? Siccine qui impoſitas fert clitellas tacet & onus vehit; qui impoſuit, miſerum inclamat & ſtimulis fodicat? Non illud in memoriam revocatis, quam multis modis, quam anxie ejus quem nunc tamquam cadaver abhorretis, amorem exambieritis? Sed ſtultus ego qui rationibus vobiſcum velim agere. Bacchæ bacchanti ſi velis adverſari, ex inſana inſaniorem facies. Veſtras res vobis habete, & Valete.

O faſtidioſæ.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT XXI.

Uxore mortua, Guſmanus Complutum proficiſcitur, litteris operam daturus.

Grave pondus uxor.

AIunt, neſcio quem in periculoſa admodum maris tempeſtate deprehenſum, jubente nauclero ut exonerandæ navi vectorum quiſque quod graviſſimum haberet, in mare projiceret, uxorem comitem arreptam præcipitaſſe, pulcherrimo dato jurejurando, nihil ſe gravius, nihil oneroſius inter omnes ſuas ſarcinas habuiſſe. Melior mea fuit fortuna, ut cui mors illam perpetuam crucem domeſticam ſubtraxit. Credo equidem ideo illam mortuam, quod vivere non poſſet ut volebat. Quidquid hujus fecit, ſane me non invito fecit. Eâ ſepultâ, dos ad patrem rediit.unde totus quaſi nudus ego reſtabam. nam etſi viva uxore ne digitulo quidem dotem attingere auderem; erat tamen aliquod quaſi paupertatis noſtræ velum. Vetus eſt, à ſtulto uno ſaxum levi motu impulſum è monte deturbari poſſe, quod poſtea ab omnibus ſapientibus eôdem reportari nequeat. Meam certe rem omnem una muliercula ita conturbaverat, ut ei reſtaurandæ novis

vis mihi cognatis, novis patruis, altera Genua, altero Mediolano, altero denique Sajavedra opus eſſet. Quanto tardius bona temporalia adveniunt, tanto celerius abeunt. cum tempore colliguntur; ex tempore diſperguntur. Viciſſitudini omnia ſunt obnoxia. non ſecurus ſit dives? nec deſperet pauper. Tam ad ſumma quam ad ima Fortunæ rota vertitur. Vidi ego uxoris meæ luxu omnem meam domum brevi exhauſtam: potuiſſet tamen illa poſt mortem ſuam meis rationibus aliquo modo conſulere, ſi partem aliquam dotis mihi legaſſet. Sed tam hic quam aliis in rebus non illa ſolum ſed ipſa quoque Fortuna male mihi volebat. in ſolis furtis & meleficiis infeliciter felix eram. Et hæc quidem diaboli eſt malitia. Favet faventibus, & facilem viam ad peccata ſternit: ſed ad ſummum productos præcipitat. Longe aliter Deus nobiſcum agit, nullum malum immittens cui non boni aliquid conjunctum ſit. Per anguſtos & ſalebroſos tramites nos ducit ad latiſſimum lætiſſimumque gloriæ & veræ lætitiæ campum. Calamitatibus circumventi, à Deo nos deſertos arbitramur. Abſiſtit quidem ille aliquantulum, nuſpiam à nobis diſcedit; tamquam pater filiolum nondum fir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

mis pedibus gradi ſinens : ubi lapſabundum viderit, mox in auxilium accurſurus. Memini Madriti puerum me vidiſſe, ſupra ætatem ſapientem. Educabatur hic non quidem à matre ſua, ſed à nobili femina, quæ fere pluſquam materno amore puerum complectebatur. Natus erat Granatæ, ubi uvularum quoddam genus eſt quod Corinthium appellant, *Iavies* vulgo, quibus ille eſitandis erat aſſuefactus. Eas quum ſæpe fruſtra popoſciſſet, matrona vero nullas eſſe reſpondiſſet; alias videns, non tam delicatas illas quidem, ſapidas tamen, Ergo, ait, mea mater, da mihi de majuſculis illis. nam & hæc eſito. Idem mihi accidit. Delicate hactenus vixi. nunc quidvis palato meo boni conſulendum erat. Sed illud optimum erat, quod jam omnibus aſſuefactus eſſem. O quam bonum condimentum eſt fames! Apage iſtos homines, qui ubi quid palato, non dico ventriculo (hujus enim pluris inter eſt) minus gratum comederint, ægreſcunt ſtatim & Medicorum pharmacopolarumque auxilia accerſunt: nihil tale mihi accidit. ventriculo meo nihil male faciebat niſi quod in eum non deſcenderat. Quam multos ego vidi, dum opibus florent ad omnem fere cibum nauſeantes, eoſdem acciſis opi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

opibus, tantum non glandibus & ſiliquis jucundè veſcentes! Nimirum uſus facit artem, ajebat neſcio quis, terebro bovem excorians. Quum non eſſet unde viverem, (pleraque enim ſupellectilia vivente uxore erant vendita, & dos ad ſocerum redierat) ædes meis ſumtibus ædificatas vendere conſtitui, earumque precium litterarum ſtudiis impendere: tanto magis quod jam olim principiis imbutus, mihi licet transfugæ, ſemper tamen per ocium ad Muſarum caſtra reſpicienti, facilem velut poſtliminiarem receptum pollicebar. Et ita quidem rationes inieram, ut niſi exorbitarem, ædium precium in multorum annorum mihi ſumtus ſufficeret. Emtore invento, adeo magiſtratum, tabulas fieri peto. Sed ô Deus bone, quæ ibi tricæ! Jam ſoli à quo emeram dominus litem mihi movebat: ajens, è reſervato ſibi annuo reditu mille & quingentos deberi Regales. Abſurdum id mihi & ab omni ratione & juſtitia alienum videbatur. Sed quid facerem? Quum irritum fieri nollem contractum, & neceſſitatibus meis neceſſarium eſſet remedium, ſolvi quod popoſcerat, ſolemni tamen (cum mendicitate ejuſdem privilegii) Proteſtationis interpoſita formula. Confectis quos poteram numis,

Iniquitas in contractibus.

mis, virum adeo Religioſum, eique animi mei mentem aperio. unde ille captata occaſione, hæc præcepta mihi tradidit.

Mi fili, ex propria confeſſione longe à vero & recto te deviare facile intelligo. *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ.* Verba hæc ſunt Sapientis, qui idem his verbis floridæ ætatis homines monet: *Lætare adoleſcens in juventute tua, & ſcito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Et certe non fæx, ſed flos ætatis Deo debetur. Ecquid enim? Quis eſt cui exploratum ſit ſe ad veſperam uſque victurum? *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur quæ non revertuntur.* Quidquid ſuper terram, in terra & ſubtus terram eſt, mortis ſunt inſtrumenta: quæ quandocumque venerit, coram illo te ſiſtet tribunali à quo non datur provocatio. *Memorare noviſſima, & in æternum non peccabis.* Inprimis illud vide, ne ad quævis habili tuo abutaris ingenio, ſed quantum quantum eſt, bonarum litterarum applices ſtudiis. Ocium fuge, pulvinar Sathanæ. Bonis te adjunge: & bonus cenſeberis. Vitato quibus nigra eſt cauda. Tempus omnibus rebus precioſius, & male impenſum puta quod litteris aut virtuti non impenditur, &c.

Hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Hæc aliaque multa (quorum, ut verum fateor ſtatim digreſſum me cepit oblivio) inculcanti, promitto frugi me futurum, omniaque diligenter obſervaturum. Socerum quoque odii: ſed ille nullis niſi quæ ad rem faciendam ſpectarent præceptis me inſtruxit. Quum tamen collybo ſeu cambio opus mihi eſſe intelligeret, ita mecum egit ac ſi omnium mearum fortunarum reliquiis me evertere, eaſque ad ſe derivare ſtatuiſſet. *Non mutat pellem Æthiops.*

CAPUT XXII.

Quæ ſibi Compluti acciderint narat Guſmanus.

COmplutum quum veniſſem, etſi rei familiaris adminiſtrandæ jam eſſem peritus, non ignarus tamen quantum tædii, ac ſæpe damni, domeſticæ adferrent curæ: certo precio menſam mihi apud Magiſtrum quemdam plures alentem Studioſos, deſtinavi: ex eo inquam, hominum genere, quibus in menſæ aſſidentibus capite, cibos ſpurcis digitis & unguibus truncatos inter commenſales diſtribuere mos & jus eſt. O quæ ego tum vidi! quæ paſſus ſum!

Carnes illæ tamquam glomum è patina ſuis ſtruthiocameli quam hominis ſimi- *Studioſorum vita.*

ſimilioribus unguibus extrahebat, placentas tamquam vitulinum extendebat corium. quid ego de juſculis dicam? in quorum fundo non minus quam in limpidiſſima aqua vel teruncium vidiſſes. nullum certe ex Argi erat genere. Piſa, ciceres, lentes ſi quando cocta apponebantur, tenere riſum non poteram, quum veniret in mentem Virgilianum illud,

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

E maturis arborum fructibus quaterna apponebantur ceraſa, pruna bina vel trina, binæ ficus. Uvæ in minutas valde partes ſecabantur, ut ſingulæ vix ſenos haberent acinos. Jam caſeus in tam tenuas dividebatur laminas, ut aranearum telis viderentur ſimiles. Ne vero exiſtima, omnia illa ſingulis prandiis aut cenis apponi ſolita, non, non, inquam: ſed ex his omnibus unum tantum apponebatur. In hoc vero bonus ille Magiſter dicebat nihil aliud à ſe ſpectari quam valetudinem noſtram: quæ merito ſibi curæ eſſe deberet. nemo tamen ex nobis erat qui non omnibus votis talem Æſculapium ad inferos amandaret, ut cenam ibi mortuis coqueret. Alio tempore medius apponebatur cucumis: aut tenuia melonis alicujus ſegmenta. Potuiſſes hic dicere: *Modicum*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſed non bonum. Quid ego de Quadrageſima dicam, aut aliis eſurialibus diebus? Jure ſane eſuriales appellare poteramus; quibus etſi aliàs quoque, tum tamen præcipue eſuriendum erat. Atque utinam potus ſaltim bonus fuiſſet, vinum non vinum erat, ſed vappa, immò lorum. Tanta vero celeritate tam prandia quam cenæ peragebantur, ut Judæi numquam majori ſuum paſcha manducârint. Vix Magiſter *Oculi omnium* oraverat, ecce ſtatim *Gratias agimus* intonat. Memini quemdam commenſalium quum ſerius aliquanto ad prandium veniſſet, & interim dum veſtes deponit (æſtas enim erat) Magiſtrum audiret verba gratiarum actionis præeuntem, manu menſam pulſans, Agant, inquit, gratias quibus commodum eſt: mihi nondum commodum eſt. neque enim adhuc ſcio pro qua re gratias agere debeam. Allegabat ille ex M. Aurelii (credo ego, Antonii Guevaræ) neſcio quibus libris, rudes & agreſtes homines rationes cum debitoribus & creditoribus, non cum ſtomacho ſeu ventre ponere. Solos ſapientes à multo abhorrere cibo: ut tanto alacriores ſint ad ſtudia. Pinguedinem porcis convenire & equis, maciem hominibus: qui quanto obeſiores ſint corpore, tanto hebetiores ſint intellectu. nec ad cor-

Mira abſtinentiæ in victu perſuaſio.

poris exercitia prodeſſe, ſed obeſſe potius obeſitatem, &c. vulgari denique illo dicto omnem ſuam diſputationem claudebat; *Plenus venter non ſtudet libenter.* Aſſentiebar ego talia diſſerenti, ne ille mihi negaret quod multo eſt verius, Exiguum ſcilicet & malum cibum morborum eſſe ſeminarium. O quam moleſtus interpellator eſt venter famelicus! quem fruſtra verbis coneris paſcere. caret auribus. Tam in hac quam omnibus aliis rebus medium tenent beati. Ex præcepto Ciceroniani Catonis, Tantum cibi & potionis adhibendum ut recreentur vires, non opprimantur. Noveram ego contuberniorum illorum mores. ſed & illud cogitanti, quid dicturi ſint homines ſi me videant hirco barbatiorem & tam magnum aſinum puerorum gregi immiſtũ. ſatius videbatur, proprium conducere cubiculum, & mea quadra vivere. ſed & mox hoc quoque diſplicebat conſilium, verenti ne hæc ipſa libertas ad priora relabendi flagitia occaſionem ſuppeditaret. Dedi ergo me in tale contubernium, in quo ceteris omnibus curis liber, ſolis litteris totus vacare poſſem: tanto minori cum verecundia, quod nonnulli in eo eſſent ætate mihi non valde impares: magni parvis, ut piſis viciæ, permiſti. Ne vero fame mihi pereundum eſſet, communis

nis menſæ defectum privato ſupplebam penu, ipſo quoque Magiſtro non invito: qui quotieſcumq; à nobis ad convivandum averſeretur, poſito Magiſtrali ſupercilio, cibum noſtrum non aſpernabatur.

Jam totam fere encyclopædiam abſolveram, tam jucundam interim vitam degens, ut peream ſi umquam jucundius me vixiſſe meminerim. Ubi, quæſo, major eſt libertas? ubi major quies? ubi tam honeſtæ voluptates, tamque utilia animi ac corporis exercitia, tam laudabiles recreationes? ubi tam amicæ concertationes? ubi diſputationes tam acutæ? Sed ehei! quam multi & patrimoniis & ipſo tempore, cujus jactura eſt irreparabilis, ad res malas abutuntur! Hinc quidam non tam libris quam liberis dant operam: non tam Apollinē & Muſas, quam Bacchum, Cererem & Venerem colunt. Sed quæ alii faciant narrare mihi nec animus eſt nec ocium. quid mihi acciderit dicam. *Studiorum errores.*

Quum die quodam ſudo ac ſereno admodum cœlo invitante, animi cauſſa deambulatum prodiiſſem, forte video lepidiſſimam tam feminarum quam puellarum turbam ad ripam fluvii ſub pandæ cujuſdam arboris umbra recubantium, & explicato quem ſecum attulerant penu, genio indulgentium. erat verò vidua, tribus comitata filiabus, quarū major natu *Occaſio facit furem.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Gratia vocabatur; quibus aliæ aliquot puellæ ſeſe adjunxerant, venuſtæ omnes: inter quas tamen Gratia illa tamquam ſol inter ſtellas elucere mihi videbatur. accedo pudenter admodum. invitor ab omnibus humaniſſime, ut qui per totam civitatem tam doctrinæ quam divitiarum opinione, notus eſſem; ac licet aliquantum tergiverſarer, expugnari tandem me patior, & ipſi illi Gratiæ adſideo.

Vt vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Formoſæ deſcriptio. Quid formam ejus commendem? Frons nec lata nec tenuis, oculi nigerrimi, & fixiori obtutu natantes quaſi & liqueſcentes, crines ſumma ſui parte aureoli, ſed infra ad ſuperciliorum accedentes colorem. facies exquiſiti candoris: è quo rubor virginalis ille genarum pictor tenuiter elucebat. os anguſtum: quod rubente utrimque labellorum purpura diſtinctum, dentium candor quoque plurimum commendabat. totum corpuſculum veſcum, ſolidum & ſucci plenum. Papillæ modico orbe cohibitæ, inſtar marmoris conſiſtentes: quas ſororiantes tenui carbaſo illa leviter obduxerat. Quid multa? Veneris myrothecium, & leporum atque elegantiarum omnium meram dixiſſes effigiem. Procedente convivio, fides illa ſumit, vocemque ſimul explicat, tam ſcite, tam ſuaviter, ut ipſas feras,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

immò arbores quoque & ſaxa, quod de Orpheo dicunt, movere poſſet atque illicere. Me quidem illa ita rapuit, ut totus quaſi extra me eſſem poſitus, ac licet non ſemel alloqui eam mihi eſſet animus, in ipſis tamen labiis Amor mihi verba velut ſuffurabatur. Nocte appetente, conſurgimus. & ego quidem Gratiam mea manu amplexus, ad matris domum deduco. Ubi illa affectum meum ſimul & pudorem animadvertit, de induſtria neſcio an fortuito, pedem ad lapidem impingit. Pronam ad lapſum excipio, & tenacius brachiis adſtrictam erigo: oſculum interim clam dum ita corpora combinamus, ſuffuror. manum inde ejus & digitos artiuſcule ſtringo. ad quod illa ſubridens, Stringe, inquit, utcumque velis, nullum certe hinc ſuccum expreſſeris. Jam multo lentiore illa, laſſitudinem ſimulans, incedebat gradu, ita ut totus comitatus nos à tergo reliquerit: unde liberius loquendi nactus occaſionem, amorem ei meum aperio. ſed peſſima riſu tantum ineptias meas proſequebatur. Erat mater ejus mulier aſtuta admodum. Generos ipſa, filiæ maritos quærebant. nec illi nec his ego diſplicebam. eoque facilis mihi in domum earum permittebatur aditus. Introductus in ſellam conſidere & paullum quieſcere jubeor. erat vero

Aridæ mentes facile inflammantur.

Puellares aſtutiæ.

ipſum cubiculum eleganter ſatis apparatum, & omnis generis ſupellectili inſtructum. Mox è ciſta promit mater mantile candidum, filiarum una è cella hauſtum vini; altera è penu ſcutellam uvis paſſis plenam adfert. ſed utinam quis tum mihi è Lethe fluvio aquam apportaſſet, quæ ignis cor mihi amburentis flammam exſtinxiſſet! Diſcedens, pro ſingulari comitate qua me & foris & domi exceperãt, gratias ago maximas: rogans, ut eodẽ me in poſterum favore dignarentur, & propediem redeuntẽ non repellerent. Ajunt illæ, meæ humanitati ſe multum debere. redirẽ quam audacter. reipſa non ingratas expectaturum. Sic diſceſſi, & non diſceſſi. *Tibi imputa.* Animum enim ibi reliqui, à meipſo fugientem. Ah quam miſera illa mihi nox fuit! E quanta tranquillitate ſubito in maximam tempeſtatem ſum conjectus! Scholas adibam: ſed ſine animo. ille enim ubi dixi remanſerat. Edebam, bibebam, ſine ullo ſapore. mirabantur contubernales. clanculum inter ſe muſſabant, quid mihi accidiſſet ſolliciti. neſcio quem morbum ſuſpicabantur: ſed reſpondi ego, nullo me corporis teneri morbo; animum tantùm neſcio quid præſagire mali. Ajebant illi, melancholicis me agitari humoribus. recte facturum ſi pharmacis (& hic quidem hoc, alius aliud deſcribebat) corpus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

pus expurgarem. Lecto quum incubuiſſem, pronus os & oculos in pulvinum abſcondo, ne gemitus mei & ſuſpiria contubernali exaudirentur. lacrymis etiam mœrorem aliquo modo egerebam. Illud quidem tum expertus ſum, nullum prodeſſe exercitium quod non continuetur. Ut enim ſi ſitulam ad ſummum putei os perduxeris, ac funem vel paullùm è manu amiſeris, it ſitula & omnis labor ad vanum redit; & veſtis etiamſi ceteris partibus bene conſuta ſit, in extremo tamen filum nullo nodo adſtrictũ hæreat, paullatim tota diſſuitur: ſic litterarii conatus niſi ſtrenue & ſine interjunctione urgeantur, infructuoſi tandem evadunt.

Me miſerum! ſiccine unius horæ neglecta lectio omnem ſtudiorum meorum curſum ſufflaminavit, ſtitit, interrupit! O infelix nimium ambulatiuncula, quantam perniciem, calamitatem, vaſtitatem ſtudiis meis attuliſti! Verum ita eſt. facile arida ſpongia ignem concipit; madens, numquam. non erat vero Dei timore imbutum cor meum, ſed in vanis rebus penitus defixum. Quid mirum ergo quod tam facile ſeducendum ſe præbuit? immo ſuam perniciem ultrò quæſivit. Non jam ego de ſchola, non de lectionibus audiendis cogitabam. unum illud meam mentem, meas cogitationes, meas

Timor Dei unicum vitiorum amuletum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

curas occupatas tenebat, quomodo Amatâ potirer. Jam Amor ſuæ me adſcripſerat Matriculæ. Domus Gratiæ ſchola mea erat: Gratia Rector meus: Gratiæ gratia, ac venuſtas meus Magiſter: Gratiæ voluntas, meorum ſtudiorum curſus. O inſalubrem mihi merendam! quæ mediæ adhærеſcens gulæ, parum aberit quin mox omnem ſpiritum mihi ſit intercluſura. Eò proceſſerat jam amor noſter ut pedem induerim unde referre non poſſem. Laute me & opipare tractabat Gratiæ mater, omnium deliciarum peritiſſima, non veſtes, non pecunia, non quidquid optabam deerat. à domeſticis, cognatis tamquam herus obſervabar, colebar. Quibus vero res rationeſque meæ optime perſpectæ erant, reprehendebant me, objurgabant, monebant, obſecrabant, ne ſpem meſſis meæ in ipſa herba exſtinguerem ac velut interficerem. Sed mortuo næniam cantabant; me occinente: *Facile omnes quum valemus conſilia ægrotis damus*: *Tu ſi hic eſſes, aliter diceres*, voluptati mihi erat perire. peribam, non ſentiens me perire. Alter Siſyphus ſaxum multo ſudore ad faſtigium fere provolveram. ſed en quanto cum impetu, quam celeriter idem ad ima præceps fertur! Sed quum conſidero, minus id mirum mihi videtur. Adoleſcens, ſportularius fui: vir, caupo

Miſerorum illecebræ.

 fio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſio. Atque utinam nihil amplius reſtaret! Sed

Quacunque trahit fortuna, ſequamur.

Injuriam tibi facio (aut forte non, quia nihil es) Fortuna. non tu me, ſed mea me cupiditas & voluntas traxit.

CAPUT XXIII.

De Amore pauca diſſerit Guſmanus. Cum uxore Compluto Madritum migrat.

VIden' tu me priuſquam in Theologiæ ſtudio Baccalaureus fierem, jam in Amoris ſchola Magiſtrum factum! ut Doctorem quoque agnoſcas, paucis quid in ſchola illa didicerim, quid expertus ſim explicabo. Rogas me quid amor ſit? Cum Epicteto reſpondeo: *Ocioſi pectoris moleſtia: in puero pudor, in femina furor, in juvene ardor, in ſene ludibrium, in deriſore delicti nequitia.* Etymologiam quæris. audi illum? *Amor quid.*

Hei! qui dixit, Amor, melius dixiſſet, Amaror.
Si bene noviſſet quam ſit amarus Amor.

Amor, ſtultorum eſt carcer; mater ejus, ocium; nutrix, voluntas; cibus, fumus; pôtus, lacrymæ; quies, diſcurſatio; ſomnus, ſomnia aut inſomnia; voluptas, dolor. Per oculos venenum ipſi cordi infundit. hoſpes eſt qui facilius

non admittitur quam ejicitur. Puer eſt intellectu; ſenex, delirio. Filius eſt, nec parentibus parcens; pater, male filios tra-
Qualis. ctans. Deus fingitur, ſed immiſericors. inimicus occultus, fictus amicus. Tireſia cæcior, debilis ad miſerias & labores, fortis tamen ut mors. Legem non habet, non ſequitur rationem ducem, impatiens, ſuſpicax, ultionis cupidus, gratus denique & jucundus tyrannus. Alia ejus elogia non addo. Sed ô felicem, qui tanto poteſt tyranno reſiſtere! quum tyrannum dico, cupiditatem intelligo, qua nullus homini capitalior eſt hoſtis, nullus ſuperatu dif-
Ejus origo. ficilior. Cauſſa eſt, quod rationem recta monſtrantem cupiditas carni jucunda ſuggerens ſæpe ſæpius opprimit & vincit. Pueros imitamur, qui Magiſtri objurgationes & imperium non ferentes, è ſchola ad avorum aut cognatorum ædes profugiunt, ubi ſciunt delicate ſe tractandos, & mellitis cruſtulis demulcendos. Rationem audire nolumus bona præcipientem; cupiditatem ultro ſequimur, mala ſuadentem. Hæc ſcilicet primi illius peccati labes eſt & contagio, ad poſteros omnes propagata: cui caro ſuo ancillatur obſe-
Remedium. quio. Ad amorem quod attinet, Delphico verius eſt oraculum:

Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus:

Sed ſatis philoſophatum. Jam ſecun-

dam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

dam ego uxorem duxi: vos bona verba
licite, bene ominamini. Principia certe
æta ſe dant. ſed quomodo finis bonus
ſſe poſſit, quem bonum initio mihi non
ropoſueram? Finis conjugii primarius
ſſe debet Dei gloria & humani generis
ropagatio;ego vero nullum alium habe-
am ſcopum quam ut cupiditates meas
xplerem. Clauſis oculis quacumque illæ
ne ducerent ſequebar.nec Veritatem au-
iebam,quæ nonnumquam mihi inſuſur-
abat: Tu quidem id agis, ut uxorem du-
as juvenculam,lepidam,venuſtam. ad id
uoque procurare debes ut talem ſerves:
e quæ tua fuit, aliis deinde fiat commu-
is. Malo utebar Conſultore, meipſo ſci-
cet:& ardentiſſime meum ipſius malum
xpetebam. Faſcinaverat mihi oculos &
ſum cor nativus ille tam formæ quam
orum lepor,quem in Gratia mea pleri-
ue laudabant, ego vero tantũ non ado-
abam. Vulgo dici ſolet,qui ſocrum non
abent,maximi boni expertes eſſe. Novi
ſe quoſdam qui hoc negaturi ſint, im-
o qui domeſticam crucem & calamita-
m ſocrum putent. Sed forte hæc ipſorũ
lpa eſt, forte non eſt. Me quidẽ ſocrus
ea non aliter atque ex ſe natum filium
actabat, id unice agens ut bene mihi &
ommode eſſet. Uxor mea exiguæ dotis
i conſcia,criſtas attollere non audebat.

& quia juvencula erat, facile eam ad voluntatem meam flexi & accommodavi. Cognati me ut ſuperiorem reverebantur, meaque affinitate gloriabantur. Qui impares tam dote, quam genere ducunt uxores, eis obtruduntur domini quibus ſerviant, judices quos timeant, Principes quibus tributum ſolvant. Diſpar mea erat conditio. Tributaria mihi erat ſocrus; uxor, ſubdita; affines, ſervi. nihil aliud mihi curæ erat quam edere, bibere, dormire. Sibaritarum vivebam more. Quanto pejor eſt voluntas noſtra Circe illâ venefica! Hæc quidem homines in beſtias transformaſſe dicitur, ſalvo tamen intellectu. at voluntas nobis humanam formam non adimit; adimit rationem: ſine qua deteriores ſumus beſtiis. Sed ehei! Dum ſic felicitati meæ (ita videbatur) indormio: ecce Fortunam, effractis foribus magno impetu in me irruentem. O Fors fortuna, ut numquam perpetuò es bona! Gaudentem, mæror à tergo ſequitur; ridentem, fletus. Me quidem, immo non me tantum, ſed totam meam domum, ſocrum, uxorē, ut ſubito deſtituiſti! ut omnia nobis commoda miſere intervertiſti!

Dos faſtuoſa.

Rerum viciſſitudo.

Fuerat uxoris meæ pater, ut ab aliis accepi, ceteroqui vir bonus, ſed caupo, eoque lætiori vitæ & lautiori victui adſuetus. An ceteras virtutes quæ cauponem de-

Cuponũ mores.

decent habuerit, neſcio: hoc ſcio plus debitorum quã creditorum reliquiſſe. Ajebat quidem ſocrus mea, amici cujuſdam culpa tam gravi ære alieno obſtrictum fuiſſe, à quo neſcio quarum decimarum reditu fuerit defraudatus. Alii dicebant, hordeum & avenam quæ hoſpitum jumentis debuerat præbere, à ſtabulariis ſurreptum precium domui quam ædificarat, impendiſſe. nec mirum, male parta male dilapſa. Innocentiam vero boni viri ipſa tuebatur paupertas. Fundus calamitatis noſtræ venter fuit, cui ille plus æquo ſerviebat. Sed an ille tantum? Immò plerique. Hiſpali olim novi quemdam, qui deſcribendis quibuſcumq; rebus, præſertim vero contractibus & rationibus mercatorum victum ſibi quærebat. Ejus operam quum aliquando domi conduxiſſem, ille vero à prandio tardè admodum rediret, rogo moræ cauſſam. Ajebat, hoſpitium in quo prandiſſet longiuſcule eſſe diſſitum. Ego hominem pannoſum, caligis laceris & deformi admodum centunculo male involutum potius quam amictum videns, rogo cur non in proximo aliquo diverſorio cibum ſumſiſſet. Ait, nullũ eſſe in quo ſibi præberentur ea quibus aſſuetus eſſet. Hinc curioſius percontor, quibus cibis aſſuetus eſſet. Reſpondet, Pauperẽ ſe eſſe hominem, edere id quod labo-

labore ſuo lucretur, & in diem vivere: quanto plus lucretur, tanto majores in victū ſumptus facere. Eo in hoſpitio quod familiare ſibi habeat, præberi ſibi libram unam carnis vervecinæ elixæ, deinde alteram vitulinæ aſſatæ, appoſito embammate è ruta & ſaccharo confecto. Hoc cibi genus hiberno tempore ſibi uſitatum: æſtate vero gallinam, gallum caſtratum, par columbarum aut tale aliquid eorum animalium quæ parva habent oſſicula, ſibi ſufficere. Sed ad cataſtrophen venio. Mortuo ſocero meo, (quod fuit nō multo ante nuptias meas) ubi jam dies ſolutioni debitorū deputatus tranſiſſet, catervatim in ædes noſtras irruunt creditores: arripit quiſque quod proximum inveniebat: reſerantur ciſtæ, veſtes, lecti, ſpondæ, menſæ, ſcamna, adeoque ſupellex omnis aſportatur. non parum ſane metuebam, ne me quoq; & uxorem unà aſportarent.

Sic ex ædibus extruſi, in vicini domum nos recepimus, tamquam ii qui è naufragio in litus evadunt. Apprehendunt creditores domus poſſeſſionem; elocant. opponit ſe ſocrus mea: juſque ſuum ita demonſtrat ut prætoris ope ſtatim fuerit reſtituta. Sed ad quid ædes in quibus tibi fame pereundū ſit? Quum res omnis periſſet, ſpes mihi aliqua ſupererat è litterarum ſubſidiis. Medicinæ ergo animum appli-

applico, una littera plus quam Medicus. ut vero ſumptus quotidiani ſuppeterent, quidvis perferre patique decreveram. Socru cauponariam rurſus exercente, ventitabant ad nos multi comatuli adoleſcentes, Venerei nepotuli, non tam boni vini quã Veneris meæ cauſſa. Sentiebam ego facile inſidias. ſed diſſimulabam. immò ne moleſtus eſſem arbiter, varia mihi fingebam negocia. Miſerum me & infelicẽ, qui infamia victum redimerẽ. Jam uxor mea tàm mite & manſuetum animal me videns, & adunco naſo ſuſpendens, palam quaſi cornua fronti meæ imponebat. Jam honor & exiſtimatio mea peſſum dabantur: jam vulgo eram fabula. ſed audiens, ſurdus; videns, cæcus eram. ſic venter ſuadebat. Noveram ego quæ in magnis urbibus, ac præſertim in Aulis ſolent fieri. Quam multi ſunt quorum omnes reditus in forma mulieris conſiſtunt! Sed ô abjectiſſimum hominũ genus! Itane veſtrum ipſi honorem proſtituitis, quod chariſſimum vobis eſſe debebat proſtituendo? Me quidem nonnumquam zelotypia vehementer cruciabat, præſertim ſi quando nihil tali cogitanti ſcrupulus injiceretur. Quum aliquando in cubiculum ingreſſus neſcio quẽ cum uxore caput collimantẽ vidiſſem, & iram diſſimulare non poſſem, indignabundus erupi, & cum magno ſtrepitu

Suarum uxorum lenones.


pitu

O fortem! pitu oſtium poſt me attraxi, ut facile illi iratum me potuerint animadvertere: ſic pulcre me & generoſe ultus. Sed jam vaſa colligo, & Madritū proficiſcor: non ulla ſpe magni alicujus honoris adipiſcendi, ſed lucri faciendi cauſſa. Etſi enim non eram negociator, apportabam tamē ejuſmodi mercimonium, ex quo præſens lucrum paratum mihi non dubitabam. Res noſtras mediocri capſulæ incluſas carro impono: eique cum uxore inſidens, Madritum pervenio, ſic rationes in via mecum putans: In regia illa urbe domum conducam commodo loco ſitam, ſex aut ſeptem hoſpitum capacem, à quibus tantum mihi lucri redibit quantum ad ſumtus quotidianos ſufficit. Iis artibus ego inſtructus ſum ut cuivis negocio par ſim: foris ſollicitus, domi patiens. Ubi re aucta, votorum meorum ſummam conſequutus fuero, majoribus me applicabo occupationibus: quinetiam ita dexteritatis meæ lumē oſtendam, ut forte ipſe Rex miniſterium meum ſit expetiturus. Erat vero uxor mea eleganter ſatis veſtita: omnis ejus reliquus mundus cithara erat; non inutile rebus noſtris inſtrumentum.

Sed exſpectas forte ut narrem quæ mihi Madriti evenerint? Narrabo tum quum mortem meam ipſe narrabo. *Nunc Valete & Plaudite. Calliopius recenſui.*

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

PROSCENII
VITÆ HUMANÆ
PARS TERTIA.

IN QUA

VELUT CATASTROPHE
Hiſtoriæ, ſeu mavis, Fabulæ de vita
GUSMANI ALFARACII
imponitur.

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

editore
GASPARE ENS L.

DANTISCI

Sumptibus GEORGII FORSTERI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

LECTORIS.

EN tibi tertiam partem noſtræ de variis vitæ humanæ caſibus Fabulæ. Fateor multò longiùs illam extendi potuiſſe: ſed illud mihi obſervandum putavi, ut Manum, *quod ajunt*, de tabula. *Scopus unicus fuit Iuventutem de iis quæ in vita accidunt præmonere; ut inde ſibi cavere ac proſpicere contra tot tamque verſutas fraudum ſtrophas ac technas condiſcat. Breviter, ut malum, id eſt, vitia fugiat; Bonum, id eſt, virtutem, ſectetur. Si qui erunt ſeverioris frontis Catones, qui nullius rei, niſi honeſtæ mentionem faciendam cenſeant: næ ego illos plorare, immo Anticyras navigare jubeo. Male virtutem dignoſcet qui vitia non viderit. Tu, Lector illud cogita:*

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt:

eoque cum Guſmanno noſtro nec ſecundis rebus efferri te, nec adverſis frangi patiare: & quam potes mature, ſi non mature, tandem tamen ad frugem te recipe. Vale.

IN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

INDEX
CAPITUM
TERTIÆ
Partis.

I. *Qualem vitam Madriti egerit Guſmanus; poſt cum uxore inde proſcriptus.* 1
II. *Hiſpalim ſe confert, & cum matre domicilium jungit.* 16
III. *Nobilis feminæ ſervituti ſe addicit: ſed ob furta ad remos damnatur.* 28
IV. *Vitæ in triremi exactæ non minus mirabiles quam miſerabiles caſus exponit.* 39
V. *Servitute liberatur; deque virtutis vi diſſerit.* 65
VI. *Hiſtrionibus ſeu Comœdis ſe applicat; & multas regiones pervagatur.* 68
VII. *Uxore ducta cauponam exercet: & ab Alchymiſta miſere deplumatur.* 73
VIII. *Relicta hominum ſocietate, in eremum ſe confert, reliquos annos divino cultui impendit; fitque Mundo mortuus.* 77

PAR-

PARTIS TERTIÆ,

CAPUT I.

Qualem vitam Madriti egerit Guſmanus: poſt cum uxore inde proſcriptus.

MADRITUM ut venimus, dici vix poteſt quam ſubitò per totam urbem de novi cujuſdam lepidi negotii adventu fama ſparſa ſit, qua plerique Venerei nepotuli excitati, diverſorium noſtrum tanquam ſturni circumvolitabant; multi etiam ut oculis rem ipſam æſtimarent, non ſine cauponis lucro iiſdem in ædibus genialiter epulabantur. Erat inter vicinos veteramentarius quidam, ſupra conditionem dives; à quo rogati cujates eſſe-

Vultures Venerei.

eſſemus, quò haberemus iter, quod vitæ ſequeremur inſtitutum, quum ea quæ placebant homini reſpondiſſemus, magnificis cumulamur promiſſis: quibus ut homo ſtrenuus ſatisfaceret, ſtatim ſuo nomine nobis domum ab anicula quadam ſibi perfamiliari, conducit. nec ſatis hoc, etiam de victu abunde nobis proſpicit, tam vino quam varii generis cibariis per ſervum miſſis: deinde ipſus ad nos venit. Gratias pro tam inexſpectata humanitate ago, quantum in ſingula expenderit interrogo. Quin tu, inquit, homo officioſiſſimus. nugas has miſſas facis? Pudet me vel mentionem tantillæ rei fieri. Majora ſane præſtare & poſſum & volo. Amplector tam prolixum officium: nego tamen me permiſſurum ut illa ipſi noxæ ſeu damno ſit humanitas. De contentione nihil remittenti tandem ait ille, octo regales, ut vocant, à ſe expenſos: quos ei ſtatim reſtitui: ne vero illi extra limina evolarent, ſed potius uſuram aliquam parerent, ajo negotium mihi foris eſſe, ſumptoque pallio me proripio, ne cuiquam eſſem moleſtus. Reverſus, cenam opipare inſtructam invenio. Ineptus profecto fuiſſem ſi cujus ſumptibus iſta compara-

Suſpecta humanitas.

Artes ... lemoniæ.

paratа fuerint, quæſiviſſem. Et ipſa hoſpita nos ad cenam adventitiam invitârat, cui etiam veteramentarium intereſſe volebat. Ea hilariter peracta, firmiſſimæ, uti videbatur, quaſi fundamentum fuit amicitiæ. Hinc ille non ſolum frequenter ad nos ventitabat, verum etiam animi gratia deambulantes comitabatur, ſæpe quoque ipſe deducebat, de ſuo ſumtum faciens. *Ganionibus nihil ſatis* ut paucis dicam, etſi omnia ille faceret quæ poterat, omnia tamen mihi parum videbantur. Ut verum fatear, dolebam talem mihi hominem, ſatis liberalem illum quidem, & opulentum, potius quam è magnatibus aliquem ab initio objectum. Sciebam mulierum hoc genus ex quo mea fuit, farinæ eſſe ſimiles: cujus florem delibant Principes & Magnates; partem minus puram deguſtant medioxumi; furfures verò devorant porci. Jam domus noſtra tam ad ornatum quam neceſſarios uſus ſpectante ſupellectili inſtructa erat; jam uxoris meæ mundus ita accreverat, ut formam ipſam egregiè commendaret: ſicque ignoranti mihi, aut certe ignorantiam affectanti Fortuna, ſua largiebatur. Unum mihi præ cæteris moleſtum erat, quod aniculam hoſpitam noſtram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

explere non poſſemus, cujus conniventia magno nobis conſtabat. Sed & veteramentarii jam me tædium ceperat, poſtquam dignior aliquis locum ejus ambire cœpit. Etſi enim vix quidquam in ipſo deſiderare poteram; aliud tamen & vitæ meæ ratio & res ipſa flagitabat. Numquid vides hodie quatuor vænire numis, quod cras decem æſtimaretur? Tempus precium rebus ponit. Sartore ſi opus habeas, non quæris an bonus ſit Muſicus; ſi Medico, parum refert quam palæſtræ ſit peritus. Quod quærebam ego numus erat, non genus, non doctrina, non virtus. cetera omnia ſuſque deque habebam. Nec ſatis mihi erat bene incedere veſtitum, victu uti liberali & exquiſito; ſed extraordinariis indulgebam ſumtibus: eoque æquum mihi videbatur ut boves ſeu oves illæ quæ ad præſepe meum veniebant, ad vivum uſque detonderentur ſeu potius degluberentur. Jam ipſam in qua ſedebant ſellam; jam colloquia quibus detinebantur, jam libertatem quæ ipſis permittebatur, vix auro ſatis digne expendi poſſe exiſtimabam: in quo quidem bonus ille veteramentarius nonnihil claudicabat Novo tamen illi amanti nulla re oſtendere volui ipſius me ambire

Majori cede.

Quam damnoſus Amor.

gra-

gratiam ſeu amicitiam, ſed ſatis mihi erat quod meam ille unice ambiret. Nihilominus quia peregrinus erat, caute admodum incedebat. Invitarem ego illum ultro? Spernuntur oblata. Alteri illi nuntium remitterem? hoc vero erat Spem precio emere, & inſtar Æſopici canis, certum pro incerto dimittere. Sic ergo lupum quaſi auribus tenens, occaſioni inſidiabar; interea vero cœtus luſorios diligenter obibam, id unice ſtudens ut lucelli aliquid, aut etjam munuſculi ab amico bona fortuna uſo objecti domum mecum aſportarem. Quod ſi forte domi inveniſſem Veteramentarium, extracta crumena uxori quantum viſum fuerat in ſumtus do: ne illi animi mei tam turpi rei conſentientis vilitas ſuboleret. Aliquando etiam cũ imperio pecuniam ab illa flagitabam qua in luſus & alias res uterer: quam illa ſine ulla tergiverſatione, debita cum reverentia mihi porrigebat. Peregrinus interna ſpe plenum pectus circumferens gratiam noſtram & favorem enixe exambiebat; ego vero & ipſe partes meas ago. Cavendum mihi ſatis intelligebam, ne duos rivales intra ædes admitterem: quum ut eſt in proverbio, unum ſterquilinium duos gallos non ferat, nec ipſa mea uxor inter

Etiam mali malitiam celant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tot amorem dividere ſuſtinebat. Tandem vero ubi Veteramentarium manum reſtringere animadverti, quum econtra peregrinus ille & ſerviendi & donandi nullum finem faceret, conſilium capio mutandi hoſpitii, ſicque relicta illa anicula, proprias mihi ædes conduco. Ex illo tempore Peregrinus multo magis me obſervare, colere; ego Veteramentario medium oſtendere digitum. Tandem apertè ei dico, ideò à me domum conductam ut arbitrio meo vivere mihi liceret; eoque rogare me ut in viſitandis meis ædibus eam licentiam quam hactenus non ſumat: fieri enim poſſe, ut tam ego, quam uxor aliis rebus ſimus occupati, atque ita amicis ad nos venientibus vacare nequeamus. Quum ille tonum hujus cantilenæ facile intellexiſſet, ita à me diſceſſit, ut vix umquam poſtea intra limen meum pedem intulerit. Firma inde inter Peregrinum & me meamque uxorem coaluit amicitia, quam ille ſumma prodigalitate ſtabilire atque alere unicè ſatagebat; in primis verò v[...] levem benevolentiæ ſignificatione[m] appenſo quaſi auro uxori meæ remun[e]rabatur. Solebat ille ſæpius ad me[n]ſam me invitare, atque de ipſo pra[n]dio vel cena (ſic mos habet Hiſp[...]

Gratus quamdiu das.

Fuge litus avarum.

n[...]

nieæ cum mea bona venia ex optimis ferculis aliquot uxori meæ domum mittere : unde nobis poſtea in multos dies victus ſuppetebat. Unum mihi diſplicebat quod hæc tam palam fierent ut nemo omnium tam obeſæ naris eſſet quin facile id quod erat ſubolfaceret. Cui enim ego perſuaderem, uxorem meam à potente & opulento homine tam magnifice tractatam videnti, neſcire me quamobrem ille id faceret? Sed tacita hominum judicia facile contemnebam; peſſime me vero habebant, immò quaſi cor mihi effodiebant hominum maleferiatorum voculæ, qui à tergo mihi quaſi ciconiam pinſentes, & digitis Tauri ſignum effingentes, ſuperbum meum veſtitum quo magnifice me inferebam, ſpolia eſſe conjugalis pudicitiæ ita muſſabant ut facile exaudire poſſem. Vah, inquit unus, quam bellis mercimoniis negocia exercet Guſmanus! quam opulentam facit mangoniam! Non vides tu *Corneolum* illum pulcerrimum pileo ipſius affixum? fieri ſane poteſt ut horum obtrectatorum aliqui fortunam meam mihi inviderint : alii Corneolos ſimiles & ipſi geſtarint non tamen in ſe, ſed in me viderint. Amator interea noſter donis & muneribus totos nos nexu mancipio-

Cornigeris ſannæ poſticæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

que ſuos fecerat: neque ego me dominum ædium ſed ipſum, agnoſcebam. Tam hyeme quam æſtate res mihi familiaris creſcebat, argentum, monilia, armillæ, & quidquid precioſum; creſcebant ſupellectilia, aulæa, culcitræ, veſtes, ſtragulæ, veſtimenta omnis generis. Quid multa? Magnati alicui his rebus par eram. Sed peſſimum erat quod nullos ſtatos haberem reditus, niſi quantum ille dabat: quod etſi multum erat, ſumtibus tamen quos tam domi quam foris faciebamus, tenue erat: qui annua bina ducatorum millia explebant. Si quando hominem totum in amorem dare vellem, Quin tu, inquam, mea Gratia, fides ſumis, ac patroni noſtri bene meriti aures animumque permulces? Sic illa fides tangens, vocemque applicans, hominem magis magiſque amore accendebat: interim vero diligeniſſime cavebat ne quidquam vel faceret vel præferret quo conſcientiam meam prodendi & offenſam aliquam ſignificandi neceſſitaem mihi imponeret. Nemo erat noſtrûm cui non ſecreta iſta ſeu Cybeles ſeu Cereris paterent; nemo etiam erat qui non alteri perſuaum vellet ſe nihil eorum ſcire. Certe de his ne gry quidem inter nos. Manſuetum ego & patiens eram animal, ſi domum

Vitioſa parum durant.

Aſtute.

mum rediens oſtium claſum inveniſſem, ne pluſans quidem aliò divertebam, ne ſcilicet præſentia mea aliis eſſet moleſta; ſi apertum, ingredi nihil penſi habebam, quod abſolutis myſteriis, vulgaria tantum quæ arbitrum patiuntur, tractari animadverterem. *Patienter.*

Jam in felicitatis portu (quid enim aliud quæreret aut ſomniaret homo voluptatibus unicè deditus, omniſque virtutis oblitus) navigare mihi videbar: quum ecce ſubitò mutant venti, & è portu in periculoſum & calamitoſum mare me referunt. Et ſane fieri non poſſe exiſtimo ut quisquam in eodem, quo tum ego mari navigans, atroces tempeſtates adeoque ipſum naufragium evitet. Fama tantæ tam venuſtatis quam amabilitatis per totam urbem excitati etiam Magnates & è Nobilitate præcipui ædibus noſtris obambulare, feneſtra, oſtium obſervare, amicitiam meam ambire: quæ res miſerè amantis animo graviſſimum vulnus inflixit, quamvis illorum conſuetudinem ego diligenter vitarem. Quum ego rivales ſibi partos videret, multo effuſiori liberalitate dona in nos congerebat, nec muneribus ullum ponebat modum: ſed animadvertens tandem iis quibus amor conciliatur & retinetur rebus paria ſe cum tantis magna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Cede & tu. tibus facere non poſſe, paullatim quaſi ultro ſubducere ſeſe cœpit. Et ſane amoris (de turpitudine nihil dicam, tam ſumtuoſi finis alius eſſe non poterat quam pœnitentia. Equidem tam corrupto non fui judicio quin res planè abſurda & ab omni ratione aliena mihi viſa fuerit, amicæ vel ſcorto potius aggerere aurum quaſi corbibus, vilem interim Dei nomine ſtipem petenti denegare: quod ſæpius facere ipſum vidi. ſed meritam nemo noſtrûm effugit pœnam. Ego & uxor ut diteſceremus, bona illius amatoris non tam arrodebamus quam devorabamus. & ille quidem indies fiebat pauperior, nos tamen ne numulo quidem ditiores. Fugiebat ille, ſuccedebant alii, quãto potentiores tanto rebus noſtris inutiliores. Hi enim tales etiam quum beneficium accipiunt, dare ſibi videntur. Plumbeas iras gerunt, ſed pluma levior apud eos eſt gratia. Quid cum talibus agas, quorum preces etiam ſunt imperia? quorum amicitia non tam honori tibi quã damno ſit? Apage hominum hoc genus! Mihi non ſemel talem è viſitatoribus aliquem hoc modo alloqui lubebat: Quid tibi, domine, debeo? Cur in domũ meam venis? Cur rebus alienis abuteris? in qua re me juvas? ubi mihi prodes? Cur vis ut omnia promittenti, nihil tamen danti, nihil gratifi-

Mores Magnatum.

can-

canti ego operibus, verbis, atque etiam cogitationibus ſerviã? Quid multis? Tam damnoſa mihi fuit prurientium Magnatum familiaritas, ut ad egeſtatem; tam ſuperba illorum licentia, ut in magiſtratus poteſtatem brevi devenerim. Quidam enim Ædilium, ab emiſſariis quid ageretur domi meæ edoctus, ut, velut Æſopicus ille leo prædam ſperatam ſolus ſibi ſervaret, me cum uxore ad ſe trahi juſſerat, compoſito ad ſeveritatem vultu utrmque acriter increpans. Ego quid ageretur ſubodoratus ſimplicem me fingo, omnium quæ dicerentur ignarum. Placuit illi mea excuſatio: ſtatimque duabus poſitis ſellis aſſidere ſibi jubet. Tum cujas eſſem rogat. Hiſpali natum me audiens, Oh, inquit, Hiſpaline tu natus es civitate totius orbis præclariſſima? Inde in urbis laudem digreſſus, pleraque ejus ornamenta memoriter enumerabat. At audito patris mei nomine, eum notiſſimum ſibi ajebat, quinetiam in lite quadam ſe patronum ipſi adfuiſſe victoriamque obtinuiſſe prædicabat: alia tam multa addens, ut nihil aliud eſſet reliquum quam ut ſe cognatum, aut etiam patrem meum profiteretur. Audiebam hæc ego magna cum admiratione, nec tamen ſine ſtomacho ſic apud animum meum ratiocinabar: Deum immortalem, quam

Mali Magiſtratus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Omnia licere ſibi putant. imperioſi ſunt Magiſtratus! quam arrogantes & ſuperbi! Nihil certe eſt, quod non licere ſibi putent. Tum mihi in mentem venit cujuſdam Judicis, qui quum in ceteris rebus partes muneris ſui fideliter expleret, una tamen in re peccabat quod erga muliebre genus nimis comis eſſet & humanus, eoque frequenter ad libidines ſuas abutebatur. *En ſcrupuloſum ex formula.* De quo reprehenſus, Atqui ait, evolvat Inſtructionem mihi datam quiſquis vult; ſi vel verbulum in ea de caſtitate ſervanda repererit, pœnas dare non recuſo. Scilicet tale hominum genus licitum ſibi putant, quidquid expreſſe non eſt prohibitum: etiamſi id ad aliorum pertineat injuriam. Novi Judicem, qui quum inter multas alias pauperculæ cujuſdam viduæ filiæ vim intuliſſet, de injuria conquerenti marti, & filiæ honorem perditum exprobranti, numulum unum & alterum dedit, juſſitque uti emtis aliquot candelis quod amiſſum dixerat diligenter quæreret. Equidem vix apud me ſum, quum ejuſmodi res fieri & video & audio. Sed ad rem. Juſſit me Judex domum ire, prolixe oblatis omnis humanitatis officiis. *Preces magnatum imperia.* Paucos poſt dies nihil tale nobis cogitantibus idem Iudex dum pro more noctu urbem luſtrat, ex inopinato ſuper-

venit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

venit, oſtiumque pulſans, potum aquæ frigidæ (erat enim media æſtas) poſcit. Ego de ſiti conjecturam faciens, propere ad eum deſcendo. ut mecum aſcenderet rogo. Quod quum non gravate feciſſet, ſellam poni, & de bellariis ſeu conditis fructibus promi aliquid jubeo. quibus delibatis, frigidam ille hauſit. Sermonem inde exorſus, ait, per urbem obambulando ſe defatigatum:eaque nocte multas formoſas ſibi viſas mulieres; ſed ex omnibus nullam uxori meæ comparandam. Inprimis vocem ejus celebrari. Jubeo ego Gratiæ meæ teſtudinem ſumere, vocemque fidibus applicare. Obſtupeſcens ille quum jamdiu nihil ſuavius ſibi auditum, nullum pulcrius ſpectaculum viſum pejeraſſet, utrique amanter valedicit, me verò ut ſæpius ad ſe viſerem humaniſſime invitat.Sane tanti tamque potentis viri amicitia nobis nequaquam reſpuenda videbatur, ut quæ noſtræ fragilitati & ſi qui incidiſſent erroribus valde poſſet eſſe utilis : eoque ſæpius ad eum officii cauſa, comeabam.Hinc factum ut die quodam mihi nihil minus cogitanti mentionem injiceret, quæ cum pater meo ipſi interceſſerat amicitæ (at uxoris meæ amicitiam ille quærebat) cujus reſpectu lubens meritoque mihi gratum eſſet fa-

ſturus:ſimulque neſcio quod famelicum tabellionis munus offert. Excuſo me tamquam imperitum & inhabilem : ſed illo nihil remittente ut indignationẽ ejus evitarem. collum jugo ſubdere coactus ſum. Erat vero tam lucroſum illud meum munus,ut omnis ejus proventus vix, ac ne vix quidem unius prandii ſumtui ſatis fuiſſet. Videbam me meaſque res & ſpes omnes perditas : muſſandum tamen erat. Tanto verò indignius mihi facinus viſum erat , quod pro injuria (quid enim aliud tale beneficium ?) gratiæ erant agendæ,ferendi hominis ſupercilioſi mores , claudenda domus mea omnibus aliis, ſoli fortunarum mearum architecto, ſcilicet, aperienda. Jam indies atterebatur res mea familiaris : vendebantur ſupellectilia , ut eſſet ſumtus in cibum. Indigniſſime hæc ferebat uxor mea, & victui liberaliori & vitæ liberiori aſſueta : abſurdam exiſtimans multam ſubjectionem & paucam proviſionem: eoque ſubducere ſe ac omnia cauſſari cœpit , ut conſuetudinem imò etiam aſpectum ejus vitaret. Id ille agi ſentiens, ſtatim & ipſe beneficium ſuum revocandum ſibi cenſuit,meque rationes administrationis meæ reddere juſſit , quæ ejuſmodi fuerunt ut non modo nihil lucri, verum etiam multum damni feciſſe me

Sic decet beare amicos.

me deprehenderim: nec dubium erat, ſi diutius in pice illa hæſiſſem, quin rem omnem familiarem fuiſſem jugulaturus. Sed ô ingratum hominem! Tantum ut nos pedibus ſuis advolutos & ſuppliciter deprecantes videret, aut ſuum ipſe dolorem ulciſceretur, urbe etiam proſcribi nos curavit. Equidem tum mecum ſic ratiocinabar: Potens iſte homo id vult, ut & voluptatem & utilitatem à me meiſque capiat, atque ego idipſum quod multa cum ignominia & probro (de moleſtiis & laboribus nihil dicam) acquiſiveram, in ſuas impendam voluptates: interim illos ipſos acquirendi modos mihi præcidit, dum ſolus Gratiæ meæ amoribus potiri, nihil tamen dare vult. Sed non ſic erit. Unum eruit ipſe mihi oculum, ego duos ipſi. Faxo ſane ut ubi re & ſpe fruſtratum ſe ſenſerit, amores ſuos fruſtra poſtea requirat. Sed quid? Illa ipſa proſcriptio percommode mihi accidebat, inſtante jam tempore quo creditoribus meis, quibuscum tranſegeram, ſolvendum erat. Quum ergo certis interim indiciis accepiſſem matrem meam adhuc in vivis eſſe, Hiſpalim mihi quam minimo ſtrepitu commigrandum ſtatui, ſtatimque ad iter me accinxi.

O ultionem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT XXII.

Guſmanus Hiſpalim commigrat, & cum matre domicilium conjungit.

Conſcientia mille teſtes.

QUemadmodum poſt tempeſtatem etiam tranquilli jam maris eſt quidam tremor; ita animus etiam, depulſo jam omni periculo, nutat tamen, & libertati ſuæ vix credit. Ego ſane quamvis in portu navigare mihi viderer, quotieſcumque tamen mentis oculos ad prioris meæ vitæ curſum reflectebam, toties neſcio quæ anxietas præcordia mihi occupabat. Hei me miſerum & infelicem! Adeone perverſo & perdito ingenio eſſe quemquam, qui cum tanta existimationis & honoris ſui jactura id agat, ut cuticulam curet, & quod inde ſupereſt in chartas & aleam profundat? ſed quo dementiæ veneram, qui domeſticæ ignominiæ ignarus videri volebam, quum interim nemo neſciret, victum, veſtitum, adeoque omnes ſumtus domeſticos ab uxore me petere, & accipere? Fieri ſane poteſt ut thori ſui maculam quis deprehendat, diſſimulet tamen, quũ nihil aliud profecturum ſe viderit quam ut Camarinam moveat, aut ſuo jumento,

to, quod dicitur, malum ſibi accerſat. Hos ego non ferendos modo, ſed etiam laudandos cenſeo, modo ne ipſi tam probroſo malo anſam dent. At vero ut quiſpiam ſuæipſius uxoris leno ſit, quid magis probroſum, quid magis inauditum. Quid enim aliud agebam quum eam à libidinoſis hominibus non viſitari modo paterer, ſed etiam ultro ad aliorum ædes deducerem? ubi illa non corporis modo & morum venuſtate, ſed fidium quoque & vocis ſuavitate quod reliquum erat lenocinii ſibi ipſa faciebat. Sed ad rem. Madrito cum uxore & ſarcinis rhedæ impoſitis, egreſſus, Hiſpalim lento itinere admodum pergebam, quod uxor currus ſuccuſſiones ægerrime ferens, initio valde langueret, deliciis omnibus privata quam quas è catello quodam Melitenſi, gremio ipſius aſſidue incumbenti, capiebat. Et ſane mirum eſt quam pleræque omnes nobiles mulieres caniculis ejuſmodi delectentur: ut non aliter eas ſecum circumferant, & in manibus habeant quam Medici chirothecas & annulos, barbitonſores citharas, Monachi breviaria, Angli (at jam Germani quoq;) Tabaccum & tubulos. In hoc itinere & primis poſt adventum noſtrum diebus dici non poteſt quantas ſpes mihi ipſe finxerim. Jam mihi no-

Mulieres gaudent caniculis

vam

vam Indicorum commerciorum domum ibi conſtructurus videbar, in quam tam nautæ quam mercatores è Peruana aut aliis novi Orbis regionibus venientes, aurum corbibus eſſent congeſturi. Dum interim urbem ipſam obeo, uti etiam in ipſa via, ultimam pueritiæ meæ memoriam renovabam, ipſo locorum aſpectu monente. Prima nocte in diverſorio non ſatis commode exacta, mane cum ſole ſurgens, nihil prius habui quam ut domum conducendam, tum etiam matrem meam diligenter inveſtigarem. Sed adeò omnia mihi mutata videbantur, ut non Hiſpalim, ſed in novum Orbem delatus mihi viderer. Sic obambulans, domum video, ſcheda valvis affixa indice, locandam: qua inſpecta, cum domino de locationis precio in ſingulos menſes paciſcor, ac mox ſarcinas & fortunulas mecum advectas inferri jubeo, meque ad quietem compono. Poſt biduum ſolitarie exactum, Gratia mea, Indignum facinus, infit, mi Guſmane, me in tam celebri, tam magna, tam opulenta urbe tamdiu hærere, & nihil interim de ejus admirabili ſplendore, ſtupendis ſtructuris, & inuſitata magnificentia oculis uſurpaſſe! Ad Gradas ergo eo, & famulum (ibi enim ſtationem ſuam habent) conduco qui Gratiam, hominum locorum-

rumque ignaram per urbem comitaretur & circumduceret. Illa quidem dici non poteſt quanta cum admiratione, adeoque ſtupore tam urbis quam hominum magnificentiam contemplata fuerit. Et ſane meo quoque judicio veriſſimum eſt quod vulgò dici ſolet: *Qui non ha viſto Seviglia, non ha viſto maraviglia*: Qui Hiſpalim non vidit, nihil admirabile vidit. Ego interim diligenter facta inquiſitione, tandem matrem meam reperi, ſolam cum puella ſcitula admodum & formoſa (quam pleriq; pro filia ipſius habebant) habitantem, & vitam quibus poterat artibus tolerantem: tum tamen impetrare non potui ut ſeſe in domum meam transferret, quod puellam quam à teneris ferè educaverat, ægre relinqueret, & ſub nurus quaſi imperium ire recuſaret. Quamvis autem illius formam multi anni valde jam corrupiſſent, facile tamen juvenilis nitoris veſtigia apparebant. Ejus aſpectus in memoriam mihi revocabat, nihil eſſe quod non conficiat & conſumat vetuſtas; oculiſque ad uxorem meam converſis, idem illi poſt paucos annos futurū cogitabam. De me quoq; idem ratiocinabar. Sed hæc aliaque bene & utiliter mihi conſideranti idem evenit quod viatoribus in hoſpitio diverſan-

Omnia labuntur.

ſan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſantibus: qui ob ſitim famemque reſtinxerunt, poſito poculo, iter ſuum proſequuntur. Multa quidem bona & honeſta conſilia non raro ſuggerebat animus; ſed prævalebant cupiditates: quarum explendarum deſiderium ſalutares cogitationes ac curas in ipſa quaſi herba enecabat. Tandem à matre impetravi, ut domicilium mecum & cum uxore mea conjungeret: quam illa pro ſua quam longis annis acquiſiverat prudentia, ſalutaribus admodum præceptis erudiebat. Unum perincommode nobis tum accidit, quod magna annonæ erat caritas, qua quidquid fere nobis erat reliquum abſumebatur. Sed & matri meæ cum nuru male admodum conveniebat, quæ liberiori vitæ aſſueta, ſervitutem quaſi ægerrime ferebat. Quid multa? Non jurgia tantũ, contentiones & rixæ, ſed digladiationes quoque & dimicationes inter eas frequenter intercedebant. Ego quid facerem? Matrem offendere pietas prohibebat; uxorem, amor. Quotieſcumq; igitur nubes tempeſtatem minantes videbam, ſumto pallio foras provolabã, vacuam quaſi arenã utrique ad dimicandum relinquens. Maximopere hinc irritata uxor, quæ auxilium ſibi à me deberi perſuaſum habebat, amorem in quendam militum ductorem tranſtulit,

Nurus cum ſocru.

lit,

lit, & inſcio me convaſatis quæ ſupererant precioſis rebus, cum eo in Italiam profugit: nec quid illa factum ſit, quid poſtea reſciſcere potui. Divortium hoc initio valde mihi erat moleſtum: ſed mecum perpendens, vere ſtultum eſſe qui uxorem fugitivam retrahere ſtudeat, & non potius ei tamquam hoſti fugienti pontem ſternat, tacitus mihi velut de libertate gratulabar. Quin? Egone illam in Italiam ſequerer, ubi tam multa illaudabilia facinora à me perpetrata erant? Sed &, ut verum fatear, domeſtici probri tædere me, pigere atque pœnitere cœperat, qui non tacitis modo cogitationibus, ſed publicis etiam hominum maleferiatorum voculis paſſim tamquam ſuipſius thori proſtitutor traducebar. Quia vero uxor leberide nudiorem me reliquerat, ex hominum frequentia me cum matre in urbis quendam angulũ ſubduco, vitamque venditis quæ ſtragem evaſerant ſupellectilibus vitam utcumq; ſuſtento. Jam lacer erat veſtitus; nec quidquam ſupererat unde novum facerẽ, aut negotiationis aliquid incœptarem, niſi ad veterem illam meam redirẽ. Nocturnæ ergo venationi me accingo, & per tenebras incautè ambulantium pallia involo; iiſque onuſtus domum reverſus, mira metamorphoſi prædam omnem

Vitiorum ſatietas etiam apud malos

con-

concinno, reconcinno, diſſuo, muto, ut quæ pallia veſperi fuerant, mane togæ, thoraces, & tantum non omnia eſſent, ac publice etiam vænum proſtarent, atque iis etiam ipſis quorum fuerant interdum venderentur: Non placebat hic modus acquirendi matri meæ, eoque ſæpius me hortabatur, ut ſi non mihi, ipſius ſaltim ſenectuti vellem parcere: veritaque ne res tandem in nervum erumperet, puellæ illi quam filiæ loco habebat, rurſus ſeſe applicat, & ad priſtinum vitæ genus redit. Ego quoque mihi non deeram, & ejuſdem artificii homines nactus, tam conſilio quam opera ita eos adjuvabam ut è præda genialiter viveremus. Per illos dies quum continuæ ferè caderent pluviæ, iiſque tota quaſi urbs reſtagnaret, atque ideo plerique omnes domibus ſeſe continerent, ad reſtim pene nobis res redierat, quod ædes hinc inde viſitandi erepta nobis eſſet occaſio. Forte per obſcurum angulum obambulans domum video non ruinoſam modo, ſed etiam aliqua ex parte collapſam. Dominum mihi inquirenti ajunt, viduam eſſe quamdam nobilem, ſimulque plateam ubi habitaret deſignant. Accedo. ut copiam mihi in ea aliquantiſper habitandi faciat rogo, enixurum me pollicitus, ut quod reliquum

Graſſatores nocturni.

O aſtutiam.

quum erat ſartum tectum conſervaretur. Illa pro me ſollicita, ne ruina opprimerer, diu cunctabatur: tandem verò precibus meis victa annuit. Quid enim, ajebam, tam inops à rebus omnibus ego timeam, cui vita etiam ſuperflua & gravis eſt? Poſt diem unum & alterum, animadvertens miram eſſe materiæ ad ædificandum neceſſariæ paucitatem, ad forum profectus, per præconem proclamari jubeo, ſi quis tignos, lateres, trabes veteres ædificii emere vellet, ad deſignatum locum veniret. Adſunt mox magno numero fabri, licitantes, & de prærogativa pæne verberibus inter ſe contendentes. Cum eis tandem certum pactus precium, ſexcentos regales in anteceſſum capio, & ut ſequenti die ad materiam aſportandam adſint moneo. Acceptis numis, ad viduam ædium dominam eo, & admirabundus quæro, quid rei ſit quod per atrienſem & ligna & lapides ejus in qua dies aliquot commoratus eſſem domus vendi, meq́; emigrare juſſerit. Illa quũ nec ſibi atrienſem eſſe, nec de ulla venditione quidquam conſtare dixiſſet, Atqui, inquam, craſtinus eam in rem præſtitutus eſt dies, quo emtores omnẽ materiam aſportatũ venturi ſunt. Mihi hoc indicare tibi ſatis viſum. Sequenti die in locũ quemdam ejus

vici-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

viciniæ me confero unde ſpeculari & obſervare omnia poteram. Adſunt fabri, manuſque demoliendis ædibus & aſportandæ materiæ admoliuntur; opponit ſe viriliter cum ſuis matrona. oriuntur jurgia, rixæ. itum tandem ad judicem eſt; ejuſque ſententia fabri damnum omne reſarcire coacti. Per eos dies aliquot domi ego me continui, luculento quem ex januis & valvis aſportatis feceram, cum matre foco aſſidens, & de ſexcentis illis regalibus liberaliter ſumtum faciens.

Non multò poſt ad B. Auguſtini neſcio quod feſtum celebrabatur: ibi ego (nã feſta ejuſmodi à tale genus hominibus plerumque celebrantur) quum vidiſſem mercatorem quemdam cujus femoralia argento, uti mihi videbatur, tumebant veſtigia ejus inſequens, accurtente magna hominum multitudine & uno alterum urgente, manum dexterrime ſacco inſerens, cum pulviſculo omnia eram excepturus: verum quum capere omnia manus non poſſet, & in pavimentum numi quidam decidentes ſtrepitum excitaſſent, ſtrophiolo ſtatim extracto, fingo unà mihi argentum extractum. Secedere mox omnes, & locum mihi recolligendi mea dare: quin etiam ille ipſe cujus numi illi fuerant, operam mihi in iis recolligendis impendebat. Ego

gratiis

gratiis actis, cum præda domum reverſus, genio meo litavi. Sed magno mihi furtum hoc conſtitit. Quid miſeri optatis ut conatus veſtri in maleficiis bene vobis ſuccedant? Nihil aliud inde lucri facitis quam ut ad flagitia ſitis projectiores. Sed quum facinora ejuſmodi furcam aſcendere mihi viderentur, ad ſubtiliores magiſque tutas artes animum converti.

Habebam in mea poteſtate crumenas non paucas quas hinc inde ſublegeram. Ex iis unam quæ melior mihi videbatur ita reconcinno ut agnoſci non poſſet. Indo tres ſcutatos duplos, & quinquaginta ſemicapitatos ſeu regales argenteos, digitale argenteum, & quatuor annulos: quæ omnia quum matri meæ commonſtraſſem adeoque ſcriptis conſignata dediſſem, ne quum uſus eſſet aberraret, accedo ad Patrem quendam ſeu Monachum, ſingulari concionandi peritia tota urbe percelebrem. Sermonem inde exorſus, Ego; inquam, mi Pater, peregrinus ſum in hac civitate, & ut verum fatear, vix eſt unde miſerum hoc corpus ſuſtentem. Jamdudum conditionem quæro qua vitam tolerem, & animæ meæ (neque enim quidquam ulterius quæro) quietem conciliem, victu & veſtitu mediocri conten-

Sed hanc palmam rem.

tcn-

tentus: ſed fruſtra hactenus laboravi, quum omnes à pannoſitate mea ac paupertate abhorreant. Fateor non defuturas mihi rationes quibus etiam plus quam neceſſaria acquiram: ſed Deus nunquam ſiverit ut animum ego malis artibus applicem! quin potius ſtatutum eſt mihi fame prius emori quam quidquam contra divinam Majeſtatem, aut quod in meam redundare poſſit ignominiam, perpetrare. Mane hoſpitio meo egreſſus, ut operis aliquid quærerem, media in via crumenam hanc reperi: quam inſpicere ſatagens, quamprimum auri & argenti fulgor oculis meis objectus fuit, humanæ fragilitatis memor, valide reſtrinxi: & quia nihil magis opto quam ut vero domino reddatur, ad veſtram Paternitatem eam deferre viſum eſt, ut proxima Dominica publicè facto præconio, is inquiratur. Bonus ille & Religioſus vir quum me audiſſet, tamque heroicum & à veſtitu meo plane diſſentaneum facinus vidiſſet, inſpecta crumena, O te beatum, inquit, mi frater! Eſt vero ut Deo ſummas agas gratias, qui gratiæ ſuæ radiis ita animum tuum colluſtravit ut intellecta humanarum rerum fragilitate, nihil magis caveas quam ne conſcientiam tuam macules. Tu mihi crede, ille qui tam

tam bonum & generoſum tibi inſpiravit animum, etiam reliqua ad vitam neceſſaria non denegabit. Magnum eſt quod jam facis, & quod perdito hoc ſæculo pauciſſimi facturi ſint. Ego faxo quod mei erit officii: tu poſt eos dies quibus præconium fecero, ad me redibis. Quo animo, quo corde hæc me audiſſe cogitatis, & boni hominis ſanctam ſimplicitatem, & extremam meam verſutiam ac malitiam animo conſiderantem? quam ut tanto melius abſconderem, illachrymatus ſum: nec minus bonus ille Religioſus mecum lachrymas fundere cœpit. Sic eſt: Quiſque ut habet mores ita de aliis judicat. Sequenti Dominica, in quam etiam Feſtum Omnium Sanctorum inciderat, bonus ille Pater magnam concionis partem de me meoque heroico facto conſumſit, tanto admirabilius eſſe dictitans quanto majorem meam inopiam coram ipſe vidiſſet. Hinc multi ultro ad prædictum Patrem venerunt, ſtipem quam mihi elargiretur, liberaliter porrigentes. Poſtero die accedit ad eum mater mea, & demonſtratis omnibus ſignis, ait ſuam illam eſſe crumenam: quam bonus Religioſus, deprehenſis veris indiciis, non gravate illi reddidit, pro me tamen interceſſit ut decem regales mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

tamquam Herculi, quem dextrum ſcilicet habueram, conſecrarentur. Recuperata crumena, ita ut ne acicula quidem (nam & harum aliquammultas chartæ involutas, ut à muliere eſſe tanto magis fieret veriſimile, inſerueram) deeſſet, poſt biduum ad Concionatorẽ virtutum mearum buccinatorem redeo, videoque tantum veſtium acervum meum in uſum congeſtum ut ad decennium uni mihi ſatis futuræ fuiſſent: nec regales illos modo, ſed & plures alios ex eleemoſynis collectos accipio: quin etiam bonus ille Pater juſſit ut poſt dies aliquot ad ſe redirem, ut qui conditionem non aſpernendam mihi inveniſſet.

CAPUT III.

Guſmanus nobilis, feminæ ſervituti ſe addicit, & ob furta ad remos damnatur.

QUærenti mihi quænam illa eſſet conditio, meque excuſanti quod, ignotus utpote, neminem haberem qui pro me, quod fieri ſolet, ſponderet, Ille, Curam hanc, inquit, mihi relinque; tu eas tantum quas in te ſitas arbitror artes, fidem & diligentiam ad hoc munus adfer. Accipio conditionem, ut

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quam rebus meis reſtaurandis commodiſſimam arbitrarer. O quanta vis eſt conſuetudinis! Ajunt Eam alteram eſſe Naturam: ſed ego multo potentiorem judico, utpote quæ plerumque ipſam quoque Naturam vincat, certè corrumpat. Quod ſi conſuetudo ſeu uſus cum veritate conjungatur, nihil eo, niſi ipſe Deus, eſt potentius. Quid miſerum paſtorem in deſertis campis, in profundis vallibus, in montium faſtgiis contra omnes cœli injurias obdurat? uſus. Quid ferociſſima domat animantia? uſus: quem tempus tandem non confirmat modo, ſed etiam in ipſam vertit Naturam, immò, ut dixi, ipſi Rationi tanquam tyrannum imponit, ut non quod illa dictat, ſed quod hic jubet, faciamus. Expertus loquor. Negotiis nobilis feminæ, cujus vir in Indiis agebat, tractandis admotus, mirum eſt quam bervi tempore omnes quibus inſtitores utuntur artes perdidicerim: ut qui jam ante in ſimilibus eſſem valde exercitus. Quos ego modos augendi mercibus precium non excogitavi? quam diligenter feneri ſeu uſuris incubui? Jocus erat per animam meam, per Deum ipſum pejerare, ſi quando emtores acceſſerant: hoc vel illud mercimonium pluris mihi conſtitiſſe quam indicarim, ne teruncium

Vis conſuetudinis ſeu uſus.

Inſtitorum (malorum) mores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

quidem me lucrifacere, opus mihi eſſe præſenti pecunia: eoque me tam vili precio addicere: Brevi res meas ad fundum redituras ſi aliis idem velim facere: multaque alia addens ad fidem perjuriis meis conciliandam; quum interim non neſcirem immanes eſſe quas exercebam uſuras: ut niſi numus unus, quamvis natura ſua ſterilis, alterum mihi pareret, operam & oleum perdidiſſe mihi viderer. Ut vero omnibus fidem facerem veræ meæ pietatis & bonæ conſcientiæ, ut qui lucrum quidem non aſpernari, animæ tamen ſalutem multo potiorem habere ſtuderem: quotidie magnum numerum pauperum ad fores noſtras confluere, & per horam unam aut alteram ſtare ibi paſſus, ſingulis poſtea exilem admodum ſtipem largiebar: non alium in finem quam ut alii poſtea tanto facilius mihi, tantæ religionis, ſcilicet, homini res ſuas crederent, numquam reddendas. Nec vero beneficus erga eos eram qui maxime digni erant eleemoſyna, ſed potiſſimum erga eos quos iis apud quos inſinuare me volebam, laudes meas deprædicaturos ſciebam. Et quia natura timidus eram, injurias omnes ob Dei amorem, ut videri volebam, condonabam. Jejunabam frequenter, ut temperans

O hypocrita.

perans

perans viderer, & meis ſumtibus parcerem: at ſi de alieno ageretur corio, lupus eram. Ajunt certe, hoc nationis noſtræ vitium eſſe ut de noſtris parces, de alienis liberales admodum ſimus. In templis eram aſſiduus, roſario, libello inſtructus. Obibam hoſpitalia, obibam carceres, & ſtipe quidem tenui, multis tamen verbis egentes & afflictos ſolabar. Quid multa? nullum erat pietatis exercitium quo non ad malitiam & fraudes meas abuterer. Hæc enim omnia agebam, ut alii tanto facilius mihi res ſuas crederent. Recte ergo faciunt qui Fronti fidem habendam negant.

His moribus (neque enim illa cor mihi inſpicere poterat) quum me apud nobilem illam feminam inſinuaſſem, brevi totius quaſi rei familiaris atque ipſius etiam familiæ cura in me translata fuit. Jam ego non ut famulus ſeu miniſter, ſed ut cognatus, ac penè ut filius tractabar. Magnas Deo gratias agente matrona quod me talem ſibi ſuiſque rebus curatorem objeciſſet. Inter ſermones rogabat illa me nonnunquam ut mariti ſui ſalutem Deo precibus commendarem: ad quæ ego tam tenere, tam pathetice reſpondebam, ut tota in lachrymas ſolveretur: quum interim

Mali benè plerumque tractantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

non modo fortunis ipſius, ſed familia quoque abuterer. Erat inter domeſticos ſerva (ego initio liberam credideram) moribus plane mihi ſimilis. Quia vero Similis ſimili gaudet, ita illa ſtatim ſeſe mihi applicuit, ut à cubiculo meo abigi non poſſet: uterque tamen interim ſic furta noſtra celabamus ut nec matronæ nec cuiquam domeſticorum quidquam ſub oleret. Abundabat penu meũ omne genus bellariis, fructibus conditis, & delicato tam cibo quam potu. Linea mea ſupellex, induſia, lintea, naſitergia, aliaque talia ita nitebant, ita candebant, ita ſarta conſervabantur, ut melius non poſſent. Etiam numi aliquando ſubminiſtrabantur. Mihi quidem facile erat conjicere unde illi eſſent; ſimulabam tamen me neſcire: adeoque ut tanto artius illam mihi devincirem, ajo, me illam amare unicè, idque ante omnia propediem velle agere ut in libertatem vindicarem, ſpe quoque facta matrimonii: quum apud me ſtatuiſſem convaſatis quas poſſem rebus novum Orbem quærere, & ultra Garamantas Indos profugere. Jam enim hera deplumari ſe, immò bonis omnibus everti à me ſentiens, communicato cum uno ex cognatis ſuis conſilio, manum mihi injici & reddendi rationes neceſſitatẽ imponi juſſe-

Pares cum paribus.

Celari nequit malitia.

juſſerat; vultu interim & manibus ad ſolitam humanitatē ita compoſitis ut tale quid ne ſuſpicarer quidem. Quum ergo die quodam negocii cauſſa prodiiſſem, ex inopinato apprehendunt me ad id appoſiti lictores, & in carcerem abducunt. Quid mihi tum animi fuiſſe putatis? Illud maxime anxium me habebat quod neſcirem cujus hoc juſſu factum eſſet. Veniebant mihi in mentem facinora in Italia, Madriti, & ubi non? commiſſa. Cubiculum interea meum perluſtratur, aperiuntur ciſtæ, excutiuntur omnes anguli, ſed paullo minus nihilo ex omnibus heræ fortunis apparet. Prudens ſane feceram, qui res omnes ad matrem meam extra omnem fere hominum notitiam in ſolitudine quaſi viventem congeſſiſſem. Veniunt ad me in carcerem heræ procuratores, rogant ubi numi ſint aliaque heræ bona, quid illis factum. Reddo ego rationes tales quales, nego penes me quidquam eſſe ex omnibus heræ fortunis. Accuſor multo gravius; inquiritur diligentius: ſed apparent rationes, argentum οἴχεται. Mittit hera ad Religioſum illū cujus commendatione me illa in familiam ſuam receperat; remque omnem exponi jubet. Ille prudens & ſanctus, me inauditum reum pronunciare noluit. Venit poſt & ipſe ad me in

Vis conſcientiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

carcerem : quærit quid rei ſit : verumne illud cujus hera & cognati me inſimularent. Perfrictiſſima fronte nego omnia: calumniis & inſidiis me circumventum lamentor : ſed ſperare me Deum non minus quam Joſephi & Suſannæ cauſſam meam acturum : lubenter interim fateri ob multa alia peccata hanc pœnam mihi à Deo juſtiſſime inflictam, quam etiam tamquam à manu & paterno animo profectam, patienter ferre velim. Anceps neſcienſque quid tota de hac re ſtatueret bonus Pater, debiliori tamen parti, quoad liqueret, favendum cenſuit, verbiſque ſolatii plenis cauſſam meam curæ ſibi fore promiſit : ſtatimque à me digreſſus, Actuarium adiit, rogavitque ne innocentem me opprimi pateretur. Simplicitatem hominis ille ridens narrat quæ interea de me, meis fraudibus & furtis comperta eſſent : unde bonus ille quaſi attonitus candide viciſſim ei aperit quibus modis ego me apud ſe inſinuaſſem. Rem totam audiens Actuarius jam multo notiora malitiæ meæ veſtigia deprehendit, tantaque indignatione exarſit, quod tam ſancto viro tam turpiter impoſuiſſem, ut ſi ipſus in me habuiſſet poteſtatem, ſtatim me in furcam acturus fuerit. Inde capitalium

En impium & perditũ.

rerum

ſerum quæſtori rem omnem narrat, immò ſcriptam quoque ſua manu exhibet, non aliter ac ſi rem ipſius atque exiſtimationem atrociſſime læſiſſem, aut patrem quoque occidiſſem. Ex quo factum ut carceris cuſtodi me in obſcurum antrum includere mandatum fuerit. Miſerum me ſi dies ille omni argento carenti mihi ſuperveniſſet! Habebam ſane & crumenam bene inſtructam, & veſtes non pauco auro & argento fartas, ut qui aliquamdiu jam nihil aliud quam fugam circumſpexiſſem: ſed, crede mihi, ignis eſt carcer, omnia amburens, omnia conſumens & in ſuam ſubſtantiam vertens. Concluduntur ibi unà innocentes & rei: nemo tamen omnium eſt qui reus ſibi videatur. Ut paucis dicam: ſi inter vivos ullum ſit infernum, carcer eſt iſtud infernum, aut ad minus, Purgatorium.

Afflicto adduntur afflictiones.

Intellecta captivitate mea, contubernalis, illa quam tam ex heræ bonis quam de ſuo etiam tam liberalem erga me fuiſſe ſupra dixi, quotidie quidquid neceſſarium mihi erat mittebat, non aliter ac ſi cœlum manna in me plueret. Ubi autem ad remos me damnatum audivit, ſummo dolore percuſſa, ejus indicem ſequentem epiſtolam ad me miſit.

Cor meum mellitiſſimum, anime mi, jam, ut audio, ad remos damnate.

Epiſtola amicabilis.

Has litteras non ad alium finem ſcribo quam ut melancholiam à te abigas & lætus ſis. ſatis enim eſt quod ego ſola contriſtor, quæ poſt eum diem ex quo captus & in carcerem ductus fuiſti, quieta dormivi, quũ te forte pulices, culices, cimices, pediculi quieſcere non permiſerint. Hodie vero poſtquam audivi te à Prætore ad fuſtuarium & porro ad remos damnatum eſſe, dicere non poſſum quanto dolore fuerim affecta. Utinam vero tam crudeli Judici nõ lumbi modo fuſtibus dolentur, ſedcaput quoque frangatur! Sciat bonus ille vir te non perpetuo in carcere futurum. qui ſi faciem meam videret, videret quaſi parietem continuo lachrymarum imbre lotum. Et quamquam tantæ illæ fuerint ut prope totum Mundum inundare potuerint, multo tamen copioſiores futuræ erant niſi verita eſſem ne iis funditus ſubmergerer, ſicque poſtea mihi ſocietate tua carendum eſſet. Latrix harum dicet tibi quot capillos è capite meo evulſerim, ubi tam triſtem ſententiam accepi: ſimulque dabit viginti Regales, quibus te genium tuum recreare, meique memoriam refricare volo: etſi ſcio procemiis iſtis apud te opus non eſſe, cui etiam

unum

unum momentum quo nonnunquam ad ſubdendum ollis ignem à te digreſſa eram, mille anni videbatur. Mitto tibi quoque viridis coloris cingulum, ut cognoſcas ſpem meam, fore ſcilicet ut brevi te liberum videam. Quod ſi tui cauſſa opus fuerit vendi me, præſto ſum: meque tum demum beatam putabo. Ajunt contubernalem tuum Sotum male ſtare, cui lictor fides ita intenderit ut & ipſe factus ſit Muſicus. Male me habet quod tam vilis homuncio tam garvi viro moleſtiam crearit, & aliquid forſan dixerit quod & ipſi & aliis nocere poſſit. Saluta eum meo nomine, quamvis eum non nôrim: & de his bellariis aliquid ei communica. Craſtino die panes pinſemus: tunc ego tibi placentulam ex oleo conficiam, ad quam ſocios tuos ſine ullo pudoris metu invitare poſſis. Mitte mihi lintea ſquallida, & in ſingulos dies pura induſia indue. Quia enim te duobus his brachiis amplexari non poſſum, volo uti ſervitio tuo defatigentur. Matrona noſtra jurat ſe facturam ut patibulo affigaris; quod ejus ſubſtantiam ſis furatus. Sed ſatis ipſa furata eſt, & tu ſcis cui. Scio te me intelligere. Intelligenti vero pauca. Si Gomeſius te viſitaverit, noli cum ipſo loqui. eſt enim homo bifrons, & omnium, maxime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

autem Bacchi amicus. Sed jam deſino: non tamen deſinam Deum precari ut me tibi teque mihi conſervet, teque ex ergaſtulo illo liberet. Scripſi in tuo cubiculo, una hora ante mediam noctem: quum facies interea tua tamquam præſentis mihi obverſaretur.

Nemo miſeris amicus.

Et hoc quidem non leve erat & malis meis ſolatium & rebus ſubſidium. Jam enim ad extrema deveneram, quod mater quoque mea, malum cauſſæ meæ exitum prævidens, quidquam amplius mihi dare recuſaret, ſurreptum ſibi dicens quod habuiſſet. Sed quidquid erat, maluit ipſa retinere quam mihi inutiliter impendere. Ad extremum, eodem tempore cauſſa mea deciſa & crumena fuit exenterata. Non erat quo corrumperem Actuarium; Judicem habebam iratum, patronum invitum quaſi, procuratorem tergiverſantem. Totus flaccidus & inanis relinquebar non aliter, ac pergularum uvæ à veſpis exſuctæ. O quam verum eſt illud, Tanti fieri quemque quantum habeat! ceſſantibus fortunis ceſſare amicitiam, nempe,

Et cum fortuna ſtatque caditque fides.

Ubi rem eò rediiſſe vidi, ſepoſita omni verecundia regii mancipii perſonam agere cœpi. Non exigua pars erat mei ſolatii quod Sotum haberem ſocium: cu-

cujus tamen ſocietas pæne me perdidit, ut poſtea audietis.

CAPUT XIV.

Guſmanus vitæ in triremi exacta non minus mirabiles quam miſerabiles caſus exponit.

TAndem ergo ad centrum quò ſemper tetenderam, perveni, dignum meis factis exitum ſortitus. Age, Remex jam ſum & miſerum mancipium: nihil ergo quod mancipio accidere poteſt, à me alienum porro putandū. Vixi hactenus more meo: nunc porrò vivendū eſt alieno: deſerendi mores ſtratiotici: cutis contra plagas, manus callo contra labores obdurandæ. Riſi tum quorumdam contubernalium meorū vanitatem, mortem ejuſmodi ſervituti præferentium. Ego vero ſic ſtatuo, qui talia loquuntur (niſi plane ſenes ſint adeoque decrepiti, qui jam alterum pedem in cymba Charontis habeant) minime ex animo loqui: aut ignorare quam humanæ naturæ mors ſit horribilis. Equidem ſi lætum me fuiſſe dixero, falſum dixero; gaudebam tamen, vitam mihi ſalvam relictam ejuſque futuras miſerias ſpe ſolabar. Nempe quà fata trahunt retrathuntque

Scopus tandem tangitur.

Vita nihil carius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſequendum, omniſque fortuna ferendo ſuperanda eſt. Amaſia quoque illa etſi divortium hoc noſtrum ægerrime ferebat, animum tamen ſuum ea ſpe ſuſtentabat fore aliquando ut bona fortuna nos iterum conjungeret; eoque me ſupra præſentem meam ſortem iis omnibus quibus opus habebam ita inſtruxerat, ut non mancipium ſed Officiarius aliquis mihi viderer. Cum eo quod ab illa acceperam, quodque mater clam ſubmiſerat peculium brevi tempore auxi, novis captivis, acceptis prius pigneribus, argenti aliquid fenerando, iiſdem oleum aliaque queis penu inſtructum habebam, carè vendendo, etiam ea quæ incaute cuſtodita erant, ſublegendo: quin etiam quæcunque oculi mei viderant vix erat ut manus meas effugerent. Sed & novitiis multa ridicula faciebam: candelas accenſas calceis eorum affigens, naribus ſulphureum admovens fumum, aures junco inſerto titillans, ac nihil omnino omittens quod humana excogitare poteſt malitia. Iis enim locis & apud eos homines noſcitur quidem Deus, ſed non timetur, multo minus amatur. Videas ibi ſentinam flagitioſiſſimorum hominum, furum, lenonum, homicidarum, raptorum, latronum. quod ſi quiſpiam forte

non

non omnino perditus aut facinoroſus eò deveniat, is cogitet à Deo id permiſſum ut peccata ſua agnoſcat, & ſalutem animæ ſuæ curæ habeat. Fuit mea ætate leno quidam perjurus, qui accepta mortis ſententia, quum cuſtodes chartis videret ludentes, compedes & manicas ferro graves trahens, in pedes erigere ſe & ſpatia aliquot facere cœpit. Rogantibus cuſtodibus quonam tenderet, Ad vos, inquit, ut tempus vobiſcum fallam. Monentibus ut preces ad Deum potius funderet, reſpondit, ſe exhauſiſſe quidquid umquam didiciſſet orationum; nec jam aliud eſſe quod ageret. mox ad unum: Tu chartas bene miſce, & ex ordine omnibus diſtribue. Et ad alium converſus, Tu vinum apporta quo moleſtiam hanc exſtinguam. Quum ille nimis ſerum eſſe dixiſſet, Proximæ, inquit, tabernæ fores pulſa, & dic à me peti, verbum ſat erit. Ita me Chriſtus amet ut quis negotii hujus finis futurus ſit ignoro. Ita ſane eſt. Multi ita deſipiunt ut etiam quum ad patibulum proficiſcendum eſt, capillos & barbam tonderi ſibi jubeant: quaſi inde tanto nitidiores ad cœlum evolaturi. Tandem concatenati à regio quodam Commiſſario per præcipuas urbis plateas Hiſpali educimur, magna paſſim concur-

Præpoſteræ in morte cura.

rente

rente hominum multitudine, & muliebri ſexu fortunam noſtram commiſerante. O ſi vidiſſent qui ante nos viderant! Ex leonibus agnos factos juraſſent. Mihi nulla res majori fuit dolori, quam quod mater mea mei ut nunquam nati plane fuerit oblita. Quod ſi ipſa in tali ſtatu aſpicere me non ſuſtinuiſſet, numquid tamen æquum fuerat ut ex iis quæ ad ipſam congeſſeram bonis vel tenue mihi viaticum largiretur? Sed fortunam ſequitur fides, etiam inter parentes & liberos. Multa ego inter viam animo meo conſiderabam; in primis autem futura vitæ meæ ratio oculis obverſabatur. Paucorum dierum itinere ad pagum quemdam Teſte nomine pervenimus, ibique pernoctavimus. Mane egreſſi videmus ruſticum juvenem porcellorum à lacte adhuc recentium gregem verſus civitatem ad forum agentem. Capto conſilio, aciem quaſi in mediæ lunæ formam diſponimus, non aliter ac ſi nobis jam cum Turcia claſſe confligendum eſſet; cornua deinde ita claudimus atque adducimus ut totum gregem includeremus. nec mora. ad prædam, quaſi capta urbe, properamus fruſtraque vociferante & quiritante ruſtico ſinguli pinguem aſportamus porcellum. Adit ille Commiſſa-

rium,

rium, obteſtatur ut rapinam reſtitui jubeat. negat ille in poteſtate ſua id eſſe: ſibi de re tota nihil conſtare (conſilio enim noſtro intellecto longius à nobis diſceſſerat) leberide nos eſſe nudiores: quibus ſi forte Deus prædæ quid objecerit, nolle id ſe nobis eripere. Ad tabernam ubi venimus quieturi pauliſper dum meridiei æſtus deferveret, vireſque potu ac cibo reſtituturi, jubet Commiſſarius (quamvis bello non interfuiſſet, prædam tamen nobiſcum partiturus) ut unus de porcellis illis ſibi aſſaretur. Magnus inde inter nos ortus tumultus, qum quiſque ſuum ſibi ſervare ſatagit. Occaſionem hanc inſinuandi me captans, accedo hominem, ultro prædam meam offero: addo præterea jam ab adoleſcentia me culinariæ artis non eſſe imperitum. quod ſi compedes mihi demi jubeat (quod ſine periculo fieri poſſit, ſiquidem diligenti cuſtodia eſſemus circumſepti) velle me ejuſmodi ferculum apparare quod ipſum Jovis cerebrum ſaperet. Laudat ille animum meum, demtiſque compedibus, addito cuſtode, jubet artis meæ periculũ facere. Etſi vero vix quidquam in loco illo ad manum eſſet quo cibum facerem ſapidiorem; priſtina tamen mea uſus peritia, porcellum ita apparavi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ravi, talique condivi embammate ut digitos ille ſibi prælingeret. Venerant interim in diverſorium viatores aliqui, quibus valde moleſtum erat quod in nos incidiſſent: ut qui vix ſalvis auribus à nobis evaſuros ſe non fruſtra timebant. Invitat illos humaniter ad ſe Commiſſarius, & in eadem menſa aſſidere jubet: quod quidem illi non inviti fecerunt. Eorum unus ſarcinulam in qua caſeum, panem & carnium aliquid portabat, infra menſam pedibus ſuis apponit, & depromto inde quantum volebat edulio comeſſatur. video juxta aliam ſacrinulam ex eo genere quas Valigias vocant: ratus in ea aliquid amplius ineſſe quod uſibus meis valde futurum eſſet commodum. Adſtans inde ad heri miniſterium, polubrum aqua frigida plenum refrigerando potui ſub ipſam quoque menſam pono, cultelloque in ſiniſtram manicam abſcondito, dum frequenter lagenam ex aquali depromens, me inclino, fibias ſolvo; ſed quum catenula ſolvi non poſſet, cultello per interius corium cæſim ducto, inſerta manu duos extraho faſciculos graves admodum. quibus in caligas meas propere conjectis, fibias rurſus uti prius erant, adduco. Finito prandio, ſurgunt viatores, & reſumtis ſarcinis abeunt.

Cavete viatores.

unt,

unt. nos quoque. Jam ſocius meus Sotus cum quo prius fueram concatenatus, alium habebat, magna cum mea moleſtia, ut cujus conſilia & operam ad celandum furtum mihi valde opportunam fore arbitrabar. Antequam ergo compedes mihi induerentur, accedo hominem,& ſecreto meo auribus ejus inſuſurrato, utrumque ei faſciulum cuſtodiendum trado:ne forte viatore, animadverſo furto, nos perſequente, id apud me deprehenderetur: quod tamen mihi ipſi inſpicere nondum licuerat. Lubens ille volenſque depoſitum accipit: occiſoque occulte ſuo porcello, faſciculum utrumq; indit, ita appoſitis ad vulneris locum viſceribus ut furtum facile occultaretur. Quum res jam inibi eſſet ut compedes mihi rurſus injicerentur, rogo Commiſſarium ut priori meo ſocio conjungerer: quod ille non garvate fecit. Sic combinati more ſolito facimus iter. Interrogo Sotum, ſalvumne eſſet depoſitum. Quod depoſitum? inquit ille: quas tu mihi fabulas narras? An tu inſanis? Non ex malitia hæc ſed ebrietate potius. (paullo enim largiuſculè homo temulentus de ſuo in diverſorio ſe invitaverat) reſponderi exiſtimans, poſtquam in proximum diverſorium pervenimus, iterum quæro quid depoſito illo factum

Si feciſti nega.

factum eſſet. Tum indignari ille, caperata fronte & vultu tetrico me obtueri. Quod tu, inquid, mihi narras depoſitum? Tune ullum teruncium mihi umquam credidiſti? quem ego hominum poſtremiſſimum vix de facie quidem novi. O quam grave vulnus tum animo meo fuit inflictum, quum in ingenioſo & felici furto operam & oleum periiſſe mihi viderem! Sed artium quibus hodie vivitur non ignarus, diſſimulabam dolorem; immò multo liberalius ipſi quam antea, quidquid habebam communicabam: interea tamen fieri non poterat quin aliquando mentionem tantæ perfidiæ injicerem, ad quam ille, homo impotens & iracundus, ita exarſit ut ad vociferationem ipſe Commiſſarius accurrerit, hominemque fuſtibus non perfunctorie cædi juſſerit. Roganti quid rei eſſet cur ſic ille vociferaretur, reſpondi, Sotum ſibi vindicare omnia, mihi nihil relinquere. Sic enim cogitabam: Si rem totam Commiſſario aperis, ſpes eſt ſi non totam prædam, ſaltim partem ejus ad te redituram. Quid autem tu feras tam turpiter te ac nequiter ab impuro homine deludi? Narro ergo rem totam: ille prædam ſpe jam devorans, Soto imperat ut ſine ulla mora aut tergiverſatione depoſitum promat. Negat ille

Fur major minorem ſpoliat.

ille pertinaciſſime quidquam à me habere. Sed fidiculis jamjam admovendus mox rem omnem fatetur. Sic ergo non præda tantum ſed ipſe quoq; porcellus ad Commiſſarium rediit; ſic ut quidnam illud fuerit ego ipſe adhuc neſciam; promiſſis, ſed ne teruncio quidem onuſtior à Commiſſario dimiſſus. Quum vero Sotus quaſi totus extra ſe poſitus ubicumque me poſtea propinquum videret, involare mihi in oculos, longinquum etiam lapidibus impetere niteretur, nihil aliud inde lucri fecit quam ut injectis quoque manicis tanto eſſet miſerior.

Inter has turbas ad claſſem, quæ contra Turcas expeditionem factura, in procinctu ſtabat, perventum: in quam dum diſtribuimur, infauſta mea ſors voluit ut ego & Sotus eidem navi, & quidem locis admodùm vicinis imponeremur. Dum imus, venit ad me Commiſſarius noſter, ſeque gratum fore erga me ait: ſed mox conſcenſo mulo abit. Equidem tum factum meum damnabam, quod illi potius quam miſero meo ſocio præda ceſſiſſet. Sed ſpes me fefellit, ut qui plane mihi perſuaſiſſem, ſi non maximam ſaltim, aliquam prædæ partem ad me redituram. Ad ſcamnum in quo ſedendum mihi erat ducto veterani

O gratum hominem.

rani

rani adventum gratulantur: cujus humanitatis lubenter ego illis gratiam feciſſem. Dantur inde nobis veſtes, nempe bina induſia, binæ caligæ, una interula colorata, pileolus, non quidem ille libertatis, ſed miſerrimæ ſervitutis indicium & pignus. Adeſt mox tonſor, mihique capillos omnes tam barbæ quam capitis abradit, non ſine magno meo dolore, ut qui hactenus tam barbam quam capillamentum maximo ſtudio educâram atque ornâram. Sed quum idem omnibus fieri viderem communem fortunam recuſare nec poteram nec debebam. Quacunque oculos verterem, nihil certe niſi omnium malorum ſentinam & miſeriarum videbam aſylum, ut verum tamen fatear, quando prioris mei recordabar matrimonii, præſentem meam fortunam illi quodammodo præferebam: utpote ſi non corpori, animæ tamen ſaluti magis profuturam. Ad remos alligamur, diaria ſumimus, Deus bone, quam à priſtina mea vita abhorrentia! Delicatus initio eram: ſed mox uſu didici, Optimum condimentum eſſe famem, & ventri famelico nullum cibum gravem. Eant iſthuc quicunque ita ſunt educati ut panem ab aliis tactum aut leviter unctum guſtare, immò ne aſpicere

Præcipuam fortunam ne poſtula.

Delicati & Faſtidioſi.

cere quidem ſuſtineant: qui cibos ita deguſtant ut plura relinquant præſegmina quam bolos comedant. peream niſi biduo aut triduo hic ad aliam victus rationem fuerint aſſuefacti. Mihi quoq; omnia initio valde erant gravia: ſed ubi conſuetudine obdurui, quæ de fleram antea, poſtea ridebam. Quum vero illud in omni mea vita deprehendiſſem, ad res omnes in quacunq; fortuna nullum eſſe præſentius, nullum commodius, nullum magis ſalutare remedium quam pecuniam; & inter tot harpyjas vix fieri poſſet quin mearum veſtium & ſarcinularum quas mecum navi intuleram, aliquid involaretur: venditis omnibus, ducatos aliquot aureos confeci: quos, ne & ipſi mihi perirent, nec apud quemquam deponere, quum alia ratione tuto aſſervare non poſſem (quantum enim fidei penes hominum eſſet genus in Soto jam expertus eram) liberet, interulæ penitiſſime inſutos ita mecum circumgeſtavi ut tam dormienti quam vigilanti tangere eos nemo poſſet quin pectus ſimul mihi tangeret. Erat inter vicinos meos homo ipſius Lavernæ manibus ad furta factus, qui, dicere non poſſum quot modis huic meo theſauro, ſeu potius animæ meæ fuerit inſidiatus. Quoties ille dormienti mihi obrepſit, & ex-

Nihil tutum ob harpijus.

cuſſis

cuſſis pannis meis omnibus, quum ni-
hil quam ulcus illud pectori meo qu
infixum deprehendiſſet, fruſtra ſua
mnes artes conſumſit! Nec enim qu-
quam inde mihi auferre poterat niſi
totum ſimul abſtuliſſet. Diligenter
terim ego rationes fortunaſque m
conſiderans facile intellexi nihil p
mihi faciendum quam ut eorum ni
nobis imperabant demererer bene
lentiam, ejus in primis qui fuſte n
ſingulis momentis tremendus imm
bat. Totus ergo nutum ejus obſerva
nihil prætermittebam quo illum m
redderem propitium, præſtitis quæ
que poteram miniſteriis: quæ quidem
ille non aſpernabatur, vix tamen tri-
verſo me intueri dignabatur oculo: co-
tieſcumq; vero lætiori me vultu aſpe-
rat, jam illũ tamquam plenariam fuſta-
rii indulgentiam & tam à culpa qu
pœna liberationem mihi interpreta
His moribus ſunt hoc hominum ge
ut omnia ſibi, nihil à ſe cuiquam de
exiſtiment. Eo me uſque ego demi
muſcas interdiu, noctu culices ab
abigerem, & medio æſtu flabello
tum facerem: ſic denique ut ponti
alicui Principi ſervirem. Sed co
erat hæc, non ultronea ſervitus.
enim non ſerviret homini fuſtem

Quærendum miſeris aſylum.

er

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

per manibus geſtanti? Quotieſcumque ſomnum capere non poſſet, aderam, & fabulæ alicujus narratione tempus fallebam, aliaque multa ridicula & dicebam & faciebam ut conſuetudine ille mea unice delectaretur. Alium ille jam diu habuerat miniſtrum; quem quum aſpernari inciperet, dici non poteſt quam id ille moleſte tulerit. Sed quid faceret? Ferendum erat quod mutare non poterat. Erat vero homo toto corpore macilentus: quem ipſe herus ſine indignatione vix poterat adſpicere. Quærit ex me: Quid cauſſæ tibi videtur, mi Guſmane, quod Ferminus meus (id enim nomen erat mancipio) quum bene pinguis & craſſus in triremem venerit, tam turpi macie deformis incedat, quamvis nihil ei tam ad cibum quam ad potum deſit, adeoq; nec bolus ſit cujus ego illum non faciam participem? Reſpondi, forte illum eſſe è pullorum Caëtanorum genere, qui quanto melius paſcuntur, tanto minus valent. Ut vero, inquam, nodum hunc plane ſolvam narro tibi, mi domine, Fuiſſe non ita pridem in urbe Granatenſi novum quemdam Chriſtianum, prædivitem: qui ſuo more vivens ſuoque indulgens genio, toto corpore ſingularem nitorem adeoque obeſitatem præferebat. Non multo

Maciei cauſa.

Cc poſt

poſt quum in vicinas ac pæne contiguas ædes quidam ex Inquiſitorum numero commigraſſet, bonus ille ſic ſubito flacceſcere ac macie deformari cœpit, ut vix pellis oſſibus hæreret. Sed ut hujus quæſtionis ſolutio melius intelligatur, veram audi, ſi placet, hiſtoriam.

Faceta Narratio. Almanſori Granatæ Regi inter familiares præcipue gratus fuit quidam nomine Ruſerizius, homo prudens admodum, juſtus & verax, multiſque aliis ornatus virtutibus quibus Regem unice ſibi devinctum tenebat, ut nihil ab eo peteret quin impetraret. Hanc quamvis debitam tot virtutibus felicitatem invidentes quidam aulici, Regi amorem quo virum eum complecteretur ultro prædicanti inſuſurrarunt, Hominem illum qualemcunque tanta Regis benevolentia non dignum eſſe. Quin tu ergo, ajunt, ut ſcias quantum ille te amet, & quanti te imperiumque tuum faciat, rem aliquam difficilem ei mandas. Placuit Regi conſilium. Non ſolum, inquit, rem difficilem, ſed etiam impoſſibilem ei faciendam imperabo; vocatumque ad ſe ita alloquitur: Eſt quiddam quod omnino à te fieri volo: quod tu niſi effectum dederis ſcito omni te mea excidiſſe gratia. Vervecem habeo præpinguem & bene curata cute niti-

nitidum. Eum volo ut tu domi in præſepi tuo abundanter iis ipſis paſcas cibis quibus apud me paſtus eſt. adeoque melius tractes ſi plus ille appetierit : ita tamen ut illum eumdem vertente uno menſe, macilentum mihi, debilem & flaccidum reſtituas. Conditionem hanc recuſare non auſus Ruſeritius (ut cui id unice propoſitum erat Regi bene ſervire & obtemperare) quamvis quod juſſus erat impoſſibile factu videretur, ad lætitiam vultu compoſito, Nullam, ait rem umquam tam gravẽ, tamq; arduam fore quam Regis amore non eſſet perfecturus. Sic domum reverſus, reique, difficultatem etiam atque etiam animo conſiderans, tandem ſagaciſſimo ſuggerente ingenio, aliquid naturæ valde conſentaneum comminiſcitur. Caveas duas ligneas è firmiſſimo ligno fieri curat, & unam proxime alteram collocat. Earum alteri vervecem, alteri lupum includit. Verveci interim paululum uti juſſus fuerat abundanter præbet; lupo vero tam tenue, ut ſemper famelicus dentibus frenderet, & unguibus clathra effringere conans, verveci inhiaret, qui hoſtis tam vicini metu licet pabulum totum abſumeret, non tantum non pinguior, ſed indies etiam macilentior evaſit, vix quidquam ut præter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

oſſa & pellem haberet. Hac arte homo ingenioſus non tantum integram Regis benevolentiam conſervavit, ſed plurimum quoque adauxit. Vervex ille Ferminus mihi videtur; quem ipſa quam tecum habet familiaritas etiam in cibi potuſque abundantia macilentum facit: dum ſcilicet anxie id unum ſtudet ut bene tibi ſerviat: quæ anxietas pingueſcere ipſum non ſinit. Non vulgariter ille nugis his meis delectatus, me ſtatim ſuo adhibuit miniſterio, ſuæ ut tam ſupellectilis quam culinæ mihi curam committeret. Ad id autem profuit mihi hominis familiaritas & apertus in me favor, ut non quidem mancipialibus ſervitiis eſſem liberatus, facerem tamen quid & quantum vellem, quum nemo contra meam quaſi libertatem, plagoſi hominis metu, oblatrare auderet. Inerim docebat ille me tibialia, globulos quibus pro fibiis utimur, tam ex ſerico filo quam ſetis equinis, aliaque id genus conficere. Ad Gaditanam interim mittimur inſulam, ut malos, antennas, picem multaque alia triremi noſtræ inferremus; quod quidem non ſine multo noſtro labore factum: quo defatigatus ego, poſtquam herus cubitum ſe contulit tam profundum mihi ſomnum obrepere paſſus ſum, ut

Artes remigum.

mon-

monſtroſos ederem ronchos, quibus excitatus quidam è vicinis meis lavernio, communicato cum ejuſdem farinæ tenebrione conſilio, datis mutuo operis tam ſolicitè hactenus mihi cuſtoditum theſaurum eripiunt, ne minimum quidem ſentienti. Quum ſol jam illuxiſſet, graves adhuc ſomno tollo oculos: mox interulam circa pectus factam leviorem ſentio. Admoveo manus, tuber tangere geſtio: ſed ſubſederat jam illud, immò totum evanuerat. Quis me miſerior? Lamentari non audebam, nihil aliud lucrifacturus quam reliquorum ludibrium: tacere vero dolor & recuperandi ſpes me non ſinebant. Experrecto hero ad ſolita adſum miniſteria, & captata occaſione infelicitatem meam expono; monſtrato etiam adhuc quaſi calente cubili, è quo nequiſſimi homines leporem mihi excitaſſent. Veriſimilia illi omnia viſa: & ſolo mei amore ductus, furti auctorem indagandum ſibi ſtatuit. Jubet ergo omnes qui proximi mihi ſederant aut cubuerant adduci, & ſingulis quinquaginta ictus infligi; vulnera deinde ſeu cicatrites ſale & aceto lavari. Quum ordo ad illum jam perveniſſet qui illo tempore quo furtum factũ fuerat, vigilârat, ait ille, ſocium ſuũ ſenſiſſe ſe de nocte ſurgentem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

& ad meum ſcamnum accedentem. Quid vero ibi fecerit neſcire ſe. Inſimulari ſe alter ille audiens, neſcio quo caſu intricatam ſibi catenam cum vicino ajebat ; ad quam extricandam atque expediendam ſurrexiſſet. Tam frigidam excuſationem audiens herus, hominem mox abripi, & multo gravius quam ceteros fuſtigari jubet : quas tamen plagas omnes Spartana illa nobilitate concoxit. Ubi verò rurſus abripiendum ſe & crudeli fuſtuario ſubjiciendum vidit, furtum fateri quam ad mortem uſque cœdi maluit. Sic plagis aliquot illi in pœnam denuo inflictis, numi mihi reſtituuntur. Tum conſuluit mihi herus ut quam haberem pecuniam in res utiles collocarem & lucri aliquid facerem. Commodùm non multo poſt in terram exſcenderamus : ubi ego pecuniam omnem meam in res ad victum pertinentes impendi, atque inde non parum lucri acquiſivi, ſic ut pleriſque morte triſtiorem ſervitutem utcumque æquo animo tolerarem.

Non multo poſt venit in noſtram triremem Eques quidam, Capitaneo triremis cognatione junctus : cui uſus auream catenam quotidie collo circumferre. Cubiculum huic in puppi erat, omnibus rebus ſplendide inſtructum. neſcio

vero

vero quo caſu factum fuerit ut duodeviginti annulis catenam deminutam deprehenderit, quod ille furtum etſi ab uno familiarium ſuorum commiſſum non dubitaret, nihil tamen exſculpere potuit. Conſilium vero ei dedit Capitaneus, ut quandiu in navi moraretur, alicui noſtrûm potius quam famulis rerum ſuarum cuſtodiam committeret. Quæritur ergo aliquis: quumque ex omnibus ego maxime viſus eſſem idoneus, non quidem cum bona prioris mei heri gratia, permiſſu tamen (neque enim tam potentibus negare quidquam audebat) in puppim transferor, ad & Equitem deductus, tam vultu quam ſermone ac ceteris moribus facile iis quæ de me dicta fuerant fidem feci. Quum vero ille catenis me ſic oneratum aſpicere vix ſuſtineret, cum Præfecto egit ut catenis liberatus, annulum tantum crure circumferrem, quo expeditior ad quævis eſſem miniſteria. Mox ergo ſuam omnẽ ſupellectilem & mundum, facto prius Indice, mihi tradit: quæ omnia diligenter ego aſſervabam & cuſtodiebam. Et ipſe quidem non minus ſibi à famulis ſuis timebat quam ego. Difficilem certe & periculoſam valde tum meam fuiſſe conditionem quivis poteſt intelligere. Quid enim facilius futurum erat quam

Subtilis Laver-nio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ut illi ſurriperent aliquid de quo mihi reddenda poſtea eſſet ratio? Sed Argus eram, & quidquid ſub cuſtodia mea habebam non minus diligenter quàm ille bonam Io obſervabam. Laborioſa quidem hæc mihi erat provincia, jucunda tamen, quod eſſet interdũ unde miſeris meis ſociis benefacerem. Cum Soto enixe in gratiam redire contendebam, ſed ab homine iracundo, & tam præfractæ mentis quam perfrictæ frontis impetrare nihil potui. Bene ego ipſi, male ille mihi volebat, & ubicunque poterat, faciebat quoque, me meaque omnia patrata & non patrata facinora apud omnes traducens atque infamans. Surdis hæc ego auribus accipiebam: neque adduci potui ut umquam in ipſum excandeſcerem, aut male de ipſo quoque loquerer. Unica cura mihi erat hero impigre ſerviendi, ejuſque demerendi gratiam, quæ mihi ad libertatem recuperandam forte poſſet eſſe utilis. Veſtimenta, ſupellectilia, lectus, cubiculum, omnia denique ita nitebant ut ſine admiratione adſpici non poſſent. vix veſtigium pulicis, cimicis, & id genus animalculorum quibus naves maxmè infeſtantur, apparebat. tanta ego in iis venandis & eorum nidis ac cubilibus excutiendis utebar diligentia. Sed non

Perverſorum hominum empia pertinacia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

non minus accuratè Sotus me, quam ego herum obſervabat. Applicat ſe ad unum ex miniſtris, eique modis omnibus perſuadere nititur ut argenteæ aliquid ſupellectilis clam ſubduceret, interque res meas abſconderet: ut id poſtea apud me deprehenſum furti me reum faceret. Ajebat vero hanc optimam eſſe rationem, me eliminato, ad conſueta ſervitia viam rurſus apperiendi. quam dura res eſt odio haberi ab illis à quibus antea amatus fueras! Sapientiſſimum monitum illud reipſa intellexi, Neminem ita habendum amicum eſſe quin inimicum; nec quemquam tam inimicum, quin amicum fieri poſſe credamus. Placuit homini conſilium. Per occaſionem argenteum ſubducit diſcum, & intra res meas abſcondit. Finito prandio menſæ apparatum recenſens, quum diſcum illum abeſſe viderem, in eoque quærendo nihil ad ſummam diligentiã reliqui feciſſem, hero rem omnem aperio, ut accuratius perquireretur. Nec Capitaneus nec herus quidquã mali de me ſupicabantur: Sotus vero interim & per ſe & per emiſſarios ſuos omnibus ſuggerebat, neminem alium furti eſſe auctorem quam meipſum. Veteres has meas artes eſſe ut furer ipſe, ſuſpicionem furti in alios derivem. In primis minſter ille

Amicitia ut habenda.

quem à Soto inductum dixi, igni ſtrenue affundebat oleum ſuadens ut arculæ meæ excuterentur. Jubet hoc fieri herus: & ſine longa perquiſitione reperitur amiſſum. Vix ego mentis compos eram; & quamvis innocentiam meam mea ipſius mihi teſtaretur conſcientia, vix tamen oculos attollere audebam. Jubet ſtatim Capitaneus ut quinquaginta plagæ mihi infligantur; ſed heri miſericordia & interceſſio pœna me liberavit: qui flebiliter orantem ut provincia illa mea alteri traderetur, retinere nihilominus in ſervitio ſuo voluit. Fraudem equidem qua circumventus eſſem facile ſubolfaciebam; unde autem illa eſſet, ſuſpicari quidem, probare non poteram. Miſerum me! ſiccine tot ſuperioris meæ vitæ flagitia impune mihi abiiſſe, jam verò innocentem non commiſſorum inſimulari? Sed ut ſurgerem, cadendum mihi prius erat. Non multo poſt quum hero reverſo occurriſſem, moxq; humeros ejus pallio exoneraſſem, latus gladio liberaſſem, & pro pileo diurno nocturnũ porrexiſſem, exuvias diligenter collectas ad cubiculum defero, & ſuis quæque locis repono. Mane quùm ſurrexiſſem, video pileum in ſolo jacentem (quo vero caſu ille delapſus ſit, comminiſci nunquam potui: niſi quod à malo genio dejectum

Innocens quoque damnatur.

Nulla calumitas ſola.

jectum arbitror, ut planiſſime me perderet:) Tollo. armillam, quæ precioſa valde, utpote gemmis diſtincta fuerat, quæro. Sed fruſtra. Mortuo ego tum magis quam vivo ſimilis, hero hoc quoque ſiniſtrum meum fatum indico. Ille, ſcio, quam rem agas, peſſime, inquit: nempe ut ad prioris heri redeas ſervitium. Sed mihi crede, non ſic erit. Quamdiu namque hac in navi verſabor, mihi tu, & non alii cuiquam es ſerviturus, & pro diario tuo quinquagenas plagas quotidie accepturus. Faxo ego ut quo dignus es ponare loco. An mea illa in te comitas ab uſitatis jamdiu tibi flagitiis retinere non potuit? Nempe Guſmanus es Alfaracius? quod unum ſatis. Quid facerem? Negarem factum? Atqui ſi vel ipſum dixiſſem Euangelium, non plus tamen fidei quam ipſi Mahometo mihi datum iri ſciebam. Tacui igitur. melius ſiquidem eſt tacere quam verba nihil profutura loqui: optimum vero apud Deum gemitus tuos & querelas deponere. Equidem Deo agebam gratias, eundemque ardentibus deprecabar votis, ut me ex hominis ex amico repente facti inimiciſſimi manibus liberaret. Sic fuſtuario iterum ſubjectus, ita cædor, ita ſale & aceto perfricor ut anima mea jam in primis labris hæreret. Non tulit

Tuta fides ſilentii.

hoc ſpectaculum homo mitis cetero-quin & placidi ingenii ; & ulterius in me graſſaturos lictores cohibuit : juſſit tamen ut tranſtris redderer, & ibi ab Ergodiocte, cui id aperte in mandatis datum, plagis ad necem uſque quotidie excarnificarer: quod ille prioris humanitatis oblitus, ſtrenue faciebat, adeoque in tota fere navi majorum mihi laborum curam demandabat. Enitebar ego ſedulo ut quidquid imperatum fuerat effectũ darem. Hoc quidem tum ſenſi, Uſum omnium rerum optimum eſſe magiſtrũ: ſed plagoſam ejus diſciplinam ægre admodum tuli. Obfirmavi tandẽ animum; eoque in conſilium adſcito, ſtatui poſthac ne transverſum quidem unguem à rectæ rationis officio diſcedere.

A malis non niſi mala.

Sotus ille quem dixi, non ideo ad remos condemnatus fuerat, ut eleemoſynas ibi faceret, aut infidelibus Euangelium prædicaret. Miles fuerat à primis annis: eoque multas regiones obiverat. Nobis igitur in Mediterraneo mari fluctuantibus, & jam per tempeſtatem jam per malaciam Mauritaniæ litori appropinquantibus, cum ejuſdem gentis mancipiis & ſuæ farinæ hominibus impiæ Tragœdiæ telam exorſus eſt, ut ſcilicet triremem & omnes qui in ea eſſent Barbarorum poteſtati traderent. Eam in

rem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

rem qui in factionem procliviores erant, jam arma ſibi comparaverant, & clam ſub tranſtris habebant abſcondita. Quia verò ſine me, ut cui præcipuorum miniſteriorum incumbebat cura, parum ſe effecturos animadvertebant: conſilium ineunt de me in partes ſuas pertrahendo, omnibus cenſentibus me ab ejuſmodi conſilio nequaquam fore alienum. Sotus per internuncium (neque enim ipſe alloqui me ſuſtinebat) rem omnem aperit. Reſpondi, Rem eſſe magni momenti, in qua ſalus omnium verteretur. Opus hic eſſe non perfunctoria deliberatione. Internuncium interim, Mauritanum natione, rogavi ut mandata inter me & Sotũ ultro citroq; fideliter deſerret. Quum totius conjurationis ſeriem intellexiſſem, ipſo æſtivo ſolſtitio militem quemdam ſubmonui, ut triremis Præfecto indicaret, habere me res magni momenti quas lubenter ſoli vellem aperire. Vocat ille me, rogat quid rei ſit. Aperio totam conjurationis ſeriem. Fidem initio ille dictis meis habere noluit: ſed ſubito facta inquiſitione, & deprehenſis armis, gratias Deo egit, mihi vero & libertatem & ampliſſima præmia promiſit. Inquiruntur rei, damnantur. differtur in diem ſequentem ſuppliciũ. Deus innocentiam

Malum conſiliũ conſultori peſſimum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

meam diutius latere noluit. Dum enim capſula quædam aperitur, ut ex ea vexilla malis & antennis pro more diei feſti & inſignis ob patefactam conjurationem lætitiæ, ſuſpendenda depromerentur; nidus murium deprehenditur, ex armillæ de pileo heri mei, ut ſupra dixi, amiſſæ materia factus: qua agnita, mirum eſt quam & ipſe Capitaneus & inprimis herus ille meus injuriam mihi factam doluerint. Sed nihil aliud ſolatii mihi audire erat quam: Neſcivi. Factum nollem. Interea Sotus quoque ad mortem damnatus, peccatorum exomologeſi facta, inter alia non fraudem tantum qua furtum argentei diſci mihi imputatum fuerat, verum etiam inſidias de me occidendo faſſus eſt; culpam apud me deprecatus. Miſerebat me quidem hominis: gaudebam tamen innocentiam meam vel ſic tandem in lucem emerſiſſe. Ex eo nemo erat qui non libertate adeoque ſingulari præmio dignum cenſeret, inprimis ipſe Præfectus; qui diligenter ſcriptis ad Regem omnibus, facile libertatem mihi impetravit.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT V.

Guſmanus ſervitute liberatur: deque virtutis vi diſſerit.

DUm Sotus cum ſocio in quatuor laceratus partes, quinque alii laqueis ſuffocati, nonnulli virgis cæſi meritas luunt pœnas: liber ego Capitanei permiſſu, oberrabam. Vigilanti, dormienti multæ occurrebant cogitationes. Sed illud inprimis tum intelligere cœpi quam præſens eſſet in miſeriis omnibus aſylum, quam firmum contra omnes neceſſitates telum innocentia. Inter res omnes, meo judicio, nihil melius, nihil precioſius, nihil jucundius eſt bona conſcientia: quæ vere, ut Sapiens dicit: *Iuge eſt convivium*. Senſi ego vim utriuſque, bonæ ſcilicet & malæ conſcientiæ, non ſemel; ſed maxime in extremis ſervitutis meæ miſeriis. Ut antea dum rebus operam dabam illicitis, etiam quum, humano more ut loquar, bene mihi eſſet, animo tamen male erat; ita tunc culpæ immunis, vel in medio Phalaridis tauro, bona tantum mea conſcientia involutus, ſuaviter vivere adeoque triumphare mihi videbar. Agnoſcebam vim virtutis: quæ una (loquor verò de ea quæ cum vera pietate con-

Bonæ vis conſcientiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

junćta eſt) adverſis rebus præbet ſolatium, & animum ſupra humana attolit. Cæcus interim eſt Mundus, & de quibuſvis rebus cæcorum more judicat. Laudat multos à conjecturis exterioribus, eo quod vitam agant auſteram: animum interim tam mali quam boni fontem non videt. Multi ſericis & byſſinis veſtibus aſperrima circumferunt vitia, mollibus lectis incubant, delicatis veſcuntur cibis, & deorum quaſi vitam agere videntur: quibus tamen, ſi animorum daretur inſpicere penetralia, felicitatem hanc nemo invideret. Inſtat illis carnifex aſſiduus mala conſcientia, & ut Democli illi omnium deliciarum oblivionem adeoque faſtidium affert. Umbram hi, non ipſam virtutem ſectantur: neſcientes *quid diſtent æra lupinis*. Solidum quid virtus eſt, non inane. Hinc quæcumque, ſeu læta ſeu adverſa Fortuna,

Fallunt externa.

Fragili quærens illidere dentem,
Occurret ſolido.

Horatius.

Inſtar palmæ virtus eſt: quæ quanto magis deprimitur, tanto magis ſeſe erigit. Et profecto ita eſt. Proſperis rebus enervatur fere in pleriſque virtus; adverſis roboratur. In me id veriſſimum ſenſi: quem niſi Deus tot calamitatibus excitaſſet, procul dubio in vitiorum obdormiviſſem veterno, *Quid ni ſatius ſit* (cum

Latino

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Latino Sapiente loquar) *perpetuam infelicitatem quæ advocat ad virtutem, ſuſtinere, quam infinitis atque immodicis bonis rumpi?* Sed quem melius de Virtute ac veris bonis diſſerentem audiamus, quam hunc ipſum Sophum? *Puta Deum dicere: Quid habetis quod de me queri poſſitis vos quibus recta placuerunt? Aliis bona falſa circumdedi; & animos inanes velut longo fallacique ſomnio luſi. Auro illos, argento & ebore ornavi: intus boni nihil eſt. Iſti quos pro felicibus adſpicitis, ſi non quà occurrunt, ſed quà latent videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas, cruſta, eſt & quidem tenvis. Itaque dum illis licet ſtare & ad arbitrium ſuum oſtendi, nitent, & imponunt: quum aliquid incidit quod diſturbet ac detegat, tunc apparet quantum vitæ ac veræ fœditatis alienus ſplendor abſconderit. Vobis dedi bona certa, quanto magis verſaveritis atque inſpexeritis, meliora: majoraque promiſi vobis, metuenda contemnere, cupienda faſtidire. Non fulgetis extrinſecus: bona veſtra introrſus obverſa ſunt. Sic Mundus exteriora contemſit, ſpectaculo ſui lætus. intus omne poſuit bonum. Non egere felicitate, felicitas veſtra eſt.* Idem alibi inter virtutem & voluptatem ullam comparationem inſtituendam negat,

Cur bon. vir. mal. acc. c. 6.

gat,

De vita beat. c.7.

gat, ajens: *Altum quiddam eſt virtus, excelſum, regale, invictum, infatigabile; voluptas humile, ſervile, imbecillum, caducum, cujus ſtatio ac domicilium fornices & popinæ ſunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in Curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus; voluptatem latitantem ſæpius ac tenebras captantem: circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædile metuentia, mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollinctam.* Quis de Virtute aptius meliusve diſſertare poſſit? Sed ut metalla quædam auri colore tingi poſſunt atque obduci, in ſubſtantiam tranſmutari non poſſunt; ita ſunt imagines quædam ſeu Umbræ Virtutis, nihil præter ſpeciem habentes. Nihil certe ſolidi in me fuiſſe, ſequens tibi paucis oſtendet Narratio.

CAPUT VI.

Hiſtrionibus ſeu Comœdis ſe applicat Guſmanus, & multas regiones pervagatur.

Ex Orci liberatus faucibus, pertæſus patriæ, in Galliam ſum profectus, cum firmo mutandæ in melius vitæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

vitæ propoſito. Sed ut res unaquæque ad centrum ſuum tendit, ita animus meus totus terrenis rebus occupatus nihil cœleſte aut divinum ſapiebat. Nihil de hoc hominum genere libet dicere: certum tamen eſt, ſi non omnes, pleroſque tamen ſuis tantum militare cupiditatibus. Eram vero toti Collegio, quod diverſis nationibus conſtabat, optatus admodum ſocius. nam & cithara ſatis peritè ludebam, & Italicè, Hiſpanicè, Latinæ, Gallicè etiam (ut Latinam linguam taceam) loquebar: tum ad omnes perſonas agendas eram habilis. Id unum mihi perplacebat inquieti ingenii homini, quod nullibi diu moram traheremus: unde factum ut pleraſque totius Europæ regiones, Germaniam inprimis fuerim pervagatus: in quibus ſingulis multa notavi quæ peculiarem requirunt librum. Bellum tum in Belgio fervebat, unde pleraque itnera admodum erant infeſta. Jam Choragus noſter uxorem cum ſarcinulis Monaſterium, Weſtphaliæ præcipuam urbem, præmiſerat. Ingredimur & nos iter, in quo quum à prædonibus ac lopodytis circumventi eſſemus, viriliter tamen repugnaremus, Choragus noſter ſolus cecidit, & uxorem viduam reliquit: quæ jam dudum in me oculos

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

conjecerat, eoque tanto facilius me meo hero ſucceſſorem admiſit. Quum vero ob belli miſerias & annonæ caritatem officina noſtra frigeret, & dramata noſtra paucos haberent ſpectatores; non diu ibi morati, per Haſſiam Francofurtum contendimus, ut in nundinis ibi merces quoque noſtras exponeremus. Quum bene admodum ſucceſſiſſet hic negociatio: reliquas etiam urbes primarias, Norimbergam, Auguſtam, Ulmam, & quas non? obimus. Accidit nobis in itinere quiddam, quod ſilentio præterire non poſſum. Dum exhauſtis pæne crumenis vagamur, occurrit nobis homo pannoſus, ſtatura ac vultu decorus, ſtipemque à nobis petit. Statim mihi in mentem venit non illepidum ſtratagema. Quæro ex homine, an noſtro velit Collegio ſeſe adjungere, id ſi faceret, fore ut ſplendido veſtitu amictus incedat, adeoque Comitis perſonam ſuſtineat. Exſultans homo gaudio, conditionem, etiam quamcumque ei perſonam imponeremus, accipit. Jubeo Comicum reſerari apparatum, & abjectis pannis, hominem uno de ſplendidioribus veſtitu induo. addo catenam auream, annulos, & cetera, quibus ſtultorum natio Mundo inſervientium ſeſe oſtentat. Leodium ingredimur, urbem ambi-

ambitu ampliſſimam, amœniſſimam ſitu, opibus locupletẽ. Non hiſtriones nos aut Comœdos, ſed magni Comitis (qui ille ipſe erat novitius) familiam mentimur. Ille, uti juſſus erat, ſingularem tam vultu quam moribus præ ſe ferebat gravitatem, non verbis ſed nutu imperans, ad ſingula quaſi faſtidiens, atque ita ſe gerens ut primariæ Nobilitatis germen dixiſſes. Biduo inter tantam gravitatem tranſacto, quærimus ex hoſpite de mangone aliquo, cui precioſæ res venales eſſent. Ait, notum ſibi hominem, qui vel Regi ſufficientia haberet Cimelia. Adducitur quidam è mangonum genere, merces ſuas, ſpintheres, armillas è gemmis & margaritis factas, varii generis cimelia oſtentat. Fingo illa ad Comitem menſæ aſſidentem, & ſingulari morum gravitate tuburcinantem me ferre: mecum tamen ſervo. Redeo ad hominem, ſalva quæque & integra refero. Ajo, herum jam aliquantulo plus genio indulſiſſe. de emtione certi jam nihil cum ipſo ſtatui poſſe. Rediret poſt horam unam aut alteram: interea ſua ſecum aſportaret. Ille qui Aulæ me præfectum putabat, aſſervare interea jubet. (incivile enim videbatur tantæ dignitatis hominibus fidem non habere) & ſingula excutere. Primo veſpere *Rari hodie tales.*
ſeſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

ſeſe rediturum. Non ſpe jam prædæ, ſed ipſa præda manibus meis objecta, ſociis quid faciendum ſit innuo. Jam Comicus ille Comes potu cibóque ita ſe onerârat, ut ſomno ſibi opus eſſe diceret. Componimus hominem in lectum. mox, ut fit, alii aliò properamus, in publicum prodimus, urbem, uti hoſpes putabat, luſtraturi. Adveſperaſcit interim. redit mango. quærit de Comite. Altum adhuc ille ſtertebat: quum verò noſtrûm nemo rediret (jam enim nos Ambianum verſus iter ingreſſi eramus) & ille horam fere exſpectaſſet, jubet excitari Comitem, & utrum de Cimeliis emere aliquid vellet, quærit. Negat ille de Cimeliis quidquam ſibi conſtare. Quæreret ex Aulæ ſuæ Magiſtro quidnam rei illud eſſet. Ille verò jam Pegaſeis avolârat alis: nec quiſquam ex omni famulitio comparebat. De fraude igitur ſuſpicati, homini manus injiciunt: fatetur ille rem omnem: & in carcerem compactus, ſimplicitatem hanc ſuam virgis cæſus luit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

CAPUT VII.

Guſmanus uxore ducta, cauponam exercet, & ab Alchymiſtis miſere deplumatur.

HIs aliiſque onuſtum ſpoliis jam hiſtrioniæ tædere me incipiebat. Diviſa igitur inter collegas prædæ parte, cum uxore quam interea ſolenni ritu mihi junxeram, magis ſtabile vitæ ſtabulum mihi conſtituere ſtatuo. Ex omnibus vitæ generibus commodiſſimum mihi viſum erat Cauponam exercere: quod eas omnes artes quibus opus eſt, tam longa peregrinatione ad unguem perdidiciſſem. Nec quidquam ſane ad hoc vitæ genus uxore mea erat aptius. Inter omnes regionum laudes poſtrema certe non eſt hoſpitiorum ſeu diverſoriorum commoditas: quæ qualia eſſe debeant non diſputo; qualia ſint, cum Eraſmo, cum Lipſio, tecum etiam, mi Lector, fortaſſe non ignoro. Qualis vero ego fuerim hoſpes paucis indicabo: tu, an multi tales ſint, judicabis. Omnes ego tamquam Orcus ad me receptabam, præter eos qui ultro paupertatem ſuam fatebantur, & ob Dei amorem vel unius noctis diverticulum quærebant. Non lixa, non calo, non me-

Diverſoriorum mores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

meretrix, non prædo, non latro mihi gravis erat, modo adferret unde ſumtum poſſet facere. Fieri patiebar quidquid fieri poteſt, ſi argenti ſonitus aures meas verberaſſet. Etiam ipſa uxor mea talis erat uti ultro hoſpites non alliceret modo, ſed etiam tamquam Ulyſſis ſocios, guſtata loto, quamdiu crumenæ fides conſtabat, detineret. Nec ancillæ deerant earum omnium artium peritæ quibus homines ineſcantur. Famulos habebam ad omnem fraudem compoſitos: quorum opera ad omnes res mihi erat utilis. Vinum miſcebam, diluebam, itaque adulterabam ut quamvis nautea prius fuiſſet, pleriſque tamen nectar videretur. Duplici utebar menſura, juſta interdiu, injuſta noctu, quin etjam tenuiſſimum ſindonem cantharo injiciebam (fieri hoc memini) cui ſuperinfuſum vinum mihi cum lucro ad cellam redibat. nec jumenta fraudes meas vitare poterant, quibus famuli affuſum pabulum mox ſublegebant, rurſuſque aliis admetiebantur. Carnes etiam morticinas, piſces jam fœtidos, & quidquid ad manum erat, hoſpitibus tamquam delicias objiciebam. Sed nihil magis rem meam familiarem auxit, quam quod coëmto undique à ruſticis frumento annonam flagellabam, & quæ vili

vili emeram precio, maximo diſtrahebam. Quid multa? Brevi tempore inſtitoriis meis artibus multa ducatorum millia confeci, tacite in ſinum meum gaudens, palam etiam iis qui dum Muſarum ſectantur caſtra vix habent unde famelicam vitam ſuſtentent, medium oſtendens digitum.

Sed ecce dum rex mihi videor, dum Crœſi quaſi poſſideo theſaurum, neſcio quis malus genius aliud mihi objicit infortunium. Venerant ad me unus & alter, bene veſtiti, & tam auro quam argento inſtructi. Rogant ut pauliſper ſibi commorari mecum liceret, ejuſmodi enim eſſe quod tractent negocium ut dierum aliquot moram poſtulet. Quidnam illud eſſe ſcire mihi cupienti varia oſtendunt inſtrumenta, tum libros mirificis characteribus conſcriptos. Facile intellexi Chymiſtas eſſe: & ipſa natura curioſus, rogo ut ſi non ſecreta, prima tamen artis ſuæ rudimenta mihi patefacerent. quod illi non gravate fecerunt, ita ut varios liquores è quacunque materia eliciendi artem brevi ab eis didicerim. Hac velut promulſide illecto perſuadent illi mihi, Aurum ſe è reliquis metallis poſſe facere:eaq; edunt vidente me ſpecimina, ut de rei veritate nequaquam dubitarem. Quid vero Auri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

cauſſa non facerem ? Totum me illis addico. Statuitur fornax, comparantur inſtrumenta, inflantur folles, miſer Mercurius fictili vaſi quaſi ſudatorio includitur: me & ſumtus ſubminiſtrante, & operam quoque ubicumque poſſem impendente. Quum autem aliquando negocii cujuſdam cauſſa peregre eſſem profectus; nequiſſimi illi homines, qui diligenter hactenus omnia notarant, uxorem meam ſolam nacti, ciſtæ in qua omnis mea aſſervabatur pecunia, reſerare cogunt, auferunt vidente illa, & fruſtra (globum enim in os ei injecerant) vociferari geſtiente cum pulviſculo omnia, atque ita vincta illa relicta, abeunt atque excedunt: quæ quidem ex ea re tantum concepit dolorem ut in lethalem inciderit morbum, & intra paucas horas fuerit exſtincta. Domum ego reverſus ubi vacuum inveni ærarium, uxorem mortuam, res ſpeſque meas omnes ablatas, caſum hunc quidem meum acerbiſſime tuli, mox tamen in conſilium advocato animo, nihil melius facturum me putavi quam ſi qui primitias ætatis meæ Mundi conſecraram vanitatibus ejus extrema ſaltim Deo ac veræ pietatis exercitiis dicarem. O infelicem te (ſic apud me cogitabam) inſipientem ac plane perditum, Guſmanum!

An-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Annon tot annorum experientia, tam multi proſperi atque adverſi caſus ſatis tibi perſuadere potuerunt, Vana eſſe quæcumque ſub ſole ſunt? Quid enim non expertus es, quodnam vitæ genus non es ingreſſus, quæ pericula non adiiſti, quas miſerias non ſuſtinuiſti, ut corpori tuo eſſet melius? Elanguit interim, & quaſi captiva gemuit anima tua, tot fœda peccatis, tot percuſſa calamitatibus, tot diſtricta anguſtiis, tot lacerata cruciatibus, ut nihil aliud quam interitum exſpectet. Tandem, tandem evigila Guſmane; & rem precioſiſſimam, immo omnibus Mundi theſauris precioſiorem in tuto colloca. Noli amplius divina abuti patientia: quæ ut ad pœnitentiam te invitat, ita diu moranti graviora ſtatuet ſupplicia.

CAPUT VIII.

Guſmanus relicto Mundo in eremum ſe confert, & reliquos annos divino cultui impendit.

SUggerebat hæc animo divinus ſpiritus, carnem interim mundanæ ſtimulabant cupiditates: quas malorum hominum conſortio incendi non igno-

rans, in eremum conferre me ſtatui. Vitares, inquis, malorum conſortia. Quomodo vero ego aut quiſquam alius hoc facere poſſit? Ubi non illi? Etiam qui boni videntur contagionem afferunt. Nihil ergo jam mihi placebat præter ſolitudinem: in qua dum oberro, & inter cogitandum in has voces erupeſſem: *Quo ego ibo?* vocem audio: *Ad pœnitentiam eas*. Territus circumſpicio: Eremitam video è caſula ſua erepentem. Dubitantem ille me humaniſſimis verbis compellat, &, Mi fili, inquit, cujus tu vocem audiſti ego ſum. Nota mihi eſt præſens tua cura & ſollicitudo. Viam quæſiviſti quam ineas, oſtendi tibi. Pœnitentiam dixiſti, mi Pater, inquam. Sed quid illa eſt? Equidem, ut verum tibi fatear, animum meum ſæpe illa ſubiit, in peccata tamen labi ac relabi ſinit. Ille, Non vera, inquit illa fuit pœnitentia, ſed pœnitudo quædam, & tædium ſeu faſtidium non tam peccati quam peccatum ſequentis pœnæ. Pœnitentia quam ego dico, averſio eſt à diabolo, converſio ad Deum, reſurrectio à vitiis, carnis mortificatio, & cum Deo melioris vitæ pactum. Cujus vis quanta ſit, B. audi Bernardum ſic prædicantem: O *humilitas pœnitentium, ô beata ſpes confitentium, quantum vales apud omnipotentem, quam ci-*

to

to vincis invincibilem! quam cito tremendum Iudicem convertis in clementiſſimum Patrem! Cave vero putes illud ſufficere, ut agnoſcas peccata, ſed defleas quoque & vites in poſterum neceſſe eſt. Ut peccata impios æternis addicunt ſuppliciis, ita vera animi contritio iiſdem liberat. Vide mihi furem aliquem aut prædonem, qui jam jam ad ſupplicium ducitur. Cui ſi rex aut Princeps quiſpiam occurrat & roget, Quo tu, miſer duceris? Ad ſupplicium, inquiet ille, utpote furti aut latrocinii convictus. Quod ſi rex dicat: Miſeret me tui. Tu ſi mihi credere & quod petiturus ſum ſpondere velis, liberum te eſſe jubebo: id vero hoc unum eſt ut peccati te pœniteat: quo gaudio illum exſultaturum, quid non promiſſurum putas? Tu, tu, mi Guſmane, in tot peccatis deprehenſus jam inibi es ut ad æternum ducaris ſupplicium, juxta illud, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Item: *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur.* Sed occurrit tibi Deus dicens: *Vbi es? quò vadis? Leva oculos tuos in directum, & vide ubi proſtratus ſis*: Sed *doleas*, doleas, inquam, ad infernum proficiſcens, ut diabolo ibi excarnificandus tradaris: doleas iterum atque iterum: & veniam impetrabis.

Hæc enim ipſe ego loquutus ſum: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis quæ operatus eſt, & cuſtodiverit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt non recordabor. Et quare moriemini domus Iſraël? quia nolo mortem peccatoris*, dicit Dominus.

Sed non ſatis eſt ut doleas, ſed opus etiam ut ita te divinæ inſinues gratiæ, ne unquam ea excidas. Si forte Eques aliquis opulentus iter faciens in latrones inciderit, & ab eis deſpoliatus fuerit: eidem ita nudo oberranti rex occurrat & quærat unde veniret, cur ita nudus oberraret: ille vero reſpondeat, ſe incogitantia ſua in latrones delapſum, & ab eis ſpoliatum: tum rex ſic eum alloquatur: Id tantum age, mi homo, ut de incogitantia illa tua, qua tot bonorum feciſti jacturam, doleas, nec dubites amiſſa omnia atque etiam ampliora à me tibi redditum iri: numquid tu illum ex animo doliturum putas? Tu, mi homo, bona tibi à Deo credita, immò ipſum Deum, ſummum bonum, per ſummam incogitantiam & flagitia tua amiſiſti: tu equum tuum, animam ſcilicet, quæ corpori imperat & velut inequitat, perdidiſti. Sed benigniſſimus ille

ille cœleſtis rex adeſt, & omnium bonorum reſtitutionem tibi pollicetur.

Cave inprimis ne in divinam iram relabaris, qua nihil eſt magis horrendum. Quod ſi Rex aut Princeps ſuorum ſubditorum alicui ampliſſimum promiſerit præmium, is vero maleficiis ſuis eo indignum ſe reddat: princeps nihilominus ei dicat: Tu quidem indignum teipſum promiſſo feciſti beneficio, ſed dole tantum id à te factum, meque etiam ablata tibi reſtituturum crede: quem ille dolorem ſibi non ſubeundum putaret? Tibi quoque mi, homo, æternæ gloriæ facta eſt promiſſio: quam propter peccata amiſiſti. Sed occurrit tibi animæ tuæ Salvator Jeſus Chriſtus, & reſtitutionem pollicetur: tu modo doleas divinam iram abs te provocatam; eamque omnibus viribus vites.

Ut luxatum aliquod corporis membrum ſine dolore in locum ſuum, ita nec anima ſine dolore in divinam poteſt reſtitui gratiam: qui ſi verus animo inſederit, externis indiciis, lachrymis, moribus ac totius vitæ conformatione ſe prodet: quibus ſi fides, ſpes, charitas, bona ſcilicet opera, accedant, non dubium eſt quin magnam ſpem ſalutis habere quis poſſit.

Sed longum facturus ſim, ſi quæ bo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

nus ille vir animo meo inculcavit, ſingula recenſere velim. Lampadem hanc Theologorum trado nationi: hoc ad extremum indicare tibi contentus, in ejus Eremitæ conſortium me veniſſe, ſicque Mundo quaſi eſſe mortuum. Tu Lector, bona imitare, mala fuge.

FINIS.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

NE ſequentes vacarent pagellæ, has precatiunculas addere placuit.

PRECATIO ADVERſus mundi ſcandala.

O Magni Deus architecte mundi,
Et mundi Deus impii redemptor,
Cujus tot benefacta, quot virentem
Flores veris humum novi colorant,
Vnius tamen æſtimat nec aſſis.
Quin fœdo ſcelerum luto ſepultus,
Pro tantis odium bonis rependit.
Tu cuſtos igitur meæ ſalutis,
A mundi illecebris, & à caducæ
Terrenæ ſpecie beatitais
Ad cœleſtia transfer appetitum.
Ah quam difficile eſt mihi tot & tot,
Immerſos ſcelerum lue videre,
Et vitare tamen, nec æmulari,
Nativa vitioſitate pleno?
Conatus igitur meos, & omnem
Tu vitam moderare, ne perennem
Sim mundi comes hujus in gehennam.
Qui tantò ſcelerum magis nefanda
Creſcit colluvie, ſuprema quantò
Apportat propius dies ruinam.
Hac tu me pater è ſpecu malorum
Ereptum tibi conſecra, tuis ſim
Addictus monitis: ſit omnis in te,
In te ſolo animi mei voluptas.
Te ſuſpiria, vota, lacrymæque

Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Ex deſiderio tui fluentes
Mundi quiſquiliis petant relictis.
A te Chriſte Deus tuum popellum
Pendentem rege, duc manu, tuere:
Ne forſan ſpecioſiore mundi
Allectus facie ſimul ſceleſtis,
Mundi moribus (ut fit) aſſueſcat.
O cœlo Deus aura flans ab alto
Menti illabere tu meæ, aureæque
Ardentem pietatis inde flammam.
Tu deſiderii mei magiſtra (vim:
Omnem ſurrige ad aſtra ſenſuum
Donec carceris hujus exolutus
Vinclis, æthereæ (quod uſque & uſque
Anhelat mea mens) ſodalitati
Addar, ſancta tuo Trias favore.

PETITIO PACIS.

Qui præpotenti magne DEus manu
Mundi triformis ſceptra tenes, tuum
Preſſi clientes tot periclis
Auxilium precibus vocamus.

Deſcendat alto pax bona ab æthere
Terrasque pennis ambiat aureis:
Vt gens ab omni Chriſtiana
Tuta Deum celebret tumultu.

Armata ſævis ceſſet Erynnium
Bellona flagris: omnis & impio
Fruſtretur eventu tyrannis
Quæ ſitit innocuum cruorem.

Non

Non inquieti buccina claſſico
Accendat iras militis : urbium
Funeſta nec tormenta muros
Terrifico quatiant fragore.
Æterna pacis fœdera ſanciant
Rerum potentes, præcipuè quibus
Vnius una, & pura Chriſti
Relligio, pietaſque cordi eſt.
Ne jus, & æquum vis fera ſupprimat,
Verbive curſum præpediat tui
Belli tumultus, literarum
Nec pereant fabricæ bonarum :
Poſſeſſionis quiſque ſuæ ſatur
Per vim, quod ultra eſt, diripiat nihil,
Tranquillitatem nulla turbet
Ambitio genitrix furorum.
Tu factionum fœdera diſſipa :
In Chriſtiani perniciem gregis
Conſarcinatos rumpe caſſes.
Vis inimica ruat doluſque.
Vaſto in malorum gurgite nantibus
Cælo potentem porrige dexteram,
Sacris dicatam nec profano
Servitio patearis angi
Hæreditatem : ſic tua perpetim
Creſcet per orbem gloria : ſic tuum
Sub pacis innoteſcet umbra
Nomen utroque ſub axe mundi
Infuſa in almæ Relligio ſinum
Pacis quieſcat : Iuſtitia his ſoror
Accedat: hæ junctis quod uſquam eſt
Tres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Tres manibus Charites beabunt.
Contentionum ſæva cupiditas :
Injuſta vis , impura fides procul ,
Procul faceſſant: hæ quod uſquam eſt
Tes furiæ ſtygis inquietant.
Si qua ergo noſtris in regionibus
Lis orta gliſcit , principiis tuo
Obſiſte nutu ; ne favilla
Creſcat ab exigua furoris
Immenſus ignis : bellaque tot malis
Fæcunda, vaſtis quot mare fluctibus.
Armis ſed exutis ut alter
Induat alterius favorem.
Vt te benignum carminibus Patrem
Natumque majeſtate parem , parem
Vtrique Flatum , perſonemus
Compoſiti palcida quiete.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
174 C 15